Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ΔΗΜΟΣΙΑ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ
ΒΕΡΟΙΑΣ
Αριθ. εἰσ. 261
ΔΩΡΕΑ Ἀποστόλου

ΒΒ.

Β. 5. Ι. 27/ ΙΙ. 2, 13, 15 7./ ΙΙΙ 1, 2 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

HORATII VILLA
ET
VICINI MONTES.



Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

52505

Q. HORATII FLACCI

OPERA OMNIA.

RECOGNOVIT

ET COMMENTARIIS IN USUM SCHOLARUM

INSTRUXIT

GUIL. DILLENBURGER,

PHIL. DR. AA. LL. M.

EDITIO QUINTA.

ADDITA EST TABULA VILLAE HORATIANAE.

BONNAE,

SUMPTIBUS ADOLPHI MARCI.

MDCCCLXVII.

1867. Αρ. Ε16. 261

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ἐ μνήμη

PIAE MEMORIAE

THEODORI BRUEGGEMANNI

S.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PRAEFATIO.

Cum post gravissimos Peerlkampii in Horatii carmina impetus multi praecipue in Germania viri docti in Horatio et interpretando et defendendo acerrimo studio elaborassent de plurimisque vel totis carminibus vel singulis versibus rectius quam antea esset factum iudicassent, non potuit non videri optabile, ut tanti studii ac laboris fructus scholarum in usum colligerentur iuvenibusque antiquarum litterarum opibus ad humanitatem informandis carpendi percipiendique offerrentur. Quod munus cum ego susciperem, et aliorum virorum quorum auctoritatem maximi semper haberem voluntati cessi neque quantae ad eam rem honeste sustinendam superandae essent difficultates ullo unquam tempore ipse me celavi. Nunc cum in eo sim ut librum emittam, viam quam in conscribendis commentariis secutus sim breviter monstrandam mihi esse existimo. Etenim rectam illam quidem esse confido; ego autem utrum constantia et viribus satis munitus eam perfecerim an facultatibus destitutus illuc quo tenderem non pervenerim in occultosque tramites devius declinaverim, illi videbunt quibus de his rebus rectum erit et aequum iudicium. Atque in conscribendis commentariis, quibus adolescentibus maxime consultum volumus, id ante omnia cavendum est, ne diversa consilia confundentes modo altiora praebeamus, ad quae iuvenilis animus non satis paratus accedat, modo viliora apponamus, quibus nihil ille alatur aut vires pos-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sit augere. Quare in edendis Horatii operibus eum mihi proponebam adolescentem, qui ad primam suae scholae classem bene munitus et paratus pervenisset, ad eiusque intelligentiam et scientiam omnem meam rem accommodare studebam. Aperiendus ei erat, quam id maxime fieri posset, poetae animus, via monstranda qua ad praestantiam rerum ac praeceptorum formaeque artificiosam venustatem intelligendam et aestimandam sensim perveniretur, ratio denique ostendenda qua cum sua aetate suisque aequalibus poeta olim coniungeretur, ne — id quod spe saepius nostra aetate factum est — pravum iudicium vel de carminibus vel de animo moribusque Horatii confirmaretur. Quo consilio vitam poetae praemisi ex poematis ipsis haustam neque maiorem quam quae facile ab adolescentibus legeretur et ita moderatam, ut quae certa essent et firma ab iis secernerentur, quae veri quidem similia multis viderentur, nunquam tamen penitus possent explorari. In constituendis poetae verbis eam mihi legem esse volui, ut antiquissimorum et optimorum codicum, imprimis Cruquianorum et Orellianorum, auctoritatem sequerer neque ante aliorum et deteriorum lectiones reciperem quam illi aperte falsa praeberent, coniecturis emendandique periculis, quae in Horatium et olim fecerunt et nunc faciunt iniuria, prorsus abstinerem. Praeter ipsa verba magna etiam cura adhibenda erat de verbis sententiisque inter se coniungendis interpungendisque; in qua re haud scio an quid peius possit institui quam si quis patriae linguae naturam sequens nostrorumque grammaticorum severis legibus obtemperans cohaerentia membra latini sermonis foede dissecare, alienas partes violenter coniungere non dubitet. Cuius quidem rei tristia exempla olim collegi in Quaestionibus meis Horatianis p. 115—119. Adiuvamur cum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

legimus sana interpungendi ratione, impedimur prava; atque audienda est illa vox Ciceronis de Orat. III, 46: „clausulas et interpuncta verborum animae interclusio et angustiae spiritus attulerunt.“ Orthographiae melius me consulturum putabam, si vulgarem scribendorum vocabulorum rationem sequerer quam si Horatius ipse et aequales quomodo scripsissent anxie investigarem inque periculum a veris aberrandi inconsulto inciderem. Iam ut de commentariis dicam, ita rem institui, ut praemissa brevi metrorum expositione — in qua ordinem a *Schnitzio* olim in programmate gymnasii Monasterii Eifliensis dilucide propositum meum feci — singulis carminibus argumenta praeponerem in iisque uberius quam id fieri solet in huius modi editionibus et tempora et loca describerem, de summa carminum sententia inquirerem, partes ostenderem, totam denique oeconomiam modo accurate exponerem modo cum totius operis angustum spatium brevitatis studium mihi imponeret, universe indicarem. In qua re hoc quoque secutus sum, ut consilio poetae explorato convenientiaque singularum carminum partium reperta malis quae hodie audimus de Horatii carminibus iudiciis occurrerem quantaque Venusinus poeta in expoliendis carminibus usus esset cura et arte digito monstrarem. Magnus enim carminis conficiendi artifex fuit Horatius, quamquam omnia eius poemata pari laude digna esse quis sobrius dicat? Plurima in his rebus debeo doctissimis viris qui nuperrime de Horatio scripserunt, *Obbario, Orellio, Duentzero, Kirchnero, Luebkero, Iacobsio, Grotefendio, Frankio,* aliis; quorum nomina ne, ubicunque eorum doctrina et opibus usus essem, nominarem libri vetuit brevitas ac tota ratio. In singulis locis et versibus explicandis hoc volui cavere ne quid ex historia rerum gestarum, geographia, mythologia afferrem quod

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

iam notum esse deberet adolescentibus ad primam gymnasii classem ascendentibus, ne quid expromerem quod aut artes grammaticae aut lexica latina, quibus uti solent discipuli, abunde praeberent, ne denique libros a notitia vel copia adolescentium alienos moleste et importune laudarem. Quapropter qui citandi essent aliorum scriptorum loci, si ex Virgilio essent desumpti vel ex Ovidii Metamorphoseon libris similibusque, numeros tantum indicavi; aliter totos locos apponendos curavi. Illud autem efficere tentavi, ut quam plurima apponerem quae accuratiorem antiquorum morum ac vitae notitiam adiuvare aut poetarum latinorum praecipue Horatii usum scribendi possent illustrare. Neque omnino poteram criticis annotationibus abstinere; quae tamen res cum difficillima sit et magnam partem a iudicio discipulorum remota, ea potissimum eligenda constitui quae et adiuvantibus magistris possent ab adolescentibus intelligi et iuvenilem animum acuerent et corroborarent. Ad calcem libri indices adieci; in iisque congessi et ea nomina quae aut apud Horatium aut alia de causa essent memorabilia omissis iis quae semel fortasse exempli faciendi causa attulisset poeta, et eas res quae in annotationibus ad indicatos locos explicatae facile possent data aliqua occasione requiri.

Aquisgrani, Kal. Septembr. MDCCCXLIII.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PRAEFATIO

EDITIONIS II.

Cum abhinc quattuor annis Horatium scholarum in usum edere auderem, non licuit sperare, tam brevi tempore interposito fore ut novae editionis parandae munus mihi imponeretur. Nunc quod ita factum est, duabus maxime de causis gratissimum mihi est; primum enim ita intellexi, meam in interpretando hoc amabili poeta positam curam nec prorsus inanem fuisse nec elegantium iudicum cautorumque magistrorum approbatione carere; tum occasionem nactus sum perquam opportunam mutandi et corrigendi, ubicunque in interpretandis singulis carminibus locisve vel ipse meliora videbar reperisse vel aliorum argumentis cedere eram coactus. Universam libri naturam rationemque interpretandi non habui cur mutarem, nec saepe factum est, ut in versibus Horatii ipsis lectio in prima editione recepta nunc videretur posthabenda alteri. Quaecunque interea scripta sunt de Horatio, ea, siquidem ad manus meas oculosque perlata sunt, legi in meumque usum convertere studui; in eaque re multum me debere profiteor *Webero, Obbario**), *Orellio,*

*) Publice iudicium tulerunt de meo libro *Weberus* in *Ephemeridibus Halensibus* a. 1844. Nov. No. 285 sqq., *Obbarius* in *Iahnii Ann.* 1845. 7. XLIV. 3. p. 259 sqq., *Rauchensteinius* in Mageri libro, qui inscribitur *Revue* 1846. Ianuar. Februar.; quibus doctissimis viris et quod benevole de meo labore iudicarunt et quod non pauca indicarunt quae sequi deberem, maximas nunc ago gratias.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Duentzero, aliis. *Kirchneri* autem *Novas Quaestiones Horatianas* et *Steineri* Crucenacensis *Commentationum Horatianarum specimen secundum* quod non ita mature accepi, ut possem iis uti, magnopere doleo. Ne tamen meus liber doctissimorum virorum iudicio et copia omnino careat, unum saltem locum nunc inde expromere iuvat. Ac primum dicendum est, etiam *Kirchnerum* ad eos accedere criticos, qui Horatii carmina iam ante scholiastarum aetatem passim interpolata esse censuerunt; in iisque locis numerat (p. 63) locos dudum a criticis damnatos: Carm. III, 4, 69—72; III, 11, 17—20; III, 17, 2—5; IV, 4, 18—22; IV, 8, 17; Epist. I, 1, 56; et addit ad hos locos Epod. 9, 35. 36, quos versus cum *Peerlkampio* pluribus de rationibus Horatianos non esse putat, Sat. II, 7, 63—65, quos versus cur pro spuriis et suppositiciis habeat, suo se loco probaturum pollicetur. Deinde addit: „alios locos, certe antiquissimos, qui in libris Mstis nonnullis etiam vetustioribus leguntur, scholiastae ignorant, ut paucissimis fortasse exemplis, quae ipsi non viderunt, propagatos. In his numeramus octo versus illos decimae satirae praepositos: *Lucili, quam sis mendosus — ut redeam illuc*, quos in Mss. haud paucis, non tamen, fateor, vetustissimis, reperimus: et locum I. Sat. 6, 126 *fugio campum lusumque trigonem* *)." De versu autem et difficillimo et vexatissimo, Carm. IV, 8, 17, inter alia

*) Hanc lectionem, olim a Cruquio e cod. Bland. 1, omnium antiquissimo vulgatam, post huius interitum pro deperdita habitam, a nonnullis tamen viris doctis cupide arreptam nunc se in Cod. Goth. 2, a reperisse ait *Kirchnerus* p. 23. Veram tamen lectionem *rabiosi tempora signi* tuetur etiam antiquissimus codex Barcellonensis, nuper ab *Hauthalio* diligenter descriptus (Ueber die älteste spanische Handschrift des Horaz und des Acron. Bonn. Habicht. 1847), et Cod. Bruxell. X. saec., quem vidit *Schneidewinus*, cf. Philolog. Tom. I. fasc. 1. p. 168.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

haec scripsit: „Sed propter impeditiorem in *Hermanniana* *) versuum transpositione verborum constructionem et lacunam, quae sic oritur, haud facile supplendam, convenit sub finem anni 1844 per litteras datas inter me summumque hunc criticum de faciliore hac transpositione: „*gaudes carminibus: carmina possumus | Donare et pretium dicere muneris* (sic Acr. Porph. *muneri* codd. nostri omnes) | *Per quae spiritus et vita redit bonis | Post mortem ducibus. Non celeres fugae | Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae, | Non incisa notis marmora publicis | Eius, qui domita nomen ab Africa* cett.“ Sic omnia bene se habent: „*carmina possumus donare, per quae spiritus et vita redit post mortem bonis ducibus* i. e. *per quae immortales fiunt.* Sic pretium carminibus statim statuitur, et grata anaphora servatur: *Non celeres fugae — non marmora* etc. Levius quod exsistit hyperbaton constructionis, sententia interposita *et pretium dicere muneris*, facile defenditur similibus locis: I. Od. 1, 3—7. II. Sat. 2, 27—29. Aliam huius totius loci ex coniectura restitutionem idem vir excell. nobiscum per litteras subtilis doctrinae plenas communicavit, quam si per eum licuerit, data occasione vulgabimus.“ Haec ille; ego vero, si licet contra tanta nomina meam interponere sententiam, ut nullam omnino apud Horatium interpolationem praeter octo illos versus decimae satirae praepositos agnosco, sic ne huic quidem subtilissimae transpositioni faveo cum iisque potius facio, qui, si quid non bene scriptum apud Horatium reperitur, culpam non grammaticis, non scribis, non ineptis miserisque monachis iniungunt, sed aut ipsi poetae — quem interdum etiam dormitasse cur non credamus? — aut

*) Hermann. Epitom. doctr. metr. §. 578. ed. II.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nostrae parum rectae intelligentiae vel diverso de talibus rebus iudicio. Idem iudicare etiam *Steinerum* video p. 5 sq. 11. 12 sq.; quamquam quae idem vir doctissimus de explicando illo carmine magis artificiose quam veri similiter statuit, meam quidem approbationem non habent. Sic enim scripsit p. 9: „sententiarum nexus ostendit, verbis illis *celeres fugae* etc. non fugam ipsam sed fugam marmore expressam declarari. Itaque illa aetate Scipionis *maioris* monumentum Romae fuisse statuo, in quo cives et ipsum spectabant ducem egregium marmore effictum (v. 14) et res illius praeclaras sive marmore sive aereis columnis (cf. Lamprid. Alex. Sever. c. 28) repraesentatas: celeres Poenorum ex Italia fugas Hannibalisque nequidquam minitabundi atque Scipionis ultoris in Africam traiectionem (v. 16): incendia castrorum Hasdrubalis et Syphacis (Liv. 30, 5. 6. Flor. 2, 6), incendia navium Karthaginiensium (Liv. 30, 43), Scipionem domita apud Zamam Africa in Italiam redeuntem. — Tali vero honore quis dignior Scipione? quem Ennius sic effatur: „Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?“ Horatii igitur aequales qui illa castrorum naviumque incendia marmore expressa vidissent, profecto cum hos versus legebant non poterant, ut nonnulli interpretes nostri, de incensa a Scipione minore Karthagine cogitare.“ Quae interpretatio, artificiose ut dixi excogitata, ideo non poterit probari, quod nec statuae nec columnarum in ipso carmine ulla reperitur, ne minima quidem, significatio; immo totus locus de marmoribus et titulis primo ita est generalis, ut de omnibus magnis viris non possit non intelligi, deinde suo more poeta ad generalem sententiam illustrandam sensim ad exemplum delabitur; nec, puto, ipsi Romani statuam,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quae Romae fuit*), hoc carmine descriptam et comparatam reperissent. Itaque ad eiusmodi fictionem non prius licebit confugere, quam quae in eo carmine insunt difficultates non poterunt superari ratione alia ac magis probabili.

Legi Meinekianae, qua carmina omnia, et quae monostropha et quae distropha ante habebantur, in strophas quaternorum versuum dividere iubemur, ne nunc quidem obsecutus sum. De qua lege quid sentirem, in *Horatianorum* particula altera, a. 1845 conscripta, p. 15 professus sum. Nunc video, ne *Steinerum* quidem ei legi favere; nec aliter *Gerberus* l. l. p. 10 sq. *Kirchneri* alia ratio est; is enim, cum antea, uti fatetur p. 64, hac potissimum dubitatione deterreretur, quaenam interna huius odarum in carmina tetrastropha divisionis quasi lex esse posset, cum externa certe norma non firmiter constituta appareret, iam causam sibi ac legem reperisse visus est. Statuit enim, *Horatium omnia sua carmina lyrica eo consilio composuisse eamque formam metricam iis induisse, ut ad lyram, si non omnia cantarentur, at certe cantari possent.* In qua re vir doctissimus mirifice deceptus est. Nam, ut paucis exemplis defungar, carmina quae *κατὰ στίχον* composita sunt, Carm. I, 1. III, 30. IV, 8, quis credat *eo consilio* ab Horatio composita esse, ut ad lyram possent cantari? Nam *posse* ea cantari quis ne-

*) Vide Liv. XXXVIII, 56: »alii Romae, alii Literni et mortuum et sepultum. Utrobique monumenta ostenduntur et statuae: nam et Literni monumentum monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate deiectam nuper vidimus ipsi; et *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae Publii et Lucii Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Quinti Ennii.*« Ceterum de hoc carmine disputarunt etiam *Gerberus* in scriptione scholastica, Sondershusae 1842. *Lachmannus* in Schneidewini philologo, Tom. I. fasc. 1. p. 164 sqq., et contra hunc acutissime *F. Ritterus*, Bonnensis, ibid. fasc. 3. p. 581 sqq.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gabit, quoniam omnia, etiam quae sano sensu plane carent, cantari possunt? Sed admodum mira ea esset cantatio, si severo quis vultu istius modi carmina decantare vel ita recitare conaretur, ut lyra iis praeluderet et inter singulas strophas fidium cantus interponeret. Agedum, periculum fac et sume carmen trigesimum tertii libri, quod intactum reliquerunt et Hermannus et Kirchnerus; ibi tu interpone inter singulas strophas quas volunt, i. e. post v. 4. 8. 12, fidium cantus et videbis, quam violenter sententias disieceris quantamque provocaveris discrepantiam. De argumentis et rebus, quae musicae arti quam maxime possunt adversantur, nihil amplius dicam. Deinde quod alterum a Kirchnero additur argumentum, de innumeris locis, in quibus Horatius verbis utitur de lyra et cantu sumptis, ut Carm. IV, 9, 4. IV, 15, 2. I, 6, 19. I, 32, 1 sq. cet., ne hoc quidem quidquam valet. Partim enim posita sunt ea vocabula in carminibus, quorum argumenta ita sunt comparata, ut et possint cantari et fortasse etiam cantarentur, partim autem nihil significant aliud nisi carmina facere, carmina componere. Hae enim dictiones exortae sunt ex antiqua poeticae artis origine, nec tamen qui poetae iis utebantur, simul indicare voluerunt, ea ipsa carmina ad fidium cantus esse accommodanda. Quae cum ita sint, ne ea quidem placet ratio, qua Kirchnerus carmen III, 12 tetrastrophon fecit,

Miserarum est neque amori
Dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.

Nec me poenitet solitam huius carminis in strophas ternorum versuum dividendi rationem, multo suaviorem et magis concinnam, servasse. Ceterum non pos-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sum facere, quin uno verbo dicam quam gratum mihi fuerit vidisse, etiam a Kirchnero p. 43 scholiastam illum, quem putabant, *Aemilium* prorsus fictum ac nullum esse probari. Idem iam ante sex annos evincere studui in *Horatianorum* partic. I. Aquisgrani conscripta p. 8; idem nuper ostendit *Hauthalius*, vir doctissimus, in Museo Rhenano a. 1846. p. 516 sqq.; hic quidem nova ratione; Kirchnerus in id ipsum incidit, quod ego iam tum proposui. Sed haec hactenus.

Embricae a. d. V. Kal. Nov. MDCCCXLVII.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PRAEFATIO

EDITIONIS III.

In emendandam novam editionem Horatii mei quantam per labores officiumque licuit curam impendi; rationem naturamque libri ne nunc quidem mutavi. Nam quamquam non defuerunt qui consulenti mihi persuadere vellent, ut commentario argumentisque singulorum carminum decurtatis vel mutilatis librum contraherem in angustumque deducerem, tamen metui, si illorum vocibus auscultarem, ne minuerem simul vel demerem potius si quid esset vel probabile vel peculiare. Scio quidem, inter magistros scholarum publicarum esse aliquos, qui editiones commentariis instructas a suis lectionibus prohibeant nudaque poetae verba discipulorum manibus tradant. Quorum studium voluntatemque tantum abest ut reprehendere audeam, ut magnopere laudem, siquidem in ipsis lectionibus id possint assequi, ut viva voce doctrinaeque cura et diligentia ea omnia, quae ad veram carminum intelligentiam necessaria sunt, adolescentulorum animis ipsi praebeant memoriaeque infigant. Illud tamen metuendum est, ne ista lectio iusto saepius aut habeat aliquid vagum et incertum aut parvam tantum dulcissimi poetae partem comprehendat. Iis autem, qui commentarios ob eam causam prohibent, ne adolescentium celeritate acieque oculorum et calliditate ingeniorum inter do-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cendum et explorandum quasi quaedam insidiae sibi struantur, optime olim *Frid. Iacobsius*, nuper *Kruegerus* in praefat. edit. sermonum p. IV occurrit. Praeterea cum ne summa quidem assiduitas vel magistrorum vel discipulorum eo possit pervenire, ut omnia legantur quae lectu dignissima sint, non potest fieri quin privatis studiis bona pars poematum relinquatur; quae si vult intelligi, adiumenta requirit non parca aut debilia, sed ad superandas difficultates et parata semper et firma. Deinde si licet sperare, fore ut iuventus tantopere blanditiis poetae capiatur, ut etiam relictis ludis et virili aetate ad eius lectionem sua sponte ac libenter recurrat, ubertas argumentorum annotationumque satis habere videtur non excusationis sed necessitatis.

Editiones commentationesque, quae interim prodierunt quaeque ad me pervenerunt, legi ex iisque quaecunque meis meliora videbantur in meum usum converti. Fructus autem quem inde cepi, minor fuit quam exspectaveram. *Nauckii* editio quod absoluto opere ad me perlata est, non fuit dolendum; *Kirchneri* autem novam satirarum editionem, quam scimus parari, quod non licuit opperiri, incommodum est; *Grysarii* Vindobonensis editio nihil novi attulit, nisi quod egregia etiam poemata, ut Sat. II, 5 et Epist. I, 18 cum multis aliis a lectione adolescentium excludenda esse docemur; multo difficiliora recepta sunt. Ceterum cave credas, in illa editione ea poemata, quae non sunt relegata, intacta recepta esse aut non mutilata, ut nuper suspicatus est censor aliquis benevolus; ut exemplis utar, omissi sunt Sat. I, 4, 27. 113. 114, et Epist. I, 1, 20 sic sonat: *Ut nox longa quibus somnum aufert cura diesque* *).

*) Iuvat commemorare etiam editionem, quae hoc titulo ornata pro-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Codicum scripturas scholiastasque denuo diligenter consului et examinavi; quo factum est, ut antiquissimorum librorum Mss., maxime Blandiniorum Cruquii, auctoritate lectiones in prima et altera editione receptas nunc cogerer mutare. Quod quam saepe necessarium visum sit ut intelligatur, locos ipsos nunc addam: Carm. I, 7, 17. I, 8, 2. I, 15, 22. I, 19, 2. I, 24, 13*). I, 25, 2, III, 4, 31. III, 15, 16. III, 20, 8. IV, 4, 73. C. S. 68. 71. 72. Sat. I, 3, 57. I, 4, 87. I, 6, 31. I, 7, 50. II, 1, 31. II, 2, 48. II, 2, 56. II, 2, 95. II, 3, 96. II, 3, 129. II, 3, 170. II, 3, 212. II, 3, 276. II, 4, 47. II, 6, 4. II, 6, 44. II, 6, 48. II, 8, 52. II, 8, 53. Epist. I, 1, 72. I, 2, 38. I, 3, 30. I, 13, 2. I, 15, 10. I, 16, 22. I, 18, 111. I, 19, 22. 23. II, 1, 69. II, 1, 85 (A. P. 161). II, 1, 167. II, 1, 186. II, 2, 16. II, 2, 158. Orthographiam vulgarem et usitatam servavi, quoniam antiqua provocare vel incerta audere et periculosum est et iuventutis commodis adversarium. In qua re deterruit exemplum *Hauptii*, qui in editione apud Weidmannos (1851) Carm. I, 3, 37 *arduist* scripsit, IV, 3, 21 *tuist*, Epod. 15, 12 *virist*, Carm. IV, 3, 24 *tuumst;* contra Sat. I, 10, 24 *Falerni est*, Sat. II, 3, 232 *domi est*, A. P. 304 *tanti est*, ibid. 417 *relinqui est*, ibid. 386 *iudicium est*, quamquam in cod. Bernensi antiquiss. ibi reperitur *iudiciumst*, v. 409 *quaesitum est*, ubi idem codex habet *quaesitumst*, et sic saepius. Deinde in eodem codice A. P. 353 scriptum reperitur *ergost*, et in cod. Blandin. antiquiss. Epist. I, 12, 24 d'est pro *deest*. Nec probatur illa scribendi ratio *Lach-*

---

diit: »Horatii carmina quae exstant omnia. Iuxta editiones Doering, Orellii et Lipsianam. Accurate recensita. Oxonii: I. Abrams. Londini: William Allan. 1849.« Quae cum nescio qualem textum praeberet, Horatii vitam et indicem metrorum ex mea editione clam sibi surripuit.

*) De hoc loco cf. Quaestiones meas Horatianas (Bonnae. Habicht. 1841.) p. 48 sqq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

manni annotatione ad Lucret. p. 66: „Horatius in Carm. Saec. et in IV Carm. libro longas vocales non elisit: ergo in huius ecloga tertia scripsit *totum muneris hoc tuist*, non *tui est*. Et protulit eius modi non nulla Orellius e codice Bernensi antiquissimo, ut *quantost, tantist, ergost, quaesitumst*." Non est veri simile, Horatium vel Romanos eius aetatis in exemplis poematum scribendi rationem modo hanc modo illam adhibuisse; et aliud est scribere, aliud pronuntiare.

Regimontii Borussorum a. d. XIII. Kal. Mai. MDCCCLIV.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PRAEFATIO

EDITIONIS IV.

Quam abhinc annos prope sex aequitati doctorum hominum commendavi editionem tertiam, eius exempla cum essent divendita, institit redemptor egregius, ut quartum emitteretur libellus. Quod ut honeste fieret, denuo consului varietatem optimorum codicum, praecipue Blandiniorum Cruquii, antiquorum Bentleii et Orellii. Inde autem quem fructum ceperim ad restituenda verba poetae, intelliget qui hos locos cum superioribus editionibus comparaverit: Carm. I, 8, 2. 6. 7. I, 15, 9. 24. I, 16, 8. III, 1, 43. III, 17, 13. III, 24, 60. III, 25, 9. IV, 1, 22. IV, 4, 31. IV, 6, 21. Epod. 11, 2. Sat. I, 5, 67. I, 7, 15. I, 10, 27. 31. 86. II, 2, 118. II, 3, 43. 259. Epist. I, 2, 32. I, 6, 57. I, 10, 24. I, 11, 16. I, 18, 16. 46. II, 1, 114. 260. II, 2, 3. 93. 128. A. P. 46. 65. 92. 139. 153. Aliorum editiones, inter quas Meinekii alteram, Kirchneri, Doederlinii, Teuffelii, Ritteri honoris causa nomino, et commentationes de singulis vel carminibus vel locis scriptas, quascunque inspicere licuit, diligenter contuli; quo saepius factum est, ut in explicando poeta meliora doctus sententiam mutarem. Ceterum commentarii naturam, usu comprobatam, intactam reliqui, nisi quod criticam annotationem ad tutandas lectiones passim auxi; tabulam chronologicam *Kolsteri* *)

*) *Iahn.* Annal. philol. LXXV, 7. p. 493 sqq.; praeterea publice de

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

admonitionem secutus locupletavi; indicibus et nominum et rerum haud pauca addidi, quae olim praetermittenda viderentur aut recens essent recepta. Praeterea haud indignum, spero, ornamentum accedet tabula villae Horatianae, quam filius tertius, qui nunc ipsum Horatii carmina lectitare inchoavit, me duce quam potuit accuratissime delineavit, Sosius honestissimus lapidi incidendam curavit. In qua re magnopere me adiuvit libellus gallice scriptus hoc titulo: *Étude biographique sur Horace par A. Noël des Vergers* (Paris, Didot 1855); cui quae additae sunt tabulae, altera inscripta *Villa d'Horace et ses environs*, altera *Plan topographique de la vallée de la Digentia et de la villa d'Horace, dressé par Mr. Pietro Rosa, architecte*, eas quidem immutatas recipere non licuit nec si licuisset voluissem; vetuit enim tota tabularum ratio neque clara satis aut perspicua neque adolescentibus admodum habilis.

Peerlkampii in Horatii carmina gravissimi impetus id effecerunt, ut, quicunque ea sibi eripi non paterentur, quae tot saeculorum perpetua admiratio in posterum quoque videretur sacrasse, dulcissimo poetae verius intelligendo, rectius interpretando, acutius defendendo continuam operam navarent. Nec quidquam aliud efficiet *Gruppii* liber, qui a Peerlkampii sollertia et acumine immane quantum discrepat. Nescias enim, utrum temeritas fiduciam an fiducia levitatem superaverit. Nam quid est facilius quam damnare et exturbare, quae vel ipse non intellexeris vel intelligi non posse tibi persuaseris vel tuae aetatis intelligentiam

---

tertia editione iudicatum est a *Tromphellero*, viro doctissimo, in *Mützellii* mei Annal. rei scholast. 1854. Octobr. p. 776 sq. et a *Meyero* in libro qui inscribitur *Athenée français* 1854. n. 39.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

effugiant vel, quae optimorum etiam poetarum est humana natura, debilia sint aut minus egregie composita et expressa? Et tamen ratione plane carere videberis, nisi utramque manum dederis concesserisque, hanc partem carminis frigidam, illam ieiunam esse, hanc sententiam esse mancam vel inconcinnam, illam nimiam vel luxuriantem. Si quaeris, cur ita, nimis es curiosus. Utinam tandem desinant Horatium alieno modulo ac pede metiri!

Regimontii Borussorum Idib. Sept. MDCCCLX.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PRAEFATIO

EDITIONIS V.

Ad honeste parandam quintam Horatii mei editionem meum esse vidi, et ipsius poetae versus iteratis curis subiicere et annotationes denuo diligenter examinare. Quapropter ne nunc quidem omisi, praecipuas aliorum editiones, in iisque novam Kelleri (1864) et Peerlkampii alteram (1862), accurate comparare et consulere; sed bis tantum coactus sum receptam ante lectionem mutare, reliqua recte scripsisse mihi visus sum. Etenim Carm. I, 23, 5 nunc cum Meinekio et Kellero codicum auctoritati Gogavini, Mureti et Bentleii coniecturam *vepris ad ventum* praetuli, et Carm. III, 3, 12 *bibet* scripsi, quam scripturam iam Quaest. Horat. part. I. II. (Bonnae 1841) p. 21 commendaram, sed recipere inter poetae verba non eram ausus. In annotationibus non pauca sunt, quae corrigenda esse intellexi; qui comparaverint, ipsi videbunt quae sint vel limata vel resecta vel addita. Nec raro interductum mutavi, veluti Sat. I, 1, 95. 105. 3, 65. 4, 63. 5, 15 sqq. 7, 72. II, 6, 34. Epist. I, 6, 29. 16, 59. 17, 32 alias. De ordine, quo carmina Horatii per libros disposita sunt, novam nec fortasse inertem annotationem p. 17 sq. addidi; conspectus etiam metrorum quaedam additamenta

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

accepit. Indices diligenter recognovit *Thielemannus*, cui et quod eum laborem ultro suscepit et quod typographorum menda sagaciter persecutus expulit gratias libenter ago. Restat, ut hanc quoque editionem benevolentiae ac tutelae virorum doctorum decenter commendem atque tradam.

Vratislaviae Idib. Mai. MDCCCLXVII.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI VITA.

Q. Horatius Flaccus, cuius omnia quae cum aequalibus suis ipse communicare voluit poemata ad nos pervenerunt, L. Aurelio Cotta L. Manlio Torquato coss. a. d. VI. Id. Dec. anni DCLXXXIX p. u. c. natus est Venusiae, Romana colonia in Apulia sita. Et ipsi quidem poetae quaecunque de eius natura, moribus, omnis vitae condicionibus nobis innotuerunt ita debemus, ut vel tria quae habuit nomina [1]), patriam urbem [2]), annum mensemque [3]) natalem in poematis deposita habeamus neque ad vitae narrationem quae Suetonii nomen fert saepe confugere aut debeamus aut possimus. Patre usus est libertino [4]), mater quae fuerit nescimus, cum nusquam eius ne nomen quidem nominetur; ut propter egregiam filii in patrem pietatem recte nobis videamur inde efficere, filio etiam infante morti eam succubuisse. Neque fratris aut sororis reperitur nomen, ut unus parentum filius fuisse videatur. Quare pater, qui „macro pauper agello“ (Sat. I, 6, 71. Carm. II, 20, 6.) *coactoris* [5]) exiguo munere fungebatur, cum quanto ingenio filius praeditus esset intellexisset neque melius se puero consulturum iudicaret, quam si bonis litteris erudiendum bonis magistris cum traderet, Venusinum ludum Flaviumque magistrum, quem „pueri magnis

1) Sat. II, 6, 37. Carm. IV, 6, 44. Epist. I, 14, 5. Sat. II, 1, 18. Epod. 15, 12.

2) Sat. II, 1, 34. 35. Carm. III, 4, 9—13. IV, 9, 2. III, 30, 10. Sat. I, 10, 30.

3) Carm. III, 21, 1. Epod. 13, 6. Epist. I, 20, 27.

4) Sat. I, 6, 6. 45. Epist. I, 20, 20. Horatius poeta cum se ipse *ingenuum* (Sat. I, 6, 8) appellaverit, dubium non est, quin patri iam non servo sed manumisso natus sit. Unde patri *Horatii* nomen inditum sit, incertum est; fortasse propter tribum *Horatiam*, cui omnes Venusini erant adscripti; aut a domino nomen traxit.

5) Sat. I, 6, 86. *Coactores* pro publicanorum societatibus pecunias exigebant; argentariorum etiam mercenarii erant.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

e centurionibus orti" adibant, sprevit et vendito agello Romam demigravit [6]). Ibi filium ea ratione instituendum curavit, qua nobili loco nati pueri institui solebant; nam et servorum vestimentorumque apparatu ita eum instruxit, ut qui viderent puerum locupletis hominis filium deberent habere, et ipse, ne rustica morum integritas candidusque animi habitus urbana pravitate pessimisque exemplis ubique obviis sensim corrumperetur, „custos incorruptissimus omnes circum doctores aderat". Itaque cum puer grammaticorum scholas [7]) frequentaret et utriusque linguae scriptores et poetas, ex quibus Homerus et Livius Andronicus nominantur (Epist. II, 1, 69. 2, 41), legeret, pater ipse morum erat magister et diligentissimus et sapientissimus. Egregia enim neque satis laudanda libertini hominis fuit in filio educando sapientia, ut rudem eum humanitatisque expertem fuisse vix tibi persuaderi patiaris. Qui omne suum otium omnemque rem in erudiendo filio collocaret, qui optimus paedagogus ubique ipse adesset, qui quid malum quid bonum quid petendum quid fugiendum exemplorum magis [8]) auctoritate quam doctrinae fragilitate suaderet, qui veri boni pulcri naturalem sensum in dies aleret in perpetuumque firmaret, num potest cogitari eum ab elegantioribus litteris alienum prorsus fuisse? Atque etiamsi pater Graecus natione non fuit — id quod facile suspicaberis — puer tamen Horatius in paterna domo utraque lingua [9]) usus esse et a patre prima legendi scribendique elementa doctus iure videbitur. Praeter grammaticam aliis quoque artibus, quibus ingenui [10]) adolescentes imbuebantur, historiae philosophiae arti oratoriae, quamquam diserte eae non nominantur, haud dubie operam

6) Sat. I, 6, 72 sqq. Triplex in hac re mota est a viris doctis quaestio. Ac primum quidem quaeritur, quo anno Horatius puer Romam ductus videatur a patre: quod quidem quamquam certi in tam dubiis indiciis (Epist. II, 1, 70. II, 2, 41) nihil potest affirmari, probabile tamen est factum esse a. 700 vel 701, cum duodecimum aetatis annum ipse ageret. Deinde sunt qui agellum venditum a patre negent, inter bellorum civilium turbas proscriptionibus Horatio ereptum affirment; dicit enim ipse post pugnam Philippensem se neque domum neque fundum in Italia habuisse (Epist. II, 2, 50); sed errare ii videntur. Tum de hoc quoque, utrum pater Horatii coactoris munere Venusiae solum, an Romae solum, an Venusiae et Romae functus sit, certatur; tertium veri videtur simillimum.

7) Ex grammaticis unum nominat *Orbilium Pupillum* Beneventanum, Epist. II, 1, 71.

8) Sat. I, 6, 80 sqq.

9) Graecae linguae in Apulia et Lucania latissimus erat usus. Canusini si bilingues (Sat. I, 10, 30), cur non etiam Venusini?

10) Sat. I, 6, 77.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dedit. Deinde nobilium iuvenum morem secutus, quo discendi sciendique studium melius pleniusque posset explere, Athenas veterem Musarum sedem migravit, quo Theomnesti Academici Cratippi Peripatetici Philodemi Epicurei magna in philosophia nomina multos tum Romanos iuvenes trahebant [11]). Quodsi quis talium rerum curiosus quaerat, quo maxime anno Athenas Horatius petiverit, respondendum est, neque ipsum poetam neque quemquam alium annum notasse, sed cum non possit dubitari quin a. 710 quo Caesar interficeretur Athenis iam fuerit, deinde cum qui iuvenes eo irent annum fere vicesimum agerent, veri simile videri, factum illud esse a. u. c. 708 vel 709. Dura tamen tempora multo eum citius inde avocarunt, quam ipse optasset. Nam cum interea a. 710 C. Iulius Caesar a Bruto sociisque coniurationis interfectus esset, neque eo mortuo Romae quisquam esset qui diversos hominum animos aut pace conciliaret aut vi opprimeret, totum imperium Romanum subito iterum civilis belli incendio flagravit. Antonii potestati ac furori Roma et Italia cesserunt Brutus Cassiusque; Asiam Macedoniam Graeciam occuparunt, magnos exercitus pararunt. Brutus ipse mense Septembri a. 710 Athenas pervenit, quosque ibi invenit iuvenes a litteris in castra duxit. Horatius quoque, qui nobilium iuvenum amicitiam ingenii magnitudine animique praestantia interea sibi comparasset, patriae ac libertatis amore incensus *), numquid restitui posset pristinae virtutis periculum facturus arma capit. Et Bruto duci tam acceptus erat, ut quamvis esset obscuro loco natus neque bellica laude insignis, tamen tribunus militum legioni praeponeretur [12]). Itaque anno 711 relictis Athenis in Asiam traiecisse videtur; nam ne hoc quidem pro certo potest affirmari. Sunt tamen loci, qui persuadeant, non in pugna solum ad Philippos pugnata a partibus eum stetisse Bruti, sed diutius in castris vixisse Asiamque vidisse [13]). Quodsi ita res se habet, Horatius cum exercitu in Europam reversus adversi proelii ac fugae particeps factus [14]) cum Messalla servari beneficio Caesaris Octaviani maluit quam

11) Epist. II, 2, 43 sqq.

*) Epist. II, 2, 47.

12) Sat. I, 6, 48. Epist. I, 20, 93. II, 2, 47.

13) Sat. I, 7 litem *Clazomenis* coram Bruti tribunali actam lepide et ita narrat, ut ipse audivisse eam videatur: Epist. I, 11, 7 *Lebedum* ita describit, ut ipsum ibi fuisse iure existimes; deinde Carm. II, 6, 7. II, 7, 1 loci sunt, qui poetam diutius militasse cogant ut credamus.

14) Carm. II, 7. Epist. II, 2, 49.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dubiam spem armorum diutius tentare. Captum quidem a victoribus eum fuisse docet vita quaedam ex vetusto aliquo codice descripta, sed nihil est auctoritatis quod huic accedat. Iam vero cum usu doctus ipse per hos annos intellexisset, eorum qui ardentissimum patriae ac libertatis amorem prae se ferrent exiguam tantum partem innocentiam integritatemque animi conservasse, plurimos suam utilitatem patriae commodis, ubi occasio data esset, praetulisse, et si victores ex bello discessissent peiores etiam imperium Romanum dominos habiturum fuisse, tum non potuit dubitare, quin ab hac parte vera salus rebus Romanis non deberet exspectari. Quapropter veniam ultro oblatam tristi quidem animo accepit, partes reliquit, in Italiam rediit militiamque detrectavit. Natura enim imbellem [15]) ne tribunatus quidem et militaris honor tenere potuerunt; novam sibi summae laudis viam munivit. In hac re memorabilis est locus Carm. II, 7, 13:

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre,

quo loco significat post magnam cladem relictis castris ad litteras se et carmina aufugisse; poetae enim Mercurii tutela gaudent, inde Mercurialium virorum [16]) nomine ornati. Eadem autem de causa III, 4, 26, quod ex clade et fuga incolumis evaserit, Musarum se gratiae debere ait. Incertum est, ex Macedonia utrum recta via Romam se contulerit an ad inferiorem Italiam appulerit Venusiamque ac natale solum post longam absentiam reviserit. Quibus persuasum est, proscriptione fundum paternum ei ereptum esse, iis hoc quoque, Venusiam prius eum venisse quam Romam, magis videtur probabile: scilicet ubi inventurum se speraret, unde vitam aleret. Sed supra iam indicavi, patrem ipsum videri vendidisse agellum. Praeterea pater mortuus erat, cognati Venusiae non erant, ipse puerulus Romam erat portatus; quid ergo prius ut in Lucaniam iret potuit eum commovere? Et tamen non defuerunt, qui coniectandi libidine vel eo perducerentur, ut, cum Horatius ipse dixisset [17]) ad Palinurum promontorium naufragio se prope demersum olim esse, factum id esse in hoc ex Graecia in Lucaniam reditu nihil dubitarent affirmare. Romae, si fides habenda vitae Sue-

15) Epod. 1, 16.
16) Carm. II, 17, 29.
17) Carm. III, 4, 28.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tonianae, scriptum quaestorium [18]) sibi comparavit i. e. emit; qua ipsa re iterum probatur, omnino opibus eum non caruisse. Nam quod Epist. II, 2, 49 dicit:

> Unde simul primum me dimisere Philippi
> Decisis humilem pennis inopemque paterni
> Et laris et fundi, paupertas impulit audax
> Ut versus facerem,

in eo magnopere cavendum est ne paupertatem ad inopiam augeas; qui locus ut difficillimus est intellectu, ita praemissa de Luculliano milite narratiuncula illustratur. Horatius enim cum non sine multo labore litterarum studiis potentium hominum existimationem et beatioris vitae spem adeptus esset, civilis belli adverso exitu ex curriculo quod inierat eiectum se vidit, neque habuit unde antea initam viam iterum tentaret aut opes aut voluntatem. Patrimonii quod reliquum erat ad honeste vivendum haudquaquam sufficiebat; sed paupertas animum auxit et ita auxit, ut novam sibi laudis viam audacter aperiret. Ipse prope omnia amiserat; quid igitur homines, quales vulgo esse solent, eorumque de se suisque studiis iudicium curaret? Paupertas audaciam dedit, ut versus faceret i. e. ut satiras scriberet in iisque, quaecunque sibi suoque de rebus et humanis et civilibus iudicio ubique displicerent, irrideret ac vituperaret. Sic sensim quod opes praebere non potuerunt, ingenium praebuit; poetica facultas laudem et post laudem rem quoque ei paravit. Hanc inesse patet sententiam in loco, qui et vexatus est diversissime et gravis ad perspiciendas rationes poetae Romam reversi. Hoc tamen noli credere, iuvenem tam splendide a natura exornatum, quem tam aequales quam posteri primum inter omnes eius aetatis lyricos poetas postea colerent, antea nunquam quid ingenio valeret tentavisse; potius misera clades et acerba rerum vicissitudo tantum effecerunt, ut „cui arti animi causa pridem indulsit privatim, eam iam in

18) Fuerunt Romae scribae quaestorii, praetorii, aedilicii, tribunicii, pontificii, in decurias divisi. Ea autem munera venalia erant, quamquam legebantur etiam in decuriam. Cic. in Verr. II, 3, 79 »ordo scribarum honestus est; quis negat? est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae et pericula magistratuum committuntur.« Scribam aliquamdiu Horatium fuisse, etiam locus Sat. II, 6, 36 suadere videtur; sed non potest dici, quamdiu eo munere functus sit; quamquam probabile est, post contractam cum Maecenate familiaritatem scriptum ab eo abiectum et venditum esse.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

re adversa maiore studio et impensiore opera palam exerceret“ [19]). Nimirum non latina solum sed graeca etiam carmina composuerat; quamquam ab his abstinuit, quippe ne ligna in silvam ferre videretur [20]). Quae cum ita sint, haudquaquam potest negari, lyrica quoque carmina iam ab adolescente Horatio fuisse tentata atque in his ipsis quae nunc legimus carminibus inesse nonnulla, quae primis postquam in Italiam reversus est annis composita recte dicamus. Nam quid erat, quod quominus postea inter edenda carmina nonnulla etiam dudum composita in scriniisque servata reciperet eum impediret? Scilicet aliud est quaerere quo tempore singula carmina composuerit, aliud quando coniuncta ediderit. Nam quae carmina composita erant, ea statim cum amicis et aliis, quibus rectum de eiusmodi rebus iudicium esset, communicari, dein postea quae maxime placuissent in unum corpus coniuncta edi et divendi [21]) solebant.

Iam vero cum a patre ita educatus esset Horatius, ut quid honestum esset quid turpe, vita magis et exemplis [22]) quam libris et doctrina cognosceret, deinde Athenis ita philosophos audisset, ut vellet „curvo dignoscere rectum“ [23]), Romam reversus non potuit facere, quin pravas sui temporis cupiditates, corruptos hominum mores, inania civium studia ubicunque occurrerent animadverteret candidoque quo erat animo persequeretur. Nam ut iniquitate fortunae, qua quas merito concepisset spes irritas videret, paulum exacerbatus fuerit, hoc tamen tenendum est, acerbam sortis vicissitudinem aut suarum rerum desperationem praecipuas causas, quibus ad castigandos mores irridendamque stultitiam ageretur, non fuisse; sed proprio quodam veri et honesti amore, falsi et turpis odio seque ipsum in dies meliorem reddendi studio eum fuisse incitatum, ut „ridendo diceret verum“ [24]). Quare primis annis Satiris scribendis et Iambis [25]) magnam operam dedit, iisque ut multorum quos veritate et ludibrio tetigisset invidiam [26]) et

19) *Franke* fast. Horat. p. 20.
20) Sat. I, 10, 30—35.
21) Fuerunt etiam tum quos nunc bibliopolas appellamus; in iisque nominantur fratres *Sosii* Epist. I, 20, 2. A. P. 345; sed pretium eos scriptoribus dedisse, eius rei apud antiquos vestigium non est.
22) Sat. I, 4, 105 sqq.
23) Epist. II, 2, 44.
24) Sat. I, 1, 24. I, 4, 134—139.
25) Iambi sunt, quos metri ratione habita *epodos* solemus appellare. Epist. II, 2, 59.
26) Sat. I, 3, 25. I, 4, 23 sq. 78 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

odium, ita optimi cuiusque existimationem et amorem sibi conciliavit. Contra adversarios suam agendi scribendique rationem ingeniose et liberaliter defendit, ipsaque hac defensione novas adeptus est satirarum occasiones. Cum optimis et poetis eius aetatis et artium fautoribus amicitiam contraxit; inter quos nominandi sunt Plotius Tucca, C. Valgius Rufus, Aristius Fuscus, fratres Visci, Bibulus, Varius, Virgilius [27]), Asinius Pollio, Messalla Corvinus, alii. Varius autem et Virgilius poeta, quorum iam tum nomina erant celebratissima, *C. Cilnio Maecenati* eum commendarunt. Qui vir, nobili loco natus, apud Caesarem Octavianum longe gratiosissimus, ad pacandam civitatem et ad bene administrandam rempublicam efficacissimus, litterarum bonarumque artium studiis deditissimus, cum primum quid in Horatio esset cognovit, tanto hunc honore cumulavit tamque teneris vinculis sibi devinxit, ut sensim exorta intima familiaritate neque ea unquam turbata usque ad mortem ambo coniuncti manerent. Iam quaeritur, quo primum anno Horatius a Maecenate acceptus videatur. Atque in hac quoque re invenienda ipse nos ducit. Sexta enim satira libri secundi recte iudicantibus a. 723 a. u. c. (aet. Hor. 34) scripta videtur; iam cum ibi v. 40 sqq. scriptum legamus:

Septimus octavo propior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero,

efficitur [28]), exortam esse inter hos viros amicitiam a. u. c. 716 exeunte vel incipiente a. 717. Neque vero imprudens erat Maecenas, cum qui olim ab adversa parte Brutianorum stetisset poeta primum ad se adduceretur. Nam audi iterum Horatium Sat. I, 6, 54 sqq.:

Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat multa profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed quod eram narro. Respondes ut tuus est mos

27) Sat. I, 10, 81 sqq. I, 9, 61.

28) In illis versibus difficile est ad intelligendum, quomodo errari potuerit. Ac fuerunt tamen qui *septimum octavo propiorem* annum *nonum* putarent. Est autem septimus nondum finitus, sed ad finem vergens, propior insequentis anni i. e. octavi initio.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pauca, abeo, et *revocas nono post mense* iubesque
Esse in amicorum numero.

Quare primum commendatus est Maecenati exeunte a. u. c. 715 vel initio a. 716. Sed vide; non una sed iterata opus fuit commendatione; maximam tamen haud dubie excitavit gratiam ipsius praesentis modestia, quae quanta in hoc fuerit lege et admirare. Obtrectatorum tamen vile genus sua cupiditate occaecatum non vidit, quod aliud divitem ac nobilem cum obscuro atque paupere homine coniungere posset vinculum, nisi ut alter haberet qui se adularetur, alter qui sibi largiretur. Atque ea de Horatio opinio tam vulgata fuit, ut publice ab eiusmodi criminationibus se defendere necesse haberet. Quod quidem quemadmodum fecerit, quam Maecenatis gratia non sit usus ad colligendas opes, ad captandos honores, quanti tranquillitatem animi et otium vitae prae divitiis et honoribus habuerit, quo denique candore animi et sinceritate amoris amicum semper prosecutus sit, haec omnia tu ipse videas ex his potissimum locis: Sat. I, 6, 92 sqq. I, 9, 43 sqq. II, 6, 41 sqq. Epist. I, 7, 34 sqq. Epod. 1, 5. Carm. IV, 11, 18 sqq. II, 17. Verum enim vero qui si voluisset magnas etiam opes et a Maecenate et postea ab Augusto quoque accipere potuisset, quam parvo eum munere contentum et beatum vides! Is enim curas et molestias Urbis perosus, naturae eiusque amoenitatum amantissimus (Epist. II, 2, 77), rusticam vitam et solitudinem splendori et ambitioni urbanae in annos magis praeferens quid aliud ab opulentissimo amico accepit, nisi unam parvulamque villam, omnia vota satis superque explentem [29])? Villae autem tabulam ab ipso pictam habemus Epist. I, 16, 5 sqq. Sita erat in Sabinis haud procul Tiburc Aquilonem versus; additus ager coniunctus erat ex quinque agricolarum Sabinorum agris [30]), qui proscriptione et distributione agraria bello civili ad Maecenatem pervenerant, et satis magnus, ut praeter villicum octo [31]) ibi servos Horatius habe-

29) Sat. II, 6, 1 sqq. Carm. III, 16, 37—44. Quo anno a Maecenate villam dono acceperit, non potest accurate dici. Hoc tamen certum videtur, factum id esse ante a. 721; nam cum Satiram II, 3 scriberet, villam Horatius iam habuit; cf. v. 5. 10; ea autem satira scripta videtur ipsis Saturnalibus (mens. Decembr. eius anni. Epod. 1, 25. 31 ostendit, ante pugnam Actiacam (a. u. 724) villam ei datam esse.

30) Epist. 1, 14, 2.

31) Sat. II, 7, 118.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ret. Vicina erant Varia oppidum [32]), Mandela pagus [33]), Vacunae antiquae Sabinorum deae fanum [34]); propinqui montes Lucretilis et Ustica [35]); vallis irrigabatur Digentia rivo [36]), tota regio silvis et saxis egregie erat variata [37]). Sed haec de villa. Redeamus ad Horatium. Cui Maecenatis familiaritas Augusti etiam favorem conciliavit; quem quidem multi etiam nunc in criminationem ei verterunt. Nam profecto, inquit, quae tandem ea fuit hominis constantia, qui quem iuvenis odisset, contra quem cum Bruto armatus stetisset, eundem vir factus coleret et divino prope honore veneraretur? Et tamen nihil in hac re inest neque proditionis neque assentationis. Etenim semper Horatius sibi fuit constans; vero et sincero patriae amore adolescens Brutum secutus est, eodem vir Augustum admiratus. Nam cum Caesare interfecto Athenis philosophiae deditus cum prisca libertate priscam etiam morum integritatem, in qua summam rei publicae salutem positam esse cerneret, restitutum iri calido animo speraret, deinde Brutum

32) Epist. I, 14, 3.
33) Epist. I, 18, 105.
34) Epist. I, 10, 49.
35) Carm. I, 17, 1—11. Ustica autem vallis quoque nominabatur.
36) Epist. I, 18, 104.
37) Epist. I, 14, 19. Carm. I, 22, 9. Scripserunt de villa Horatii post *Cluverum* (Italia antiqua p. 783) et *Holstenium* (adnot. in Claver. Ital. antiq. p. 190) *Capmartin de Chaupy* (Rom. 1769. 3 voll.) et nuper *Noël des Vergers* (Etude biographique sur Horace. Paris Didot. 1855), apud quem p. 35 haec leguntur: MM. Firmin Didot, désirant que la nouvelle édition des Oeuvres d'Horace, qu'ils se préparaient à publier, contînt les détails les plus précis sur les lieux qu'avait habités le poëte, je me rendis, en 1854, dans la vallée de la Digentia. Voulant en faire dresser une carte exacte, j'avais pris pour compagnon de voyage l'habile architecte M. *Pietro Rosa*. Resté dans la contrée pour les travaux dont il s'était chargé, M. *Rosa* y a fait de longues études et a exploré tous les alentours. Ce sont les études qui l'ont amené à reconnaître, derrière le petit village de *Rocca Giovanne*, l'emplacement designé sur la carte comme celui de la villa d'Horace«. Hunc igitur si sequimur, *Varia* oppidum situm erat, ubi nunc vicus est *Vicovaro*, *Mandelae* pago hodie nomen est *Cantalupo in Bardella*; *Digentia* nunc appellatur *Licenza* et influit in Anienem duo MM passuum a *Vicovaro*; *fanum Vacunae* situm erat ubi nunc est *Rocca Giovanne*, parvus pagus in summo colle quattuor MM pass. a rivo Digentiae situs; *Lucretilis* mons hodie appellatur *Corgnaleto*. De *fonte Bandusiae* (Hor. Carm. III, 13) haec habet: »Il est probable que c'est un souvenir de Venusia sa patrie. Du moins peut-on citer à l'appui de cette opinion un passage du Bullaire romain. Une bulle du pape Pascal II, datée de l'an 1103, parle non seulement d'un bourg *Bandusium*, placé près de Venouse, mais encore d'une église de Saint-Gervais et Saint-Protais qui s'élève dans le même lieu, sur les bords de la fontaine de Bandusie (Ecclesiam S. Salvatoris cum aliis ecclesiis de castello *Bandusi*. Item ecclesiam SS. MM. Gervasi et Protasi in Bandusino fonte apud Venusium).«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

videret hominem integerrimum unoque et vero patriae amore ardentem, tum ne ipse quidem studium quo has partes amplectebatur simulavit. At vero ea exspectatione quantopere cum ab hac parte nihil prope nisi privati commodi aucupium regnare intellexisset, deceptus sit supra iam dictum est. Quid ergo? Bruto voluntaria morte oppresso libertatem populo Romano servari ea iam aetate non posse, bellis civilibus nihil esse perniciosius, fato ipso dominum imperio parari, nemini tum non fuit clarum, nisi qui nimia animi atrocitate ductus diis ipsis posse repugnari confideret. Sed non multi fuerunt Catones. Et bene quidem. Otium et pacem quam maxime petenda esse cum optimis quibusque Horatius existimavit. Inde primo iam post cladem Philippensem anno (713), cum bellum Perusinum immineret, conqueritur Epod. 16:

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.

et tertio anno post Epod. 7, 1:

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

deinde v. 9 sqq.:

Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.
Furorne caecus an rapit vis acrior?
An culpa?

Haec igitur iam tunc; Octavianum autem res in Italia tenentem quis non perspexit multo praestantiorem esse Antonio, qui Cleopatrae et luxuriae illecebris captus quidquid Romano nomine dignum videbatur amisit abiecit perdidit. Qui si victor ex instanti et inevitabili certamine prodiret, quid factum esset de Roma urbe, de toto imperio, de disciplina Romana? Quid quod Cleopatra et spadones, mollities et omnis Asiaticorum regnorum pestis Italiam et Urbem irruissent? Quid igitur mirum, quod Horatius sensim Octavianum unum haberet, qui honorem et dignitatem Romanam tutari et ab extrema pernicie servare et vellet et posset? Hanc spem expressam habemus Epod. 13, 7 sqq.:

Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus,

et Carm. I, 9, 9 sqq.:

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec etc.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere [38]).

Quod cum ita esset, tamen in Octaviani se amicitiam insinuare nihil studuit; immo vero cum iam familiaris esset Maecenati atque huic quo in eum animo esset aperte ostenderet, ab Octaviani laudibus tantopere abstinuit, ut quotiescunque opportuna occasio eius praedicandi praeberetur, eam omittere mallet quam assentari videri. In cuius rei testimonium duo affero carmina, alterum ante pugnam Actiacam scriptum, alterum post pugnam, Epod. 1 et Carm. I. 37, in quibus si voluisset adulari, quid prohibuit quominus idem faceret, quod Virgilium [39]) fecisse videmus? Quid quod postea, cum inter omnes potentissimus esset Octavianus, ad cuius arbitrium et nutum omnes se fingerent et accommodarent, eius consuetudinem non solum non quaesivit sed etiam recusavit? Nam sic legimus in Vita Suetoniana: „Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *„„Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam et nos in epistolis scribendis adiuvabit.““* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quidquam aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolae, e quibus argumenti gratia pauca subieci. *„„Sume tibi aliquid iuris apud me, tanquam si convictor mihi fueris: quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri potuisset.““* Et rursus: *„„Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.““* Quo factum est, ut Octavianus cum Sermonibus quibusdam lectis sui nullam mentionem iniectam reperisset, sic quererе-

38) Utrumque carmen anno fere 713 scriptum puto.

39) Virgil. Aen. VIII, 675 sqq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tur: „*Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse*“ [40])? Iam quis et qui blandiatur? Imperator, opinor, non poeta; uterque tamen pari honore dignus. Et tamen apud nonnullos certe posteros infame fuit poetae, quod imperatori visus est familiaris esse. Quippe fuerunt quidem qui sic solerent clamare: qui mortalem hominem et eum quidem hominem qui patriam, cuius amorem fingebat, libertate privaverat, inter deos referre [41]) non dubitabat, eum tu adulatorem non esse defendis? Ego vero defendo. Et primum cur Caesarem laudaverit, ipse non celavit; nimirum Caesar orbi terrarum pacem reddidit [42]); tum quod divino honore eum affecit, in eo noli oblivisci, alios fuisse antiquos mores, alios esse nostros. Antiquis omnia magna et praeclara ex ipsis diis ita nasci videbantur, ut medium nihil intercederet, neque erat insolitum ut vivis etiam hominibus bene de republica meritis arae ponerentur; quod factum scimus T. Quinctio Flaminino [43]) apud Graecos a. 556 u. c., aliis non paucis. Sed haec hactenus; antequam tamen ad alia pergam, non possum facere, quin paucis moneam, quanti Horatius eo etiam tempore, quo Maecenatis et Octaviani gratia floreret, Brutum et alios quos olim socios habuisset aestimaverit; quam non sit veritus illorum temporum meminisse, quibus contra Octavianum pugnaret [44]), et ita memoriam et odium fortasse adversarii renovare. En habes constantiam viri, sed sapientia temperatam!

Romae quomodo Horatius vixerit, ab omnibus curis et officiis liber et alienus, iucunde ipse descripsit Sat. I, 6, 110 sqq.; sed villa accepta Romae non semper mansit, effugit saepissime strepitum et clamorem Urbis, in ea re non constans sed ut animus suaderet agens [45]). Solebat etiam, praecipue cum ur-

40) Tamen Augusti iussu a. u. c. 737 carmen saeculare ad celebrandos ludos saeculares composuit, deinde eodem rogante quartum Carminum librum superioribus addidisse fertur. Sic legimus in eadem vita.

41) Carm. I, 2, 45—52. I, 12, 49—52. III, 3, 11 sq. III, 4, 37 sqq. III, 25, 4—7. IV, 2, 37—40. IV, 5. 33—36. III, 5, 2.

42) Carm. III, 14, 13—16. cf. III, 24, 25—30. IV, 5, 17 sqq. IV, 14, 37 sqq. IV, 15, 4 sqq. 17 sqq. C. S. 57 sqq.

43) Plut. Flamin. 16.

44) Carm. II, 7, 1. 11. II, 1, 3 sq. 24. Epist. II, 2, 48. Carm. I, 12, 35 sqq.

45) Lege lepidam de hac re narrationem Sat. II, 7, 28 sqq. Epist. I, 8. Epist. I, 10, 6 sqq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gente calore solis febres urbem invaderent infirmisque Romae manere periculosum esset, ad mare descendere [46]) et balneis uti. Unde elucet, tantam eum rem habuisse, quanta ad honeste vivendum sufficeret, nimirum homini paucis contento, opiparas dapes et magnifica aedificia unice contemnenti [47]).

Ad quam excelsam de rerum vanitate sententiam elatus est Horatius philosophiae studio, in quam ita incubuit, ut non uni alterive disciplinae se addiceret, sed omnibus eandem curam navaret ex omnibusque quae utilissima viderentur et rectissima in vitae usum converteret. Merito eam optimam habuit philosophiam, quae ad bene et sapienter vivendum plurimum conferret, quaque homines facillime ad summum bonum perducerentur. Quod quidem Horatio visum est cerni in animi continentia et tranquillitate; qua efficitur, ut neque inanibus curis aut formidinibus terreamur neque externis bonis iusto maius tribuamus pretium, ad omnes casus aeque parati. Praeclare de hac re disputantem invenies in Epist. I, 6 [48]). Cavendum esse docet, ne animus perturbationibus distrahatur; his culpam comitem esse; his abigi otium „non gemmis neque purpura venale nec auro“ [49]). Communem esse omni generi humano mortem; quare insani esse undique corradere et coacervare quae post mortem heredibus saepe ingratis relinquantur [50]), sapientis iis sapienter uti quae parata sint. Deorum potentiam esse colendam; a diis omne petendum esse principium, ad eosdem omnem exitum rerum referendum [51]). Quare quoties ex periculis ereptus est, id cura et providentia divina factum ostendit; veluti cum in Vulture, monte Apuliae, ludo somnoque oppressus humi cubaret divino auxilio tutus a viperarum et ursorum letifero morsu [52]), vel cum in Sabina silva in devias regiones delato ingens lupus innoxius obviam iret [53]), vel cum in agro suo Sabino cadente arbore paene opprimeretur [54]); atque etiam quod incolumis ex caede Philippensi evasit, quod ex naufragio vitam servavit, grato animo deo-

46) Epist. I, 7, 11. I, 15, 18.
47) Carm. I, 38. III, 16, 17—44. II, 15. I, 31, 15 sqq. Epist. I, 10, 39 sqq. I, 12, 5 sqq. I, 18, 104—112. Sat. I, 1, 44 sqq.
48) Cf. Epist. I, 11, 22 sqq. Carm. II, 3, II, 10.
49) Carm. II, 16, 7.
50) Carm. II, 3, 17. II, 14, 21.
51) Carm. I, 34, 1 sqq. I, 35, 1 sqq. III, 6, 5 sqq. III, 4, 65 sqq.
52) Carm. III, 4, 9—20.
53) Carm. I, 22, 9 sqq.
54) Carm. II, 13. III, 4, 27. III, 8, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rum praesenti tutela factum esse profitetur[55]). Sed sufficiant haec de pietate Horatii erga deos. De amicitia, quam Maecenati perpetuam servavit, iam dictum est; restat ut de alia animi affectione paucis dicatur, quae haud parvas ei criminationes creavit.

Non semel Horatius Musam suam iocosam appellat et amoribus deditam[56]). Sed non defuerunt, qui veros poetae amores intelligendos esse paene ubique negarent neque in multis carminibus ad exemplaria graeca magnam partem expressis quidquam aliud viderent nisi lusus quosdam poeticos ab animo poetae alienissimos. Qui si satis recordarentur, qualis esset lyrica poesis, quamque indignum poeta vere lyrico, alienos sensus imitantem nihil prope ex suo animo aut vita haurire, longe aliter iudicarent. Antiquitas ad nostros mores non est revocanda; in qua honestum fuit, frequenti recordatione et imitatione bonorum scriptorum doctrinae elegantiam scientiaeque amplitudinem prae se ferre. Quamquam igitur negari non potest, Horatio graecos saepe poetas exemplo fuisse, tamen ubi et qua ratione fuerint, quis nunc deperditis illis lyricis ubique dicat? Neque quidquam magis potest esse perversum, quam ubicunque duorum poetarum similes quaedam sententiae reperiantur, ibi alterum pracisse alterum imitatum esse confestim divinare*). Sed cum dubia res sit, cavendum est, ne

55) III, 4, 25 sqq.

56) Carm. I, 6, 17. I, 19, 9 sqq. II, 12, 14 sqq. II, 1, 37 sqq. III, 3, 69. Epist. II, 2, 56.

*) cf. *Gercke* Q. Horatii Fl. carmin. lib. I. collatis scriptoribus Graecis illustrati specimen. Halis 1853. p. VIII. »Qui paullo accuratius in ea re versatus fuit, facile invenerit, non esse consuetudinis Horatianae integra Graecorum carmina imitatione exprimere et eadem sententiarum serie, nedum iisdem verbis, Latine reddere. *Exordia* carminum, unde initium dicendi et propositum sumat, et principales *sententias*, in conspicua plerumque sede vel in principio vel in media parte vel in clausula collocatas, quibus carmina sua distinguat et doctos amicos moveat vel oblectet, a Graecis auctoribus repetere solet, ut multiplicem illum, ac varium *orationis ornatum*, in quo vix dici potest, quantopere e Graecis suis exemplaribus pendeat.« ibid. p. XXI: »Horatius postquam initio sane Graecos paullo sollicitius expressit, inde a libro secundo Carminum omnia ad suum iudicium conformare coepit, in tertio et quarto Graeca non mutuatus est nisi ut Graecorum suavitatem locis aliquot adderet.« ibid. p. XXII: Quoniam hoc quoque vidimus, eam imitationem ab eodem per diversissimos locos dispersam fuisse, ut non de scripto sed ex memoria plerumque facta videatur, Graeca Horatii interpretatio eo diligentior esse debet, quo verius quasi dispersa disiectorum membrorum collectio vocari potest. Saepenumero mente potius quam oculis cernitur, insignem quandam Graeci scriptoris sententiam ab Horatio arreptam et pertractatam esse, ut in verbis quidem nulla admodum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

alia nomina vera habeamus, nisi quae et locorum et temporum et rerum coniuncta necessitate fictionem excludant. Accedit non omnino improbanda coniectura, posse etiam sub diversis nominibus unam personam latere; cum praesertim inveniantur quae a corporis vel animi facultatibus sumpta esse pateat, ut Pyrrha, Glycera, Lalage, Neaera. Virilia nomina in carminibus, nisi quae virorum sunt gestarum rerum splendore nobilium, non latina esse solent sed graeca. Quod quidem factum putamus, ut graecum carminum genus in hac quoque re suam naturam teneret. Deinde a Romanis iuvenilia nomina, quae pueri ante quam togam virilem sumerent, puellae ante quam nuberent habere solebant, diutius etiam, inter familiares maxime, servata esse probabile est. Ut exempla proponam, Augustus puer *Thurinus* solebat appellari, neque aliud est nomen imperatoris *Caligulae*, aut cognomen M' Curii *Dentati*, qui cum dentibus natus erat. Puellarum iuvenilia nomina saepe sumebantur a colore sive capilli sive oculorum, ut Rufa, Rufilla, Rutila, Caesulla, Ravilla. Eius modi igitur nomina, cum nescio quid poeticae naturae haberent, in Horatii carmina videntur esse recepta.

Talis igitur poeta fuit, quem Quinctilianus instit. orat. X, 1, 96 fere solum ex lyricis latinis dignum habuit qui legeretur, quem sua vaticinatio immortalitatis non fefellit[57]; nam inter omnes quotquot in quibuscunque terris fuerunt lyrici nemo fuit qui hunc maiore honore et crebriore omnium lectione unquam superaverit. Decessit Horatius C. Marcio Censorino C. Asinio Gallo Coss., anno u. c. 746 (aetatis 57) a. d. V. Kal. Decembr., subita vi mortis oppressus „herede Augusto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum“[58]. Hic autem eodem anno supremum diem antea obierat, postquam quanti illum habuisset etiam testamento prodidit; in quo ad Augu-

similitudo appareat, si tamen inventionem et totam artem paullo accuratius inspexeris, non possis dubitare, quin eam Graecorum studio debeat.« De eadem re docta commentatio est *Theodori Arnoldi*, ab *Ecksteinio* annis 1855. 1856 Halis edita; ac de Horatio Euripidis imitatore *Antonius Goebelius* diligentissime scripsit, cuius commentationem reperies in Mützelii Annal. (Zeitschr. f. d. Gymnasialw.) 1851. p. 298 sqq.

57) Carm. II, 20, 17. III, 30, 7.

58) Vita Sueton. 20.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

stum haec scripserat: „*Horatii Flacci ut mei esto memor.*“ Quos vita coniunxerat, ne mors quidem secernere voluit; hoc ita fore iam dudum poetae animus praesenserat, dixerat, sacramento firmaverat[59]). Quali is corpore animique temperamento fuerit, ipse tradit. Fuit enim statura brevis[60]), nigris oculis[61]), nigris capillis[62]), sed praecanis[63]); iuvenili aetate cum bona valetudine usus esse videatur[64]), nisi quod interdum fortasse lippis oculis laboraret[65]), vir factus multo fuit infirmior[66]) et pinguis, ut ventriculo etiam premeretur[67]); ceterum adolescens calidus et postea quoque ad irascendum celer, sed ut esset placabilis[68]); in corporis cultu paulo negligentior[69]).

De temporibus, quibus Horatii opera edita esse videntur, multae a multis viris doctis institutae sunt quaestiones, et singularem librum Frankius conscripsit Berolini 1839, cui titulus *Fasti Horatiani*; qui cum omnino accurate et diligenter quaesiverit, inde „conspectum temporum, quibus Horatius opera scripsit et edidit“, (p. 80 sq.) transscribam:

1. *Sermonum liber I* ab anno u. c. 713 usque ad annum 720 compositus (41—34 a. Christ. n.; aetatis ann. 24—31) prodiit monobiblos a. 719 (35 a. Chr.; aetat. a. 30).
2. *Sermonum liber II* intra annos u. c. 719 et 724 (35—30 a. Chr.; aetatis ann. 30—35) scriptus publici iuris factus est anno u. c. 724.
3. *Epodon liber* ab anno u. c. 713 ad annum usque u. c. 724 (41—30 a. Chr. n.; aetat. ann. 24—35) confectus editus est anno u. c. 724 vel 725 (30 vel 29 a. Chr.; aetatis anno 35 vel 36).
4. *Carminum libri tres priores* intra annos u. c. 724 et 730 (30—24 a. Chr.; aetat. ann. 35—41) exarati fine anni u. c. 730 aut initio proximi coniunctim evulgati sunt[70]).
5. *Epistolarum liber I* ab anno u. c. 730 usque ad VI. Id.

59) Carm. II, 17, 8—16.
60) Epist. I, 20, 24.
61) A. P. 37.
62) Epist. I, 7, 26.
63) Epist. I, 20, 24. Carm. III, 14, 25.
64) Epist. I, 7, 26.
65) Sat. I, 5, 30.
66) Epist. I, 7, 3 sqq. 25 sqq.
67) Epist. I, 4, 15. Idem probatur epistolae Augusti fragmento, in quo haec sunt: »si tibi statura deest, corpusculum non deest.«
68) Carm. I, 16, 22 sqq. III, 14, 27. Epist. I, 20, 25.
69) Epist. I, 1, 94.
70) Non possum praeterire quin Frankium in his assentientem me habere negem. Concedo editos esse libros a. 730 vel 731; sed in iis carmina esse ante annum 724 confecta vehementer aio. Dicendum potius

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Decembr. anni 734 (24—20 a. Chr.; aetat. ann. 41—45) perfectus exiit ante diem Horatii natalem anni u. c. 734 (20 a. Chr.).

6. *Carmen saeculare* anno u. c. 737 edolatum emissumque est (ann. 17 a. Chr.; aetat. anno 48).
7. *Carminum liber IV* intra annos u. c. 737 et 741 (17 a. Chr. — 13 a. Chr.; aetatis annos 48—52) confectus et anno 741 editus est[71]).
8. *Epistolarum liber II* primo iam edito et post carmen saeculare scriptus est, sed incertum quo anno.
9. De *artis poeticae* aetate nil constat.

De *ordine*, quo carmina nunc per libros disposita habemus, hoc mihi videor affirmare posse, eum non casu quodam factum sed ipsius poetae consilio ac voluntate institutum esse. Videtur enim poeta Maecenatis gratiam et amicitiam etiam loco quo carmina ad optimum patronum conscripta inter reliqua librorum carmina collocavit, illustrare voluisse.

Primus *Carminum* liber *duo* habet carmina ad Maecenatem scripta, c. 1 et c. 20. Ea autem posita sunt in initiis prioris et posterioris partis libri; utraque enim pars habet 19 carmina.

Alter *Carminum* liber plurimam partem eorum comprehendit, quae ad amicos scripta sunt; atque inter 13 eiusmodi carmina *tria* sunt ad Maecenatem data, quae quidem omnia (12. 17. 20) et in altera parte libri reperiuntur et totum librum claudunt (c. 20).

Tertius *Carminum* liber habet 30 carmina in iisque *tria* ad Maecenatem (c. 8. 16. 29). Ex his unum (c. 16) inferiorem partem totius libri aperit, alterum (c. 8) mediam sedem superioris partis occupavit, tertium (c. 29) libri quasi agmen claudit, nam quod restat c. 30 non tam huius solius libri quam trium librorum finem facit. In fronte libri maluit collocare magna illa de salute civitatis carmina.

Epodon liber habet 17 carmina in iisque 4 ad Maecenatem

carminum libros tres scriptos intra annos 713 et 730 vel 731, coniunctim editos esse a. 730 vel 731.

71) Idem dicendum quod de tribus prioribus libris; in hoc quoque veri simile est inesse carmina dudum confecta et diu in scriniis servata. De Epistolarum l. I. monendum est, probabiliorem fortasse aliorum esse sententiam, qua primus epist. liber anno demum 735 vel 736 editus esse dicitur. Cfr. Duentzer Kritik u. Erkl. T. III. p. 68 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

data; ea autem ita disposita reperies, ut unum primam sedem (ep. 1), alterum mediam (ep. 9) obtineat, reliqua duo inter primam et mediam (ep. 3) atque inter mediam et extremam sedem (ep. 14) collocata sint. Gravia et severa carmina (ep. 1. 9) primam et mediam sedem occuparunt, iocosa et lepida (ep. 3. 14) intermixta sunt.

Sat. lib. I habet 10 satiras; quas quum in duas et aequales partes disieceris, videbis utriusque partis initia duabus satiris data esse, quibus Maecenatem poeta alloquitur (sat. 1. 6).

Sat. lib. II non habet sermonem ad Maecenatem scriptum; sed mentio eius saepius fit (3, 212. 6, 31. 41. 7, 33. 8, 22).

Epist. lib. I continet 20 epistolas, ex quibus ultima reliquis quasi comes data est; inter reliquas autem et prima et postrema ad Maecenatem scriptae sunt (ep. 1. 19); praeterea ad eundem missa est septima.

In quarto *Carminum* libro non reperitur carmen, quo poeta Maecenatem alloquatur. Semel tantum eius mentio fit in medio carmine 11. Sed totus liber in honorem Augusti ac Neronum editus esse dicitur.

De *Epist.* libro II nihil dicendum est. Iam vide, num recte sic scripserit *Peerlkampus*: „Ipse (Horatius), subito mortuus, neque extremam manum operi suo admovit neque libellos in unum corpus collegit. Carmina, eo mortuo reperta, amici ediderunt, addita deinde suo quaeque generi, Hexametra Hexametris, Lyrica Lyricis.“ Neque amici poetae neque postea grammatici illum ordinem constituissent; amici non habuerunt, cur Maecenati, iam mortuo, tantum honorem tribuerent, grammatici ordinem direxissent ad similitudinem vel argumenti vel metri vel personarum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tabula chronologica.

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
689.	1.	L. Aurelius Cotta L. ManliusTorquatus.	Q. Horatius Flaccus nascitur.
701.	12.	Cn. Domitius Calvinus M. Valerius Messalla.	Hoc vel superiore anno Horatius Romam venisse videtur.
708.	19.	C. Iulius Caesar III. M. Aemilius Lepidus.	Bellum Africanum. Ad Thapsum pugnatur. M. Cato Uticae moritur, Caesar quater triumphat, ex Gallia. ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa. Caesar contra Pompeios in Hispaniam proficiscitur.
709.	20.	C. Iulius Caesar IV. dictator.	Horatius studiorum causa Athenas proficiscitur. Annus Iulianus primus. Bellum Hispaniense. Caesaris triumphus ex Hispania. C. Asinius Pollio Caesaris legatus in Hispania, tum annum agens trigesimum secundum.
710.	21.	C. Iulius Caesar V. M. Antonius. In Caesaris locum suffectus est P. Cornelius Dolabella.	Idibus Martiis Caesar interficitur. Brutus et Cassius Roma relicta in Graeciam secedunt. Brutus Horatium Athenis in castra deducit.
711.	22.	C. Vibius Pansa A. Hirtius. C. Iulius Caesar Octavianus Q. Pedius suffecti.	C. Caesar Octavianus M. Antonius M. Lepidus triumviri reipublicae constituendae in quinque annos instituuntur et provincias inter se distribuunt. Bellum inter hos et Brutum paratur. Horatius in castris Brutianis legioni tribunus militum praeest. — Ovidius nascitur; non multo ante Propertius (707); Tibullus, ut videtur, iam a. 695.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

	Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
42	712.	23.	M. Aemilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.	Apud Philippos bis pugnatur. Cassius et Brutus ipsi manum sibi inferunt. — Tiberius Claudius Nero nascitur. Pollio Transpadanam Italiae partem tenet et agris praeest dividundis. Virgilii Bucolica.
41	713.	24.	L. Antonius Pietas P. Servilius Vatia Isauricus II.	Horatius impunitate accepta Romam redit et ab armis discedit. Sunt qui in reditu ad Palinurum promontorium paene oppressum credant; sed nihil certi. M. Antonius in Asia, deinde in Aegypto apud Cleopatram.
40	714.	25.	Cn. Domitius Calvinus C. Asinius Pollio. Suffecti L. Cornelius Balbus P. Canidius.	Bellum Perusinum. Pax inter Octavianum et Antonium Brundusii restituta. Parthi Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce in Syriam irrumpunt victoque Decidio Saxa, M. Antonii legato, totam eam provinciam occupant. — Virgilius a Pollione ad Maecenatem ductus agrum Mantuanum recipit.
39	715.	26.	L. Marcius Censorinus C. Calvisius Sabinus.	Cum Sex. Pompeio apud Misenum pax inita. Octavianus in Galliam, Antonius Athenas proficiscitur. P. Ventidius, Antonii legatus, Parthos proelio victos Syria expellit, Labieno occiso. Asinius Pollio ab Antonio contra Parthinos missus. Pollionis de iisdem triumphus. Horatius a Virgilio et Vario Maecenati commendatur.
38	716.	27.	Appius Claudius Pulcher C. Norbanus Flaccus.	Horatius in Maecenatis amicitiam receptus. Sex. Pompeius rursus mare infestum reddit; Caesar bello adversus eum suscepto duobus navalibus proeliis dubio eventu pugnat,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
			classes duplici naufragio amittit. P. Ventidius Pacorum, Parthorum regis filium, interficit eo ipso die, quo a. 701 Crassus a Parthis erat occisus. M. Vipsanius Agrippa in Aquitania rem prospere gerit, gentem Ubiorum Rheno transgressam in fidem accipit.
37 717.	28.	M. Vipsanius Agrippa L. Caninius Gallus. In eius locum suff. T. Statilius Taurus.	Horatius cum Maecenate Virgilio Vario aliis Brundusium profectus; iter descriptum Sat. I, 5. Foedus Tarentinum inter Octavianum et Antonium; triumviratus in quinque annos continuatur. Ab Asinio Pollione prima Romae bibliotheca publicata.
36 718.	29.	L. Gellius Poplicola M. Cocceius Nerva.	Victo Sexto Pompeio Octavianus Romam reversus magnis honoribus excipitur. C. Cilnius Maecenas urbis custodiis praepositus. M. Antonius Parthis bellum infert, eodem anno rebus infeliciter gestis ad Cleopatram redit.
35 719.	30.	L. Cornificius Sext. Pompeius fil.	Phraates, rex Parthorum, propter crudelitatem regno eiicitur, quod ad Teridatem pervenit. Caesar Illyrico et Pannoniae bellum infert. — Horatius primum Satirarum librum edidisse videtur.
720.	31.	M. Antonius II. L. Scribonius Libo. Suffecti L. Sempronius P. Aemilius Lepidus C. Memmius Picens M. Herennius.	Antonius Artavasdem, Armeniae regem, in vincula coniici iubet regnumque Armeniae filio suo ex Cleopatra nato tradit.
33 721.	32.	Caes. Octavianus II.	Ante hunc annum Horatius villam Sa-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
		L. Volcatius Tullus. Suff. P. Autronius Paetus L. Flavius C. Fonteius Capito. M. Acilius Aviola L. Vinicius L. Laronius.	binam dono accepit a Maecenate. M. Vipsanius Agrippa hoc anno aedilis ductus Appiae, Anienis, Marciae paene dilapsos restituit et singulari cura compluribus salientibus aquis instruxit urbem; idem mathematicos magosque Roma urbe expulit. C. Melissus grammaticus bibliothecae publicae in Octaviae porticu collocatae praepositus.
722.	33.	Cn. Domitius Ahenobarbus C. Sosius. Suff. L. Cornelius M. Valerius.	Munatius Plancus ab Antonio ad Caesarem transit. Magni apparatus belli.
723.	34.	Caes. Octavianus III. M. Valerius Messala. Suff. M. Titius Cn. Pompeius.	Horatius Maecenati ad bellum ituro comitem se paratum ait Epod. I. Maecenas urbis et Italiae custodiis iterum praeponitur. Pugna Actiaca a. d. IV. Non. Septembr. Ep. 9. Carm. I, 37.
724.	35.	Caes. Octavianus IV. M. Licinius Crassus. Suffecti C. Antistius Vetus M. Tullius Cicero L. Coelius Balbinus.	Octavianus reginam Antoniumque Alexandriam persequitur; Kalend. Sextil. Antonii classis ad Octavianum transit, ipse ferro se interimit eiusque exemplum Cleopatra sequitur. M. Crassus Dacis et Bastarnis bellum infert. Aegyptus in provinciae formam redigitur. — Horatius alterum Satirarum librum edidisse videtur; eodem anno Epodorum libellum. Virgilius Georgic. libr. IV. absolvit. Occiditur iussu Caesaris Cassius Parmensis, ultimus ex interfectoribus Caesaris. C. Cornelius Gallus, poeta, primus Aegyptum provinciam obtinet.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
725.	36.	Caesar Octavianus V. Sextus Appuleius. Suffecti P. Valerius Messalla C. Furnius C. Cluvius.	Iani templum clauditur, postquam Octavianus victor ab oriente rediens a. d. VIII. Id. Sextil. urbem triplici triumpho ingressus est. Octavianus senatus consulto imperatoris nomen in perpetuum accipit.
726.	37.	Caesar Octavianus VI. M. Vipsanius Agrippa II.	Caesar Octavianus templum Apollinis Palatini dicavit; de qua re Horatii carmen est I, 31. Octavianus princeps senatus. Bibliotheca Palatina (tertia publica) dicata.
727.	38.	Caesar Octavianus Aug. VII. M. Vipsanius Agrippa III.	Caesar princeps dicitur et Augustus appellatur, postquam iterum de deponendo imperio cogitavit. Augustus in Galliam proficiscitur, expeditionem parat in Britanniam, cf. Carm. I, 35. Paratur expeditio contra Arabes. Huc spectat carmen I, 29.
728.	39.	Caesar Octavianus Aug. VIII. T. Statilius Taurus II.	Sext. Appuleius ex Hispania triumphat; sed Cantabri et Astures bellum renovant.
729.	40.	Caesar Octavianus Aug. IX. M. Iunius Silanus.	Augusti expeditio in Cantabros. Expeditio Aelii Galli in Arabes paratur. Marcellus Iuliam in matrimonium ducit.
730.	41.	Caesar Octavianus Aug. X. C. Norbanus Flaccus.	Phraates pellit Teridatem, qui ad Augustum fugit. Augustus Cantabris victis Romam redit, Ianum iterum claudit. Hor. Carm. III, 14. Quintilius Horatii et Virgilii amicus moritur. Carm. I, 24. Horatius tres carminum libros hoc anno vel initio proximi edidisse videtur. Augusto aegrotanti Antonius Musa salutem frigida aqua restituit.
731.	42.	Caesar Octavianus	Marcellus, Iuliae coniux, vigesimum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
		Aug. XI. A. Terent. Varro Murena. Suffecti L. Sestius Cn. Calpurnius Piso.	annum agens moritur. Augustus Phraati filium reddit, Teridatem Romae retinet. Augustus tribuniciam potestatem perpetuam accipit.
732.	43.	M. Claudius Marcellus Aeserninus L. Arruntius.	Coniurant in Augustum Licinius Varro Murena et Fannius Caepio, fratres Proculeii et Terentiae uxoris Maecenatis (cf. Carm. II, 2). Augustus in Siciliam proficiscitur, inde in Asiam iter facturus.
733.	44.	M. Lollius Q. Aemilius Lepidus.	Augustus in Graeciam, hinc Samum iter facit; in insula Samo hiemat. Agrippa Mytilenis, quo se, cum Marcellum sibi praeferri vidisset, contulerat, Romam redit Iuliamque in matrimonium ducit.
734.	45.	M. Appuleius P. Silius Nerva.	Augustus in Asia. Phraates perterritus signa olim Crasso erepta sua sponte remittit. Tigranes Armeniis rex redditur a Tiberio Nerone. Epist. I, 3. 12. 18.
735.	46.	C. Sentius Saturninus Q. Lucretius Vespillo. Suff. M. Vinucius M. Vipsanius Agrippa.	Virgilius in Graeciam proficiscitur; moritur Brundusii. Augustus ex Samo insula in Italiam reversus mens. Octobr. Urbem intrat; cum eo, ut videtur, Tiberius ex Asia revertitur. Agrippa Cantabros devincit. — Tibullus vel hoc vel insequenti anno moritur.
736.	47.	P. Corn. Lentulus Marcellinus Cn. Cornelius Lentulus.	Horatius hoc vel superiore anno librum I Epist. emisisse videtur. Leges Iuliae, sumptuaria, de adulteris et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.
737.	48.	C. Furnius C. Iunius Silanus.	Augustus ludos saeculares quintos instituit. Horatius eius iussu Carm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
			saeculare componit. Huc spectat Carm. IV, 6.
738.	49.	L. Domitius Ahenobarbus. P. Cornelius Scipio. Suffectus L. Tarius Rufus.	Lollius a Germanis gravi clade reiicitur; quo nuntio accepto Augustus in Galliam proficiscitur, Tiberium praetorem secum ducit.
739.	50.	M. Livius Drusus Libo L. Calpurnius Piso.	Raeti et Vindelici per Tiberium et Drusum subiguntur. Eo spectant Carm. IV, 4 et 14. Propertium h. a. mortuum esse putant. Orbilius Pupillus centesimum aetatis annum agens vel hoc vel insequenti anno moritur.
740.	51.	M. Licinius Crassus Cn. Cornelius Lentulus.	
741.	52.	Tib. Claudius Nero P Quintilius Varus.	Augustus ex Gallia Romam redit. Horatius Augusti rogatu quartum carminum librum edit.
742.	53.	M. Valerius Messalla P. Sulpicius Quirinus. Suffecti C. Valgius Rufus C. Caninius Rebilus.	Lepido hoc anno mortuo Augustus prid. Non. Mart. Pontifex maximus factus est. Eodem mense Agrippa aetatis anno 51 mortuus est. Drusi prima expeditio in Germaniam.
743.	54.	Q. Aelius Tubero. Paulus Fabius Maximus.	Ep. II, 2 scripta videtur. Drusi altera in Germaniam expeditio, Tiberius Pannoniam et Dalmatiam iterum subiicit; Thraces a L. Pisone domiti.
744.	55.	Iulus Antonius Africanus Q. Fabius Maximus.	Augustus cum Tiberio et Druso in Galliam proficiscitur; Tiberius in Dalmatiam et Pannoniam tertiam expeditionem facit, Drusus adversus Germanos tertium bellum gerit. Dacis, Getis, Germanis a Tiberio et Druso victis Ianus tertium clausus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni aetat. Horat.	Consules.	Quid his annis gestum sit, indicatur.
			esse dicitur; sed incerta res. Dicunt epist. II, 1 scriptam esse hoc anno.
745.	56.	Nero Claudius Drusus Caes. T. Quintius Pennus Crispinus.	Drusus in Germania moritur.
746.	57.	C. Marcius Censorinus C. Asinius Gallus.	a. d. V. Kal. Dec. Horatius moritur, eodem anno Maecenas paullo ante Horatium.

Index metrorum Horatianorum.

I. *Metra iambica*:

a) *μονόστιχον s. κατὰ στίχον*:

⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – Trim. iamb. acat.

Epod. 17.

b) *δίστροφον*:

⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – Trim. iamb. acat.

⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – Dimeter iamb. acatal.

Epod. 1—10. Dactylum in primo pede posuit Epod. 17, 12, tribrachyn saepius. In dimetri dipodia secunda Horatius arsim solutam nunquam admisit. Dimeter bis dactylum habet in primo pede Epod. 3, 8. 5, 48, semel in secundo tribrachyn Epod. 2, 62; hiatus invenitur Epod. 5, 100 *).

*) De legibus in componendis trimetris a tragicis Graecorum poetis observatis *Porson.* ad Eurip. Hec. praef. p. VI: »Tantum enim abest, ut anapaestus pro secundo aut quarto pede ponatur, ut ne pro tertio quidem aut quinto substitui possit;« p. XIX: »Tragici praeter iambum et tribrachyn, quos cum paribus locis communes habebant, spondeum etiam in primo, tertio et quinto usurpabant. Postea hunc spondeum in primo loco, prout res ferebat, vel in dactylum vel in anapae-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

II. *Systema ionicum a minori*:

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

Unum carmen Horatius hoc metro composuit III, 12; quod quidem quadraginta cum habeat ionicos, in quattuor strophas dividitur. Anacreontis fragm. eodem metro scriptum vide infra ad Carm. I, 23, 2. *Rossbachius* hanc strophae formam praetulit:

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ – , ⏑ ⏑ ⏓ –

eumque secutus est *Kellerus* (in edit. Hor. 1864).

III. *Metra dactylica*:

a) ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) | ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑

Hexameter dactyl. catal. in disyllabum, *κατὰ στίχον*. In omnibus et satiris et epistolis.

b) Alcmanium.

⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) | ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑. ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑

⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑⏑, ⏓ (–) ⏑

Carm, I, 7. 28. Epod. 12. Spondeus in quinto pede hexastum dissecabant, in tertio loco tantum in dactylum, in quinto neque in anapaestum neque in dactylum;« p. XXX. »Nempe hanc regulam plerumque in senariis observabant tragici, ut, si voce, quae Creticum pedem efficeret, terminaretur versus, eamque vocem hypermonosyllabon praecederet, quintus pes iambus vel tribrachys esse deberet.« De hac tertia lege adde quae *Meinekius* docuit praef. ad edit. Horat. p. XXXVIII: »Ostendi olim in Fragm. Com. gr. vol. IV. p. 713. Archilochum ceterosque iambographos Graecorum omnes in pangendis iambicis trochaicisque versibus eandem legem secutos esse quam a tragicis Graecis constanter observatam esse primus intellexit Porsonus. Hanc legem Horatius adeo non tenuit, ut eam in trimetris iambicis vicies, in dimetris autem plus sexagies non observaverit. Sed excusandus est propterea quod latinus sermo non aequat graecum numero vocabulorum formarumque in brevem syllabam exeuntium.« De qua re compara Hor. Ep. 1, 27. 2, 13. 23. 33. 47. 3, 9. 13. 4, 13. 5, 17. 19. 93. 8, 15. 9, 27. 29. 10, 7. 21. 11, 3. 27. —

De anapaesti usu in quinto pede *Meinekius* l. l. p. XXI: »Anapaesto in hac trimetri parte usum esse Horatium difficile ad credendum est. Legitur quidem in Epod. 5, 79 et 11, 23. Sed in his videndum ne littera i consonae vim habeat. Ac fortasse etiam in *laqueo* (Epod 2, 35) synaloephe locum habet, non ut eximatur vocalis *e*, sed ut obscuretur tantum in pronuntiando, ut fit in *Prometheo*, *aureo*, *alveo*, multisque aliis.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

metri reperitur I, 28, 21, in tertio tetrametri I, 28, 2. Hiatus admissus est in eiusdem carminis versu 24.

IV. *Metra Asclepiadea:*

a) *κατὰ στίχον.*

1) Asclepiadeum primum.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \parallel \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ Vers. Asclep. minor.

Carm. I, 1. III, 30. IV, 8. Basim apud Horatium spondeus plerumque efficit. Diaeresis neglecta est IV, 8, 17.

2) Asclepiadeum secundum.

$$-\perp \mid \perp \cup\cup - \mid \perp \cup\cup - \mid \breve{\times} \cup\cup - \mid \cup\breve{\cup}$$ Vers. Asclep. maior.

Carm. I, 11. 18. IV, 10. Diaeresis neglecta post alterum choriambum I, 18, 16.

b) *δίστροφον*, Asclepiadeum tertium.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ Vers. Glyconeus.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \parallel \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ Vers. Asclep. minor.

Carm. I, 3. 13. 19. 36. III, 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV, 1. 3. Semel versus est hypermeter IV, 1, 35.

c) *τετράστροφον.*

1) Asclepiadeum quartum.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \parallel \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ (ter) Asclep. minor.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \parallel \cup\breve{\times}$$ Glyconeus.

Carm. I, 6. 15. 24. 33. II, 12. III, 10. 16. IV, 5. 12. In Asclepiadeo semel diaeresis neglecta, II, 12, 25; semel in pausa brevis est syllaba, III, 16. 26. In Glyconeo semel in basi reperitur trochaeus, I, 15, 36.

2) Asclepiadeum quintum.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \parallel \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ (bis) Asclep. minor.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \mid \breve{\times}$$ Pherecrateus.

$$-\breve{\times} \mid \perp \cup\cup - \mid \cup\breve{\times}$$ Glyconeus.

Carm. I, 5. 14. 21. 23. III, 7, 13. IV, 13.

V. *Metrum Hipponacteum, δίστροφον.*

$$\perp \cup - \cup, \perp \cup\breve{\times}$$ Dimet. troch. catal.

$$\breve{\cup} \perp \cup \breve{\cup\cup}, \breve{\cup} \mid \perp \cup -, \cup \perp \breve{\cup}$$ Trimet. iamb. catal.

Carm. II, 18. Cur hos versus catalectos fecerit Horatius, in promptu est; nimirum ne qui ab altero versu ad alterum in recitando transiret, arsim cum arsi, thesim cum thesi coniungere deberet. Trochaicum versum sic condidit, ut gravi quae dicitur dipodia prorsus abstineret.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

VI. *Metra Pythiambica, δίστροφα*:

a) minus.

(–)

⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ | – – , ⏑ – – , ⏑ ⏑ – , ⏑ – Hex. heroic.

– – – ⏑ – , – ⏑ ⏑ – Dimet. iamb. acatal.

Epod. 14 et 15. In dimetro dactylum habes Epod. 15, 24.

b) maius.

(–)

⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ | – – , ⏑ – – , ⏑ ⏑ – , ⏑ – Hex. heroic.

⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ – Hexapodia iamb. acatal.

Epod. 16. Caesura post quintam syllabam hexapodiae semel neglecta, v. 4. Hexapodia potius appellatur quam trimeter iambicus, quia Horatius in hoc metro puris iambis usus est.

VII. *Metra Archilochia, δίστροφα*:

a) primum.

(–)

⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ | – – , ⏑ – – , ⏑ ⏑ – , ⏑ – Hex. heroic.

⏑ ⏑ – , ⏑ ⏑ – , – Trim. dactyl. catal. in syllabam.

Carm. IV, 7.

b) secundum.

(–)

⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ | – – , ⏑ – – , ⏑ ⏑ – , ⏑ – Hex. heroic.

– ⏑ ⏑ – , – ⏑ ⏑ – || ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – Vers. iambeleg.

Epod. 13. Alter versus ex dimetro iambico acatalecto et trimetro dactylico catalectico in syllabam compositus asynartetus est; quare ab iambis ad dactylos transiri potest ut a pleno versu ad alterum, per syllabam ancipitem et hiatum. cf. Epod. 13, 10.

c) tertium.

– ⏑ ⏑ – , – | ⏑ ⏑ – , – ⏑ ⏑ – Trimet. iamb. acatal.

⏑ ⏑ – , ⏑ ⏑ – , – || ⏑ ⏑ ⏑ – , ⏑ ⏑ ⏑ – Vers. elegiambus.

Epod. 11. Alter versus compositus ex trimetro dactylico catal. in syllabam et dimetro iamb. acatal.; hic quoque asynartetus est. cf. v. 6. 10. 14. 24. 26.

d) quartum.

⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ – – , ⏑ ⏑ – , ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – V. Archil. mai.

– ⏑ ⏑ – , – | ⏑ ⏑ – , – ⏑ – Trim. iamb. catal.

Carm. I, 4. Prior versus, quem Graeci poetae asynartetum fecerunt, apud Horatium bene coniunctus est; neque enim quarti dactyli locum creticus occupavit unquam neque hia-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tus reperitur; unde logaoedicus appellari possit quadruplex dactylicus tripliciter trochaicus acatalectus. Alii Alcmanium cum Ithyphallico coniunctum dicunt.

VIII. *Metra Sapphica*:

a) minus, *τετράστροφον*.

⏑–⏑–, ⏑ | ⏑⏑–, ⏑–⏑ (ter) Sapphicus hendecasyllab.

–⏑⏑–⏑ Adonius.

Carm. I, 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II, 2. 4. 6. 8. 10. 16. III, 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV, 2. 6. 11. Carm. Saecul. — Prior compositus est ex trochaica dipodia, choriambo, iambica dipodia catalectica. Caesura est post arsim choriambi vel post sextam syllabam. Post vocem monosyllabam in quarta sede Sapphici versus in quinta sede monosyllabum vocabulum subsequi solet, ne caesura legitima in quartam syllabam retrahatur; cfr. Carm. I, 2, 17. I, 22, 7. I, 12, 14. 23. 31. 33. II, 2, 10. II, 4, 13. II, 8, 5 alias. Interdum versus hypermeter est, II, 2, 18. 16, 34. IV, 2, 22. 23. C. S. 47. Coniunguntur diviso vocabulo vel secundus versus cum tertio vel tertius cum quarto, I, 2, 19. 25. 11. II, 16, 7. Adonium non dactylicum sed choriambicum dicam, et quo similior sit Sapphico et quia Spondeus nunquam admittitur. Sapphicum autem ipsum logaoedicum non esse probat insequens metrum, facili mutatione ex Sapphico hendecasyllabo constituendum. Nam

b) maius, *δίστροφον*

⏑–⏑–, ⏑⏑– Versus Aristophanicus.

⏑–⏑–, ⏑⏑–⏑⏑–, ⏑⏑–⏑⏑–, ⏑⏑– V. Sapphicus mai.

ita facile efficitur, ut priorem accipias abiecta Sapphici hendecasyllabi dipodia trochaica, alterum addito altero etiam choriambo. Carm. I, 8. In Sapphico maiore caesura post quintam syllabam et diaeresis post primum choriambum ubique observatae sunt.

IX. *Metrum Alcaicum, τετράστροφον*:

⏑⏑–⏑–, ⏑⏑–⏑⏑– (bis) Alcaicus hendecasyllabus.

⏑⏑–⏑–, ⏑⏑–⏑–, ⏑ Dimet. iamb. hypercatal.

–⏑⏑–, ⏑⏑–, ⏑–, ⏑⏑ Logaoed. dupl. dactyl. duplic. trochaic. acat.

Carm. I, 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II, 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 17. 21. 23. 26. 29. IV, 4. 9. 14. 15. — Alcaicus hende-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

casyllabus compositus est ex monometro iambico hypercatalectico et versu logaoedico simpl. dactyl. duplic. troch. catalectico; ad quam versus compositionem tertius et quartus versus egregie accommodati sunt; etenim qua similitudine Alcaici prior pars iambica cum dimetro iambico, eadem altera Alcaici pars cum logaoedico coniungitur, ita ut Alcaici partes iteratas et auctas in reliquis habeamus. — Alcaicus raro incipit ab iambo, in quarto libro nunquam, gravitatis causa; diaeresis ante ordinem logaoedicum quinquies neglecta est, I, 16, 21. I, 37, 5. I, 37, 14. II, 17, 21. IV, 14, 17; sed bis in vocabulo cum praepositione coniuncto. Deinde hiatus in diaeresi admissus est II, 20, 13, et syllaba brevis III, 5, 17. Ubi quartam sedem vocabulum monosyllabum occupavit, in quinta subsequi solet alterum monosyllabum; cfr. Carm. I, 9, 2. 18. I, 17, 14. I, 26, 6. I, 27, 2. 14. 21. I, 31, 6. I, 35, 34. II, 1, 33 alias. Praeterea *Lachmannus* ad Frankii Fast. Hor. p. 238 de dimetro iambico: „colon tertium post quintam syllabam ea condicione inciditur, ut sexta teneat vocabulum monosyllabum, hoc modo *excepit ictus | pro pudicis*. Hoc in cultissimis carminibus secutus est, neglexit in quibusdam, quae cur omnia primo et secundo libro inseruerit, miror." cf. I, 16, 3. 26, 7. 29, 11. II, 1, 11. 13, 27. 19, 11. 19. 7. 11. *Ritterus* ad Carm. II, 13. 27 suspicatus est, rem tam miram non esse; ex carminibus Alcaicis libri III nullum excepto 29 ante a. 726 factum esse eoque demum anno Horatium eam sibi legem imposuisse. Igitur hoc observa: si post quintam syllabam dimetri inciditur, sequitur vel monosyllabum vocabulum, quod optimum est, vel bisyllabum, quod reperitur in primo et altero libro octies ut supra ostendi; trisyllabum semel tantum I, 35, 11 (*regumque matres | barbarorum et*), tetrasyllabum bis II, 3, 3. II, 19, 19 (*Ab insolenti | temperatam*); in tertio et quarto libro caesuram quintae sedis nusquam nec bisyllabum nec trisyllabum nec tetrasyllabum vocabulum excipit. — Dimeter iambicus quo gravior fiat a spondeo solet incipere; hypermetri sunt II, 3, 27. III, 29, 35.

Alcaicus *decasyllabus*, quum incipit a vocabulo, quod dactylum efficit, post eum dactylum habet vel monosylla-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

bum vel tetrasyllabum vocabulum, non bisyllabum nisi quater in duobus primis libris, vel hoc modo *Iuppiter* | *ipse* | *ruens* | *tumultu* (I, 16, 12. I, 35. 36. II, 17, 8); vel sic *Hospitis* | *ille* | *venena* | *Colcha* (II, 13, 8); post trisyllabum vocabulum alterum trisyllabum semel tantum in quarto libro inveni, nusquam in reliquis: IV, 4, 72 *nominis* | *Hasdrubale* | *interempto*; sed qui in eodem carmine legitur versus (52) *fallere et* | *effuger*|*e est triumphus* similis certe est.

Restat, ut de lege quadam dicamus, quam ab Horatio observatam esse Meinekius primus animadvertit. Nam ea quoque carmina, quorum metra aut eundem versum perpetuo ordine repetunt (*κατὰ στίχον*) aut *δίστροφα* sunt, ita instituit Horatius, ut versuum numerus quaternorum versuum strophas coniungi pateretur. Quare fuerunt, qui ea quoque metra in carminibus *τετράστροφα* haberent. Nam quod eandem legem in Epodis observatam non vident, id eam sententiam non solum non refellere, sed adiuvare etiam iis videtur. Quare cum unum sit carmen IV, 8, quod huic rationi adversetur, aut interpolatum illud esse putant aut mutilatum. Sed nonne Horatius quam sibi ipse imposuisset legem post tot annos relinquere potuit? Difficultates certe, quibus illud carmen laborat, ista ratione non pelluntur. De tota autem re compara quae in praefatione ad editionem alteram huius libri disputata sunt.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER PRIMUS.

Carmen I.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum:

Carmen I.

Horatius Maecenati tres libros carminum edendos hoc carmine inscripsit, quo simul qui factum esset, ut ad poesim potissimum conversus alium vitae cursum non teneret, ostendere studuit. Diversa esse hominum ait ingenia, alios aliis studiis trahi. De qua diversitate tres quasi quaedam tabulae proponuntur, in quibus humanae naturae voluntatisque pugnantia exempla componuntur. Ac prima quidem ostendit homines, qui laudem publicam sectantur vel victoriis in ludis publicis reportandis (Graeci) vel aura populari captanda muneribusque gerendis (Romani), cum iisque coniungit alios cumulandis divitiis deditissimos (v. 3 – 10); altera componit agricolam patrio agro contentum cum nauta lucri faciendi cupiditate agitato (v. 11—18); tertia illustrat vitam hominum otiosorum naturae iucunditatibus fruentium ingenioque indulgentium, et alios comparat, qui quietam vitam spernentes bellorum et venationum motu ac varietate malunt delectari (v. 19—28). Iam vero se quoque habere dicit quo teneatur; poesim se adamasse ac tantopere eius voluptates percipere, ut relicta terra ad coelum prope evolasse sibi videatur. Quo dulcissimo sensu se deceptum non fore, si quae canere ausus sit, a Maecenate aliqua laude digna habeantur. Ceterum *Pindari* locus persimilis poetae oculis obversatus esse videtur, a Sexto Empirico Pyrrh. Hypoth. I, p. 23 servatus, frag. 242. B.:

Ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων
Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυ-
χρύσοις θαλάμοις βιοτᾶ·
Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἶδμ' ἄλιον
ναῒ θοᾷ
Σῶς διαστείβων.

Carmen artificiose compositum est. Poeta bis alloquitur Maecenatem binis versibus, in exordio (1. 2) et in exitu (35. 36); demtis his versibus relinquuntur 32 versus, qui in duas et aequales partes dividuntur (3 – 18; 19—34); partium autem duarum initia indicantur verbis *ἐκ παραλλήλου* positis *sunt quos* (v. 3) et *est qui* (v. 19); prior pars dilabitur in quattuor sententias quaternorum versuum (v. 3 *sunt quos*, v. 7 *hunc*, v. 11 *gaudentem*, v. 15 *luctantem*); posterior pars tres habet sententias (v. 19 *est qui*, v. 23 *multos*, v. 29 *me*). Sic intelligitur, neque ullum versum cum Peerlkampio vel Hermanno posse abiici neque cum Meinekio carmen ab initio bene dividi in strophas quaternorum versuum.

V. 1. *atavis regibus*] i. e. atavis s. maioribus, qui reges erant. Cf. Virgil. Aen. I, 273. Maecenas ortus fuit ex Cilniorum nobili genere propter opes et divitias olim Arretio expulso (Liv. X, 3), neque raro factum videtur, ut ex ea gente Etruscorum reges sive duces eligerentur. Hor. Carm. III, 29, 1. Sat. I, 6. 3. In tanta nobilitate generis maximam omnium admirationem movit, quod, cum plurimum apud Augustum valeret, equestrem ordinem egredi nunquam voluit; consulto igitur Horatius hac eum laude in fronte carminis ornavit. Deinde altero versu addit suam cum Maecenate necessitudinem; *praesidium*, quoniam Horatius Maecenatis tutela ab summis quibusque hominibus eius aetatis receptus est (Carm. II, 17, 4);

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos:
Hunc, si mobilium turba Quiritium

decus, quoniam magno sibi esse honori vidit, quod a tanto viro amaretur. Epist. I, 1, 103. 7, 12. — *sunt quos iuvat*] Indicativus modus apud verba *sunt qui* praeter hunc his locis: infra v. 19. I, 7, 5. Sat. I, 4, 24. II, 1. 1. II, 4, 47. Aliter Sat. I, 2, 28. I, 4, 74 sq. Coniunctivus tum legitur, cum non tam esse aliquid ostenditur quam quale quid sit describitur. In locis autem huic similibus *sunt quos* nihil est aliud nisi *aliquos*, quare infra facile subiungitur *hunc — illum*. — *curriculo*] i. e. curru. Sic apud Ovid. Trist. IV, 8, 36: »Nec procul a metis, quas paene tenere videbar, *Curriculo* gravis est facta ruina meo.« — *pulv. Ol. colleg.*] i. e. ferri curru per stadium Olympicum; nam colligere est excitare, cogere (Sat. I, 4, 31). Animadverte enallagen adiectivi (pro *curriculo Olympico pulverem collegisse*), quae ad exemplum Graecorum Latinis poetis eius aetatis valde placuit; cf. infra Carm. I, 3, 40. I, 6, 14. I, 20, 9. I, 31, 9. I, 37, 6. III, 16, 34. III, 21, 19. Epist. II, 1, 177. Hom. Il. V, 741. Euripid. Troad. 1: »Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος πόντου«. Perfectum *collegisse* ἀορίστως positum esse dicunt, ut Carm. I, 34, 16. II, 12, 17. III, 2, 30. 4, 52. 11, 15. 20, 11. 23, 17. 19. 29, 16. 43; in quibus perfectum tempus aut absolutam aliquam rem aut unius rei repetitionem solet indicare. H. l. intelligitur vis perfecti ex verbo *iuvat*: etenim excitati et collecti pulveris recordatio grata est.

V. 4. *metaque ferv. evit. rotis*] In eo summa conspiciebatur aurigae ars, ut rapidissimo cursu quam proxime ad metam accederet, currum tamen non illideret. cf. A. P. 412. Hom. Il. XXIII, 351 sqq. — *palma*] signum victoriae; Carm. IV, 2, 17. III, 20, 12. Ep. II, 1. 181. *Nobilis* ea appellatur, quia apud Graecos olympionicae divino prope honore digni habebantur; ideo dicit: *evehit ad deos* quasi sint facti *terrarum domini*. Luc. Anach 10 »ὁρᾷς τὸν νικήσαντα ἐκεῖνον τὸ μιζόμενον«. Bene etiam comparatu *Pindari* locus Nem. V, 75 sq. (4 B.) »Τὸ δ' Αἰγίνᾳ θεοῦ, Εὐθυμένε Νίκας ἐν ἀγχώνεσσι παγκρ πυγμᾷ τε κραναὰς ὕμνον.« »Cetoru *palma*, teste Livio X, 47, certo quo dam tempore addita est corona oleaginae: quorum haec capiti v ctoris Olympici imponebatur, illa i dexteram dabatur.« *Garcke*. cf. Pau san. VIII, 48, 2: »ἐς δὲ τὴν δεξιὰ ἔστι καὶ παντὶ τῷ νικῶντι ἐχ θέμενος φοίνιξ.« — *hunc — illum* Hi accusativi apti sunt ex verbo *i rat*; in qua verborum coniunctio non est quod offendas, cum alterum verbum *evehit* ipsum quasi subi ctum sit primario *iuvat*. — *mob lium*] cf. Epist. I, 19. 37. — *certa tollere*] Infinitivi cum aliis verb coniuncti usus apud poetas freque tissimus: ac primum quidem verb *velle, nolle, coepisse, desinere* sim libus fortiora et elegantiora subst tuunt: sic infra v. 21 *demere spe nit.* v. 34 *refugit tendere*; cuius r exempla sunt odisse, parcere, diffe re, timere, metuere, fugere, furer gestire, mittere, amare, quaerer invidere. Deinde solent duo verb coniungi, ut alterum alterius m dum et rationem accuratius descr bat; sic h. l. *certat tollere* pro *cert tim tollit*. Ex quo genere sunt verb gaudere, laborare, trepidare, occ pare, properare. Tum infinitivi cu aliis verbis coniunguntur, cum sign ficatur, quo consilio vel quem ad fine aliquid fiat: ubi prosa oratio vel pa ticula *ut* utitur vel participio in *ndu* Sic *egit visere* Carm. I, 2, 7; *sum celebrare*, I, 12, 2; *tradam portar* I, 26, 2. Qua re hoc assecuti su poetae, ut cum oratio propius ad br vitatem graecae linguae accessisse frequens usus particularum, quib menti non nova quaedam notio su geritur sed notiones inter se co

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus
Nunquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.

iunguntur, minueretur. — *tergeminis honoribus*] aedilitate curuli, praetura, consulatu. Tacit. Ann. I, 3: »Claudium Marcellum pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam geminatis consulatibus extulit.«

V. 10. cf. Carm. III, 16, 26. Sat. II, 3, 87. Africa fertilitate nobilis erat. Speciem autem pro genere posuit Horatius ex more poetarum, qui quid velint certis rerum exemplis ostendere malunt quam universe docere; sic infra *trabe Cypria, Icariis fluctibus, Africum, veteris Massici, Marsus aper.* Atque ea ipsa est causa, cur v. 11 non generale vocabulum *arare* legatur, sed *findere sarculo*, quibus verbis durissimi laboris accedit significatio. Cf. *Solonis* locum similem Eleg. fr. 11, v. 47 sq. (Schneidew.): »Ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρεον εἰς ἐνιαυτὸν λατρεύει, τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει.« Et Apoll. Rhod. I, 628 »πυροφόρους τε διατμήξασθαι ἀρούρας.« ib. 1215 »ὁ μὲν νειοῖο γύας τέμνεσκεν ἀρότρῳ.« — *patrios*] a patre acceptos ob eamque rem cariores. — *Attalicis condicionibus*] Attali III Philometoris, qui a. u. 621 populum Romanum heredem instituit, magnae opes in proverbium abierant: vel quod Attalus II Philadelphus ingenti pretio artificia emere solebat. Carm. II, 18, 5. — *demoveas*] Alii *dimoveas*. Illud autem ideo praeferendum videtur, quod quae sequuntur verba finem habent quo perducendus est agricola. Hoc enim inest in particula *de*, quod non abducit solum sed etiam perducit ad alium locum aliamve rem. — *pavidus nauta*] pavidus est, quia, si perducitur, invitus perducitur et pericula maris perhorrescit. Nautae qui vere sunt non sunt timidi. — *secet*] Apud poetas via, mare, aër secari dicuntur ab euntibus, navigantibus, natantibus, volantibus. Virgil. Aen. VI, 899. Georg. I, 406. Ovid. Met. XI, 478. Hom. Od. III, 174. — *Africum*] cf. III, 29, 57. Senec. Qu. N. 5, 16: »Ab occidente hiberno Africus furibundus et ruens, apud graecos λίψ dicitur.« Comparari potest Hom. Il. II, 144: »Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε Ὦρορ'.« — *otium*] In his verbis triplex oppositio est, inter otium et pericula (Carm. II, 16, 1 sqq.), inter navigationem et vitam rusticam, inter peregrinationem et domesticam habitationem. Otiosa igitur fuit *Acidalii* coniectura *oppidi tuta sui*. — *indocilis pauperiem pati*] Brevitatem graeci sermonis in coniungendis adiectivis et infinitivis felicissime in suum usum verterunt poetae latini. Nam cum adiectivorum notio saepe ita vaga sit atque incerta, ut quo laudatae facultates referendae sint magnum cogitandi spatium relinquatur, accedant necesse est termini quidam, ad quos pergere illa aut quibus coerceri credantur. Qui quidem termini a poetis infinitivorum ope adduntur; prosae orationis scriptores aut *ad* aut *in* particula utuntur. Sic h. l. *indocilis pati* est pro *indocilis ad patiendum*; cf. Carm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor.
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium

I, 3, 25. I, 12, 11. 1, 24, 17. I, 10. 7. 1, 15, 18. III, 12, 11. 1, 37, 26. Sat. I, 3, 34. I, 4, 3. 25. De re cf. III, 24, 40 sqq. In paupertate non inopia est, sed mediocritas vitae. Carm. I, 12, 43. Sat. I, 6, 71.

V. 19. *Massici*] cf. Martial. XII, 3: »de Sinuessanis venerunt Massica prelis.« — *nec spernit*] Litotes figura, qua contrarium negando fortius affirmamus. Virgil. Aen. VII, 261. — *partem solid. dem. de die*] i. e. aliquam partem diei negotiis detractam otio dare et animo. Senec. Ep. 83: »hodiernus dies *solidus* est, nemo ex illo mihi quidquam eripuit.« — *membra stratus*] Vide Zumpt. gr. lat. §. 458. — *lene caput*] i. e. leniter murmurantem fontem. Apte comparatur locus *Moschi* Id. V, 11 sq. »Αὐτὸς ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ Καὶ πηγᾶς φιλέοιμι τὸν ἔγγυθεν ἦχον ἀκούειν.« — *sacrae*] »Cum numina fontes et aquas et mare aliasque res naturales habitare iisque praeesse putarentur, inde plura epitheta, quae indicant sanctam deorum praesentiam, ut *fons sacer* apud Ovid. A. A. III, 688, Virg. Aen. VII, 83, *aqua sacra* ap. Hor. C. I, 1, 22, ἅλα δῖαν apud Homerum multis in locis et alia huius generis explicanda sunt.« Iacob, Quaest. epic. p. 13 sq. — *lituo tubae*] Litui acutus est sonus, tubae gravis, lituus equitum est et incurvus, tuba vero peditum est et directa. cf. Lucan. Phars. I, 237: »stridor lituum clangorque tubarum Non pia concinuit cum rauco classica cornu.« — *detestata*] passive; sic Epod. 16, 8. *abominatus*. — *manet*] i. e. pernoctat. Sat. II, 2, 234. — *sub Iove*] Ζεὺς Graecis erat ὁ ὕετιος καὶ ὁ αἴθριος, quare et Graeci et Latini *Iovem* ponebant, ubi caelum vel caelestes motus volebant intelligi; sic infra I, 16, 12. I, 22, 20. III, 10, 7. Epod. 13, 2. Virg. Ecl. 7, 60. Aen. IX, 670. Theocrit. 4, 43: »Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὗει.« cf. Carm. III, 10, 7. Epod. 13, 2. ὑπὸ Διός. Claudian. in Prob. et Olybr. cons. 36 »gelido sub Iove.« — *catulis*] dativus pro praepos. *a* cum ablat.; is cum soleat coniungi cum perfectis passivis, tamen etiam apud prasentia tempora legitur. Epist. I, 19, 3. — *teretes plagas*] ex contortis funiculis factas. — *Marsus aper*] Marsicus, ut Carm. II, 20, 18. III, 14, 18. Epod. 5, 76. 17, 29. Compara *Bithynus* Carm. I, 35, 7. Epist. I, 6, 33. *Calaber* Carm. I, 33, 16. III, 16, 33. IV, 8, 20. Epod. 1, 27. Epist. II, 2, 177. *Colchus* Carm. II, 13, 8. *Iberus* Carm. I, 29, 15. Sat. II, 8, 46. *Italus* Carm. II, 7, 4. 13, 18 cet. *Maurus* Carm. I, 22, 2. II, 6, 3. III, 10, 18. *Medus* Carm. I, 27, 5. II, 9, 21.

V. 29. *doctarum frontium*] Omnes docti dicuntur, qui litteras bene didicerunt aut amant; saepissime etiam poetae; cf. Solon. »Ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθείς, Ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος.« Fuerunt qui vel contra codices mallent *Te*. Male; Maecenas

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quodsi me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Carmen II.

Iam satis terris nivis atque dirae

enim neque poeticam laudem neque philosophicam, quam pars eorum, falsa oppositionis specie seducti huic et loco et homini obtrudere conati sunt, unquam secutus est. — *hederae*] Epist. I, 3, 25. Virgil. Bucol. 7, 25. 8, 13. — V. 31. Comparari possunt Carm. II, 19, 1—4. et Epist. I, 19, 4. — *cum Satyris*] pro *et Satyrorum*. Sic saepissime apud Horatium *cum* praepositio usurpatur. Carm. I, 12, 44. 19, 15. 24, 4. III, 1, 36. 3, 24. 17, 16. 18, 12. 19, 20. 29, 3. — *si neque tib.*] In quo loco bene animadvertenda condicionalis particula: haec enim dubitanter et modeste proferri debebant in prologo, quo carmina Maecenati fautori et iudici traditurus erat. — *Euterpe*] haec tibia, Polyhymnia lyra canit; utraque adest lyrico poetae. — *Lesboum barbiton*] Graecis vocabulis ideo videtur usus esse, ut primum se »Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos« (III, 30, 13) ostenderet. Vide ad Carm. I, 32, 4. — *quodsi*] haud ita raro a poetis usurpatur haec particula; apud Horatium sexiesdecies reperitur. — *feriam sidera*] Aristaen. I, 11: Ἐδόκει τῇ κεφαλῇ ψαύειν τοῦ οὐρανοῦ. Sapph. fr. 9: Ψαύειν δὲ πόλον δοκεῖ μοι ὠρανῷ δυσπάχεα. Summum est quod mortales attingere possunt.

Carmen II.

Describuntur ab initio carminis usque ad v. 24 portentosae tempestates et insoliti in natura rerum tumultus, deploratur ingens civium per bella civilia clades, ostenditur imperio Romano ruinam impendere. Ea autem ingens calamitas unde exorta est? Interfectus Caesar est, quem deorum ira ulciscitur: bella civilia et omnium rerum turbulenti motus divinitus missa sunt ad castigandam civitatis perversitatem. A tantis malis quis est qui miserum genus humanum liberabit? Humanae vires cum non sufficiant, deus aliquis nostrae calamitatis misertus ex coelo necesse est descendat. Num Apollo veniet augur? an Venus ipsa mater populi Romani, an Mars pater? Immo iam adest Mercurius Caesaris ultor sub Octaviani latens persona. Is igitur diu inter nos utinam commoretur, quoniam solus est a quo imperii dignitas et nominis Romani gloria cum morum probitate et pietate possint restitui. Videmus ita dividi carmen, ut superior pars calamitatem describat (1—24), inferior expiatorem et quaerat et inveniat (25—52). In ipsis autem partibus omnia artificiose composita sunt; prior pars bis ternas habet strophas (v. 1–12, 13—24): prima stropha tria ostendit prodigia (nivem, grandinem, fulgura), tum sequuntur tria monstra (phocae in summis montibus apricantes, pisces in arboribus haerentes, damae in mari natantes). In altera parte (v. 25–52) primum reperies tres interrogationes, tum tria invocantur numina (Apollo, Venus, Mars); Mars pater ipse triplici modo ornatur;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Grandinis misit pater et rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit urbem,
Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes,
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis,
Et superiecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim retortis

deinde extrema quoque terna sunt, bina affirmantia, singula negantia (*serus redeas, diu intersis, neve te tollat; hic ames triumphos, hic ames dici, neu sinas*). De tempore quo sit carmen scriptum discordes sunt viri docti; id tamen certum videtur, non alia prodigia significari nisi quae caedem Caesaris consecuta sint; bella civilia siquidem composita tamen non omnino sepulta, rempublicam pacatam quidem sed nondum confirmatam videri, totum denique carmen ad Octavianum, Caesaris patris ultorem, (quo se illum nomine libenter ornasse scimus) celebrandum esse scriptum. Quapropter ante a. u. c. 727 compositum est; eo enim anno expiandi criminis iam non potuit mentio fieri, omnibus scilicet Caesaris interfectoribus exstinctis; fortasse iam a. 725, cum Octaviani victoris reditus in urbem omnium desiderio exspectaretur.

V. 1. Cum hac inundationum descriptione comparandi sunt Virgiliani versus Georg. I, 466—489. 498 sqq., in quibus mirum et verborum et sententiarum cum his Horatianis consensum deprehendes. — *dirae*] Sic appellantur omnia quae gravia et ingentia mala portendunt. Virg. Georg. I, 488. Hor. Epod. 5, 89. Animadvertendum tamen, hoc adiectivo hic non grandinem solum sed nivem quoque ornari. Quo ordine a prosae orationis consuetudine alieno poeta saepe disposuit verba, ut Carm. I, 5, 6. I, 31, 16. I, 34, 8. II, 19, 24. III, 11, 39. IV, 14, 4. II, 8, 3. III, 2, 16. — *pater*] Iuppiter. — *iaculatus*] cum accusativo rei quae feritur, ut Carm. III, 12, 11. — *arces*] Capitolium et templa ibi posita. — *terruit ne*] Terrendi verbum cum habeat metuendi notionem (terruit ut metuerent ne) coniungi potuit cum *ne* particula. — *gentes*] Romano imperio subiectas: Romae enim urbis calamitates ab extremis etiam nationibus sentiuntur: vide Carm. II, 1, 31 sq. — *Pyrrhae*] vid. Ovid. Met. I, 260. — *Proteus*] De hoc deo marino Neptuni greges pascente vide Hom. Od. IV, 386 sqq. Virg. Georg. IV, 395 sqq. — *altos*] ex aquis cacumina tantum montium eminebant; quare phocae in iis ut in littore maris apricabantur. Cf. Ovid. Met. I, 296 sqq. — *egit visere*] vide ad I, 1, 8. — *piscium et*] Apud poetas etiam *et* particula enclitica est: ut infra 18, 39. I, 12, 11. 13, 6. 29, 14. 31, 10. 37, 8. II, 19, 10. 16. III, 4, 70. 24, 48. IV, 10, 4. 15, 2. 5. — *haesit*] eleganter dictum; nam in arboribus, in quibus haerere solebant aves, iam pisces haeserunt, et ubi pisces fuerunt iam natarunt damae; omnis naturae ordo inversus est. Sic Claudian. in Prob. et Olybr. cons. 169: »per flumina damae errabunt.« Aptum igitur oxymoron est *pisces haeserunt, damae natarunt.*

V. 13. *vidimus*] Recte, etiamsi ipse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Littore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta Regis
Templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa Iove non probante uxorius amnis:
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.
Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? Prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

Horatius Romae tum non fuit. Vidisse se dicunt Romani quaecunque sua aetate facta sunt. — *flavum*] perpetuum Tiberis epitheton propter multitudinem arenae quam ducit. Inde semper *flavus Tiberis*, non contrario ordine, Carm. I, 8, 8. II, 3, 18. — *Littore Etrusco*] pro littore maris Etrusci, in quod Tiberis effunditur. Hoc quoque monstrum est. Tiberis aquas in mare non effudit sed violenter retorsit, eo ipso consilio ut aucta aquarum vi sinistram ripam, in qua sita est Roma urbs, inundare urbemque impiam castigare posset. Perperam alii littus Etruscum dexteram fluminis ripam esse voluerunt, *littoris* et *ripae* permutationem Virgilianis locis (Aen. III, 390. VIII, 83) probare conantes. Monstrosae inundationis et violentiae fluminis recta interpretatione multo grandior evadit imago. — *monumenta Regis*] Regia Numae Pompilii, simpliciter Regia appellata, tam exiguo spatio a templo Vestae seiuncta erat, ut eius templi atrium prope videretur et diceretur. Fuit autem sita ad Tiberim in ima parte fori. Regia et delubrum Vestae imperatore Nerone incendio deleta sunt. Tacit. Ann. XV, 41. Monumenta nominabantur publica aedificia. — *Iliae*] Reae Silviae; quae quidem cum ab Amulio in Tiberim (vel Anienem) praecipitata esset, Fluvio nupsisse dicebatur. Cui de nece Caesaris nepotis querenti ut morem gereret Fluvius, totam urbem diruere voluisse dicitur. Quapropter aedem Vestae petit, ut sacrum ignem, salutis urbis pignus, exstinguat. Quam iram Fluvii, coniugi nimis obtemperantis (*uxorius*), Iuppiter optimus maximus omni ira et studio maior non potuit non improbare; ipse terrere voluit, non delere.

V. 21. *Audiet*] Hoc quoque contra naturam est, quod intestinis bellis in semet ipsos Romani saeviunt. Fuit qui locum vituperaret ideo, quod, ut domestica bella recte et facile intelligerentur, scribendum fuisset *cives contra cives*. Quod quidem ut indignum est poeta ita supervacaneum gravi *civium* et *Persarum* (Parthorum, hostium) oppositione. — *rara iuventus*] posterorum. — *ruentis*] Imaginem quam hoc verbum habet intelliges ex Carm. I, 35, 13 sq. — *imperi*] De hac genitivi forma cf. Carm. I, 4, 1. 1, 6, 12. I, 12, 34. 35. III, 4, 65. Sat. I, 6, 9. 12. — *carmina*] preces. cf. Epist. II, 1, 134—138. — *minus audientem*] Nam ea quoque irata fuit: cur fuerit,

Cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? Tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo;
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam locus circum volat et Cupido,
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis, auctor
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutata iuvenem figura

ipsa dicit apud Ovidium Fast. III, 699 sqq.: »Ne dubita meminisse: meus fuit ille sacerdos, Sacrilegae telis me petiere manus. Ipsa virum rapui simulacraque nuda reliqui: Quae cecidit ferro, Caesaris umbra fuit.« Caesar enim Pontifex Maximus erat. — *scelus*] τὸ ἄγος. — *candentes humeros*] ad significandam pulchritudinem Apollinis: praeterea Phoebus totus candens. Virg. Aen. VIII, 720. — *nube amictus*] Hom. Il. V, 186. — *augur*] Carm. Saec. 61. Quo nomine intelligitur, cur Apollo primus vocetur. Is enim propter divinandi scientiam et quomodo dii laesi et quomodo placandi essent optime noverat; praeterea Romanis ut olim Troianis favebat. Deinde Octavianus Apollinis filius et haberi voluit et habebatur a nonnullis. — *sive*] i. e. vel si, ut Carm. I, 15, 25. I, 32, 7. III, 27, 61. — *Erycina*] ab Eryce, Siciliae monte, ubi Aeneas (Virg. Aen. V, 759 sq.) aedem Veneris exstruxerat. Quare ne hoc quidem nomine temere poeta usus videtur. — *ridens*] ut in hymn. Homer. in Vener. 49 ἡδὺ γελοιήσασα, φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη. — *circum*] Carm. II, 16, 33. Apud poetas praepositiones frequenter postponuntur, ut Carm. III, 3, 11. Virgil. Aen. I, 32. II, 792. — *respicis*] iuvandi gratia. Romae colebatur *Fortuna respiciens* ad opem ferendam, ut dicit Cicero de legib. II, 11. — *ludo*] bellico. Compara Sil. Ital. IX, 555: »Martem lituique tubaeque Vulneraque et sanguis et clamor et arma iuvarent.« Claudian. II. Rufin. 206: »Numina Romanis nondum satiata ruinis.« Mars, gentis Romanae pater, citius debebat satiari civili sanguine. — *Mauri peditis*] Mauri equo deiecti. Equites enim qui equos reliquerunt *pedites* nonnunquam appellantur. Liv. VII, 8. Ovid. Met. XIV, 363. Similem quasi tabulam habemus Sat. II, 1, 15; nam Parthi quoque ut Mauri in equis prope vivebant. Quare reprobanda est coniectura *Marsi*. De fortitudine Maurorum cf. Virg. Aen. IV, 40.

V. 41. Verba ita inter se cohaerent, ut a v. 41 protasis incipiat, quam apodosis sequatur v. 45. — *iuvenem*] Caesarem Octavianum, qui natus est M. Tullio Cicerone C. Antonio Coss. a. d. IX. Kal. Octobr. Mercurius, nuntius deorum, latere dicitur sub persona Octaviani, ut hic quoque a diis missus esse videatur. Mercurius, quo legati muneribus et facilius et melius perfungerentur, dicendi et persuadendi facultate instructus erat; quae virtutes cum hac ratione ad Octavianum quoque transferantur, hunc non crudelitate sed clementia homines reconciliaturum, deos placaturum esse indica-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ales in terris imitaris almae
Filius Maiae patiens vocari
Caesaris ultor.
Serus in coelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini.
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos.
Hic ames dici pater atque princeps.
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce Caesar.

Carmen III.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae lucida sidera

tur. — *ales*] de talaribus et alis in petaso Mercurii. — *Caesaris ultor*] Quam bene haec Octaviani animum exprimant, ipsius ostendit oratio in senatu habita (a. u. 726), ap. Dion. Cass. 53, 4: *Ἵνα — καταμάθητε τοῦθ' ὅτι οὐδ' ἀφ' ἁρχῆς δυνατείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ' ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς ἀφαγέντι τιμωρῆσαι καὶ τὴν πόλιν ἐκ ἀεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα.* — *filius*] Nominativus pro vocativo saepius apud poetas, in oratione, ubi loquentis animus gravius commovetur, ut apud Liv. I, 24 »audi tu, *populus Romanus*;« VIII, 9: »Agedum *pontifex publicus* populi Romani, praei verba.« Et in appositione, Iuven. IV, 24: »Hoc tu, *succinctus* patria quondam, *Crispine* papyro (audes)?« — *serus*] adiectivum pro adverbio, ut Carm. I, 7, 17. I, 10, 3. I, 12, 57. Epod. 16, 51. Sat. I, 3, 117. I, 7, 27. II, 6, 100. Epist. I, 6, 20. A. P. 269. Saepissime illud fieri solet, cum quo tempore vel quoties quid accidat indicatur. — *Quirini*] Ovid. Fast. I, 69 »Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini.« Metam. XV, 572 »patriae laetum populoque Quirini.« ibid. 756 »Pontum populo adiecisse Quirini.« — *triumphos*] Anno 725 a. d. VIII. VII. VI. Id. Sext. ter triumphavit Octavianus de Pannoniis, ex Macedonia et Actio, ex Aegypto de regina Cleopatra. Accusativus pendet ex verbo *ames*, non eliciendum ex universa sententia v. *agas*. Similis est duplex coniunctio unius verbi Carm. I, 1, 19. — *pater*] Nomine patris patriae Augustus ornatus est a. u. c. 752 post mortem Horatii; *princeps* appellatus est a. 726. — *Medos*] Parthos, qui frequentes excursiones fecerunt in Syriam; id quod significatur v. *equitare*.

Carmen III.

Horatio, cum amicissimum sibi Virgilium in Graeciam mari profectum audisset, omnia quae navigantibus imminent pericula obversabantur; ideo et felicissimis votis prosequitur navem qua ille vehebatur, et durissima castigatione reprehendit audaciam humani generis, qua quidquid a divina providentia cautum prohibitumque est contemnere et audere solent. Num »nitimur in vetitum semper cupimusque negata.« Sunt qui carmen scriptum putent a. u. 735: quo anno Virgilium Athenas profectum et praematura morte ab-

Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iapyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis
Reddas incolumem precor

reptum esse scripsit *Donatus*. Sed cum tres libri non post a. 731 editi esse videantur, nec cum interprete aliquo suspicari liceat, Virgilium tribus annis antequam moreretur ex Italia in Graeciam profectum ibique tres totos annos commoratum esse, iis accedendum est qui aliud, ante susceptum, iter significari putant. Dividitur carmen in duas et aequales partes (1—20. 21—40); ipsae partes aequabiliter tripartitae sunt (v. 1—8, 9—16, 17—20; v. 21—28, 29—36, 37—40): temeraria hominum audacia, quae per priorem partem, id quod poetae consilium ab itinere Virgilii petitum postulabat, in superandis navigationis et maris periculis cernitur, per alteram partem pedetentim a mari ad ignem et aëra augetur, ita ut tandem exclametur, nihil esse, quod homines arripere non audeant. Hominibus data erat terra, sed arrogarunt sibi mare, ignem, aëra. Totum carmen tersum atque rotundum est.

V. 1. *sic*] Dissen. ad. Tibull. T. II. p. 88: »Sensus formulae ubique hic est: sic, hac condicione opto tibi hoc illudve, ut dicas, facias; constructione vero omittitur particula *ut* et subiicitur quod expetitur absolute et sine ea hoc modo: Sic opto tibi illud, fac, dic cet.« cf. Carm. I, 28, 25. Claudian. in Prob. et Olybr. cons. 161: »Non improba posco, Non insueta dabis: domus hoc de more requirit; Adnue: *sic* nobis Scythicus famuletur Araxes, *Sic* Rhenus per utrumque latus Medisque subactis Nostra Semiramiae timeant insignia turres; *Sic* fluat attonitus Romana per oppida Ganges.« Id. de nupt. Hon. & Mar. 336: »Vincire corona: Insere te nostris contento iure choreis: Sic puer Eucherius superat virtute parentem, Aurea sic videat similes Thermantia tedas, Sic etc.« — *potens*] cum genitivo, cf. Carm. I, 5, 16. — *Cypri*] Carm. I, 30, 1. 26, 9. Invocatur Venus, quia *ποντία* est et *εὔπλοια*; unde *Venus marina* est Carm. III, 26, 5. IV, 11, 15. — *fratres Helenae*] Sunt *Gemini*, propitii navigantibus, quia per longas noctes insigni lumine fulgent. cf. I, 12, 25 sqq. III, 29, 64. Eurip. Orest. 1700 sqq. »Ἐγὼ δ' Ἑλένην Ζηνὸς μελέθροις πελάσσω, Λαμπρῶν ἄστρων πόλον ἐξανύσας, Ἵνα παρ' Ἥρᾳ, τᾷ θ' Ἡρακλέους Ἥβᾳ, πάρεδρος θεὸς ἀνθρώπους Ἑστία, σπονδαῖς ἔντιμος ἀεὶ Ξὺν Τυνδαρίδαις, τοῖς Διὸς υἱοῖς Ναύταις μεθέουσα θαλάσσης.« Alii de flammulis electricis accipiebant, post nimbos et procellas in summis navium malis elucescentibus. De quibus Plinius H. N. II, 37: »Antennis navigantium aliisque navium partibus con vocali quodam sono insistunt, ut volucres sedem ex sede mutantes; graves, cum solitariae venere, mergentosque navigia, geminae autem salutares et prosperi cursus praenuntiae.« — *lucida sidera*] ut Carm. IV, 8, 31. — *Ventorum pater*] Aeolus. Virg. Aen. I, 52. — *obstrictis*] cf. Hom. Od. V, 383 sqq. X, 20 sq. — *Iapyga*] Reliqui venti adversi, Iapyx (Favonius) secundus ex Italia in Graeciam navigantibus. — *quae tibi creditum debes*] Consulto et artificiose posita sunt *finibus Atticis*, ut utrumque verbum *debes* et *reddas* attingant. Oratio inde efficitur concinnior, quam si molestum pronomen *his* interponeretur. Vult enim hoc: quae debes Virgilium finibus Atticis, reddas eum his. Quod genus appellant grammatici *σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ* quo, cum antiqui scriptores magis audientibus quam legentibus scriberent neque crebris commatis abuterentur, ita uti potuerunt, ut unum vocabulum cum duobus aliis ex diversis sententiae partibus sumptis coniungerent. Qua re non satis perspecta factum est, ut haerentes interpretes alii post *Virgilium* alii post *Atticis* interpun-

Et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere vult freta.
Quem Mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum et

ctione distinguerent. *Creditum, debes, reddas* vocabula sunt de pecunia in fenus data.

V. 8. *animae dimidium meae*] cf. Carm. II, 17, 5. Nam *φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασι*. — *robur et aes triplex*] Clypeus roboreus et lorica ex triplici aeris lamina confecta a pectore et animo humanos sensus prohibent. Graeci eius modi hominem *αἰδηρόφρονα* et *χαλκεοκάρδιον* appellabant, unde Aristophan. Ran. 1017 iocose *θυμοὺς ἑπταβοείους* fecit. — *truci*] horribili adspectu, cf. Epod. 2, 5. Ceterum haec vocabula *fragilem truci pelago ratem* Chiasmi ordine collocata sunt, quo fragilitate naviculae contra immanitatem maris posita humana audacia magis illustretur. — *decert. Aquil.*] Dativus pro *cum* praepos. et ablativo casu ad exemplum graeci verbi *μάχεσθαι*; sic Carm. I, 1, 15. II, 6, 15. Sat. I, 2, 73. — *tristes Hyadas*] Tristia sidera sunt, quia coelum occasu matutino et ortu vespertino contristare et tempestates afferre credebantur (Virg. Aen. X, 275); per prolepsin igitur sic appellantur; quo usu antiqui poetae efficacissimum nacti sunt subsidium gravitatis et brevitatis. Contrarium habes exemplum Carm. I, 7, 15. ubi *Notus albus* appellatur ab effectu, deinde Carm. III, 27, 19. III, 7, 1.

V. 14. *Notus*] etiam Auster, Carm. III, 3, 5. Certant venti de imperio maris; qui semper in aliquo mari flare solent, victores ex pugna discessisse videntur. Sic Notus in Adriatico, quod suo arbitrio (*arbiter*) tollit et ponit, aliis qui ibi saevire conati sunt quasi devictis. De grammatica ratione hoc dicendum est, cum *seu* (*sive*) ponatur pro *vel si* (vide ad I, 2, 33), facile particulam *si* reduci posse ad superius verbum *tollere*, ut hunc habeamus ordinem *si tollere vel si ponere vult*; condicionalem autem particulam in oratione etiam, non in versibus solum omitti notum est. Ceterum Horatius Homeri versum (Od. X, 22) de Aeolo inverso ordine ad ipsum ventum transtulit. — *Mortis gradum*] Mortem h. l. *δαίμονος* personam induisse ipsum vocabulum *gradus* ostendit; neque ea res insolita est, nam idem factum est infra v. 33. I, 4, 13. Hom. Il. XVII. 202. Male igitur alii *gradum ad mortem, viam ad Orcum* i. e. mortis genus. Quanto magis illa ratio decet poetam, qua Mors hostili gradu homines adoriri, homines autem fortes audacter resistere dicuntur. — *siccis oculis*] Bentleius coniecit legendum esse *rectis oculis*. At non fortes, sed duri et temerarii homines describuntur, quorum oculi rigidi sunt, exsiccati, lacrimis carentes. cf. Aeschyl. Sept. 693: »*ξηροῖς ἀχλυόεντος ὄμμασιν*.« Lucan. IX, 1044: »sicco lumine campos Viderat Emathios.« Hieron. Epist. 26: »uxoris interitum siccis oculis videt.« — *turgidum et*] Particula *et* generali

Infames scopulos Acroceraunia?
Nequiquam deus abscidit
Prudens oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Audax Iäpeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis:
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

notioni specialem addit; cuius usus alia exempla haec sunt: I, 4, 1. I, 8, 16. I, 17, 6. 11. I, 21, 14. I, 34, 13. II, 2, 21. II, 6, 21. II, 14, 26. III, 5, 34 sq. IV, 5, 30 sq. IV, 6, 15. IV, 7, 3. *Bentleius* et alii ex codd. *turbidum*, non bene: *turgidum* mare est πέλαγος οἰδμασι θῦον (Hesiod. Theog. 131), *turbidum* est aliquamdiu etiam post procellam. — *Acroceraunia*] propter altitudinem et fulminum ictus. — *dissociabili*] activa significatione, cf. *illacrimabilis* Carm. II, 14, 6: *penetrabilis* Ovid. Met. V, 67. Virg. Aen. X, 481. — *impiae transiliunt*] In utroque verbo inest gravissima temeritatis humanae notatio; nam transilire quoque levitatis est et superbiae. — *audax perpeti*] vide ad I, 1, 18. — *vetitum nefas*] adiectivum non sine magna vi additum; egregie enim sic indicatur, non nescientes peccare homines, sed *ruere* eos per scelera, quae scelera esse sciant.

V. 27. *Iapeti genus*] filius, Prometheus. Communis sententia, quae in his tribus exemplis humanae audaciae inest (Prometheus, Daedalus, Hercules), aperte proponitur ab Horatio Carm. III, 4, 65 sqq. Fabulae enim de Prometheo, Daedalo, Hercule humani generis certamen continent cum divina mente. — *fraude mala*] Non bene compararunt *dolum malum*. cum dolus etiam bonus esse possit, fraus non possit. In adi. *malus* inest pernicies, quae ex fraude in mortales fluxit. — *macies et nova febrium cohors*] Ob Promethei furtum irati dii Pandoram miserunt cum febribus et morbis, quibus homines, qui antea diutius vivebant, citius iam auferebantur. — *vacuum aëra*] Eiusmodi epitheta, quae propria et perpetua appellantur, a natura rerum petita, exornationis studio ab antiquis poetis adhibentur et vituperatione carent. Sic *aequor liquidum*, *aquae liquidae*, *agni laniqeri*, *aeriae aurae*, alia multa. cf. Pindar. Ol. I, 6: ἐρήμας δι' αἰθέρος. — *perrupit*] Ultima syllaba arsi producitur. Nec operam perdidisse videtur, qui docere studuit, syllabam *it* in hac forma antiquis temporibus longam fuisse suamque veterem naturam postea etiam saepe servasse: Virg. Georg. II, 211. Aen. VIII,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nil mortalibus ardui est:
Coelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

Carmen IV.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas:

969. X, 67. Ovid. Met. IX, 612. Ceterum Horatius in epistolis, in Art. poet. et in IV. Carm. libro omnem hanc licentiam omisit. Non necessaria igitur erat coniectura *perrupitque*.

V. 36. *arduī*] cf. Sat. I, 2, 84. Liv. VII, 26 »cuius populi ea classis fuerit, nihil certi est.« id. IX, 16 »nihil satis praeparati erat ad obsidionem tolerandam,« XXXVI, 7. XXII, 40. 61. Alii ex codd. *arduum*. *Est* in fine versus positum emphasin habet. — *neque*] Haec particula in fine versuum etiam lyricorum collocata docet, quam arte veteres versus coniunxerint, quam non oculis sed auribus scripserint. Reliqua exempla apud Horatium sunt: Carm. I, 18, 3. III, 1, 25. 38. III, 29, 46. IV, 8, 20. — *ponere fulmina*] Fulmina tela Iovis sunt. Ipsa autem fulmina *iracunda* appellantur ex enallage quadam adiectivi; quae ita debet esse comparata, ut ad utrumque nomen aequo iure adiectivum possit referri. cf. ad Carm. I, 1, 3.

Carmen IV.

Hiemis molestiis perlatis et homines et tota rerum natura ex longo quasi somno ingrataque inertia ad vitam et laetitiam redeunte vere revocantur. Cuius quidem amoenitatibus captus Horatius natura eiusque donis fruendum esse praecipit, cum praesertim homines non eadem vicissitudine utantur, sed angustiis aetatis circumscripti uno tantum vitae quasi vere gaudeant et certo senectutis adventu ad communem mortem spe citius abripiantur. In qua re tractanda Horatius hoc consilium secutus est: viginti versus carminis dividuntur in quinque partes quaternorum versuum; quarum prima et altera verno tempore redeuntem et ubique conspicuam vitam et vigorem describunt, tertia vero gaudendum ac fruendum iis quae denuo exoriantur praecipit, quarta et quinta cum reviviscente natura rerum comparant humanam condicionem. — Favonii ortum latini rustici assignabant circa Id. Febr. (Varr. R. R. I, 28. Colum. XI, 2, 15), quod eo primum tempore tellus moveri et plantae non paucae virere incipiebant; deinde Fauno (v. 11) sacrae erant Idus Febr., tum maria clausa erant ex a. d. III. Id. Nov. usque ad a. d. VI. Id. Mart.: quas res cum coniunxeris cum iis quae leguntur vv. 3. 6. 10., carmen intelliges scriptum esse exeunte mense Martio vel ineunte Aprili. Iam si annum quaeras, nihil vides ex ipso carmine effici; nam quid inde lucramur, quod L. Sestium a. 731 ab Augusto consulem sibi suffectum esse scimus? Dio C. LIII, 32: „Λούκιον δὲ Σήστιον ἀνθ' ἑαυτοῦ ἀνθείλετο (ὁ Αὔγουστος) ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συστρατεύσαντα καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον· τό τε γὰρ φιλικὸν καὶ τὸ πιστὸν τοῦ ἀνδρὸς οὐ μόνον οὐκ ἐμίσησεν ἀλλὰ καὶ ἐτίμησε.“

V. 1. *Solvitur hiems*] Virg. Georg. I, 44: »putris se gleba resolvit;« *acris* autem hiems est, quia constringit, contrahit. Sic *acre aconitum* Sat. II, 3, 116, *acria rapula* Sat. II, 8, 7. — *trahuntque*] Notandus iambus in prima sede. Per hiemem naves in littus

Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore, terrae quem ferunt solutae;
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas

subductae trabibus impouebantur, vere redeunte *deducebantur;* ea autem subductio et deductio machinis, quae *phalangae* dicebantur, fiebat. Caes. B. C. II. 10. Proprium igitur verbum *deducere* commutatum est ab Horatio cum verbo trahendi ad graecum ἕλκειν accommodato. — *neque — aut — nec*] Non tres sunt partes, sed duae; tertius enim versus animatam, quartus inanimatam habet naturam. — *Cytherea Venus*] ab insula Cythera dicta, quo Veneris cultus pervenit ab insula Cypro. Coniunxit autem haec nomina etiam Musaeus II. et L. 38: »ἀλλ' αἰεὶ Κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην,« non Horatium, sed antiqua et Graeca exempla imitatus. Venus autem vere incipiente ad terram descendit eamque vi sua fecundam reddit; sic apud Lucret. V, 735 sq.: »It ver et Venus et Veneris praenuntius ante Pinnatus graditur Zephyrus — *Gratiae decentes*] comites Veneris, ut Carm. I, 30, 6. IV, 7, 5. Hesiod. Theog. 907: „*Τρεῖς δὲ οἱ* (Iovi) *Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρῄους, Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα, Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν.*“ — *alterno pede*] ad rhythmum pede feriente. Cf. Callim. hymn. in Del. 306: „*Αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορὸς ἀσφαλὲς οὐδας.*“ — *Vulcanus ardens*] Iam verno tempore a Vulcano parantur fulmina, quae a Iove aestate mittantur. Ver enim breve est pelliturque instante ardore. Vulcanus dum candens ferrum procudit, ipse igne circumfusus ardere videtur. Sic supra I, 2, 2 rubens dextera Iovis. — *urit*] ut graecum *φλέγει, ἐπιφλέγει*: est igitur: tantis flammis incendit, ut eas comburere videatur. Similis locus est Sat. I, 2, 114; ut haudquaquam necessarium sit cum Bentleio ex paucis codd. scribere *visit*. Officinae Cyclopum montes sunt igulvomi. Cyclopes Caeli et Terrae filii sunt. Hesiod. Theog. 140: »*Βρόντης τε Στερόπης τε καὶ Ἄργης ὀβριμόθυμος, οἳ Ζηνὶ βροντὴν τ' ἔδοσαν τεύξάν τε κεραυνόν.*« Claud. de III. cons. Honor. 191: »Vobis iam Mulciber arma Praeparat et Sicula Cyclops incude laborat. Brontes innumeris exasperat aegida signis; Altum fulminea crispare in casside conum Festinat Steropes; nectit thoraca Pyracmon.«

V, 9. *nitidum*] unguentis; vide ad Carm. II, 3, 13. — *myrto*] Ea Veneri sacra habebatur (Virg. Bucol. 7, 62), eiusque usus frequens fuit in compotationibus, quia semper viret. Carm. I, 38, 5. II, 7, 25. — *flore*] aut floribus, si qui iam inveniuntur — *agna*] Duplex verbi *immolandi* est coniunctio, et *immolare alicui aliqua re*, ut hic et apud Cic. de legib. II, 12: »quibus hostiis immolandum cuique deo«, et *immolare alicui aliquam rem* ut Sat. II, 3, 164. — *pallida*] exsanguis; ipsa enim Mors naturam eorum induit quos abripuit. — *aequo pede*] De sententia cf. Carm. II, 3, 25. 14. 11. 18. 32. *Pul-*

Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

sando indicat Mors se adesse. Sic Ovid. Heroid. 21, 46: »Persephone nostras pulsat acerba fores.« Callim. hymn. Apoll. 3 »*Καὶ δήποτε τὸ θύμενρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει.*« — *regum*] divitum, ut Sat. I, 2, 86. II, 2, 45. Carm. II, 14, 11. II, 18, 34. Epist. I, 10, 33. A. P. 434. — *beate Sesti*] Sestium alloquitur poeta nunc demum idoneum locum nactus, nam is quoque dives erat; divitiis eum recte usum esse epitheton videtur significare.

V. 15. *summa brevis*] cf. I, 11, 6. IV, 7, 17. — *iam*] mox; sic *iam* cum futuro Carm. II, 5, 10. 13. II, 15, 1. II, 20, 13. IV, 6, 41 de re suo tempore certe futura ideoque confidenter exspectata vel exspectanda. — *premet nox*] Ex verbo *premendi*, quod genere suo ad noctem quidem accommodatum est, latius aliquod facile invenitur, quod *Manibus* convenit, veluti *habebunt*. — *fabulaeque*] est nominativus pluralis. Significat autem illud vocabulum inanitatem inferorum; apud quos qui sunt, iam nihil sunt nisi fabula, corpore scilicet carentes. cf. Carm. IV, 7, 16. Pers. 5, 152: »cinis et Manes et fabula fies.« Nam dubito, num tale quid subsit, quale est apud Iuvenal. Sat. 2, 149: »Esse aliquos Manes et subterranea regna, Et contum et stygio ranas in gurgite nigras, Atque una transire vadum tot milia cumba, Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.« — *domus exilis*] est egena et inops, sine supellectile, ut Epist. I, 6, 45. Nihil inquit, ibi reperies quo gaudeas: neque conviviis neque amoribus indulgendi facultas erit aut locus commodus. — *simul*] i. e. simul ac, ut Carm. I, 9, 9. I, 12, 27. II, 8, 5. II, 16, 2. III, 4, 37. III, 1, 7. III, 27, 33. IV, 7, 10. Ad sententiam compara Theognid. v. 997 (Welck.): »*Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πρῶτ' ἐπὶ γαῖα καλύψῃ Εἰς τ' Ἔρεβος καταβῇ, δώσειν Περσεφόνης, Τέρπεται οὔτε λύρῃς οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων Οὔτε Διωνύσου δῶρ' ἐσαειράμενος. Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίῃ εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ Γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.*« Sapph. fr. 69 Schneid.: »*κατθανοῖσα δὲ κείσεαι οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων Τῶν ἐκ Πιερίας, ἀλλ' ἀφανὴς κἠν Ἀίδα δόμοις Φοιτάσεις πεδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένα.*« — *regna vini*] In conviviis Romani *συμποσίαρχον*, regem vel principem convivii, magistrum bibendi talorum sorte eligebant. cf. Carm. II, 7, 25. — *calet*] de amore cum ablativo, quoniam idem est quod incendi. Sic Carm. II, 4, 7. III, 9, 6. IV, 11, 33. — *tepebunt*] de incipiente amore. Senec. epist. 92: »Frigidum aliquid et calidum novimus; inter utrumque tepidum est.« Lucret. II, 516 »Finit enim calor ac frigus mediique tepores Inter utrumque iacent.« Colum. 8, 5 »Curandum erit, ut pulli tepide habeantur, nam nec calorem nec frigus sustinent.« Non igitur significat timidiorem magisque verecundum amorem virginum,

Carmen V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam
Simplex munditiis? Heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat nescius aurae
Fallacis. Miseri, quibus
Intentata nites! Me tabula sacer

Carmen V.

Perfidus Pyrrhae amor comparatur cum fraudulento mari, quod cum tranquillum videatur, eos qui in littore versantur ad se quasi vocat trahitque, mox cum miseri se suaque eius fidei commiserunt, motis fluctibus omnes avide absorbet. Se ipsum fatetur Horatius eo naufragio prope exstinctum esse, neque tamen, ut sibi olim, ita aliis navigando salutem ut quaerant contingere. Pyrrha quae fuerit quaerere non minus vanum est quam si quis annum quo potissimum carmen videatur scriptum esse velit investigare. *Πύῤῥα* enim graece *flava* est.

V. 1. ***multa in rosa***] Singularis numerus in eiusmodi coniunctione usitatus: sic Cic. Tusc. III, 18, 43. V, 26. 73. de fin. II, 20, 65: »Potantem in rosa Thorium.« Recte tamen h. l. non coronas rosaceas sed lectum rosis stratum intelligunt, ut Sen. Epist. 36, 9 ***in rosa iacere***. — ***urget***] vide ad Carm. II, 9, 9. — ***flavam comam***] nam *πυῤῥά* est, et flavi capilli ab Italis propter raritatem pulchri habebantur. — ***simplex munditiis***] sed animo dolosa. — ***fidem mutatosque deos***] pro: mutatam fidem mutatosque deos. cf. ad Carm. I, 2, 1. — ***aspera***] quia excitata. — ***nigris rentis***] nimbis coelum obducentibus. Epod. 10, 5. Virg. Georg. III, 278. Vide supra ad I, 3, 14.

V. 8. ***emirabitur***] Sic in omnibus codicibus, sed vocabulum apud bonos scriptores alias non legitur, quare Bentleius malebat, ***ut mirabitur***, alii ***demirabitur***, ego olim ***eluctabitur***; sed nihil mutandum. Est enim ***mirari ad mortem***, quo summum significatur stuporis genus. Iam praeterea *ἅπαξ λεγόμενα* apud Horatium haec sunt: ***irruptus*** Carm. I, 13, 18; ***allaborare*** I, 38, 5; ***tentator*** III, 4, 71; ***exsultim*** III, 21, 10; ***inaudax*** III, 20, 3; ***immetata*** III, 24, 12; ***Faustitas*** IV, 5, 18; ***beluosis*** IV, 14, 47; ***applorans*** Epod. 11, 12; ***inemori*** Epod. 5, 34; ***prodocere*** Epist. I, 1, 55; ***emetere*** Epist. I, 6, 21; ***laeve*** Epist. I, 7, 52; ***insolabiliter*** Epist. I, 14. 8; ***depugis*** Sat. I, 2, 93; ***vepallidus*** ib. 129. — ***insolens***] non assuetus tantae perfidiae ac tempestati. — ***aurea***] iterum quia *πυῤῥά* est, tum latius de tota formositate. — ***vacuam***] ab aliis non occupatam, sibi uni deditam. — ***aurae***] et de vento et de favore; utraque res mutabilis. De genitivo cf. Carm. III, 2, 17. — ***tabula***] Solebant qui ex naufragio divina ope erepti erant in templis deorum marinorum tabulam votivam et

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Carmen VI.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor Maeonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.

Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem

vestimenta, quibus cum naufragium paterentur erant induti, suspendere. cf. Sat. II, 1, 33. A. P. 20. Virg. Aen. XII, 766.

Carmen VI.

Generalis sententia, ex qua tota haec M. Vipsanii Agrippae laudatio ducitur, haec est: *non omnia possumus omnes* vel *sciendum, quid humeri ferant quid ferre recusent*. Est enim carmen ita institutum, ut poeta, cum magnis rebus gestis digne laudandis inferiorem se diceret, praeclara Agrippae facinora cum antiquis apud Homerum viris fortibus comparata summa qua in lyrico carmine possit fieri laude tecte et artificiose exornaret. Eiusdem artis et simulationis alia exempla sunt Carm. II, 12. IV, 15. In qua re hunc ordinem nobis observare videmur: media stropha principalem sententiam habet utrimque cincta duabus strophis, quarum quidem ut quarta alteri respondet, sic quinta contra primam posita quid inter epicum poetam discriminis intersit et Horatianam lyram iocose prope ostendit. — Non potest dici ad quem annum carmen referendum sit, quamquam illud veri simile est, haud ita multo post victoriam Actiacam optime laudes Agrippae victoris scribi potuisse, et certum videtur, carmen scriptum esse ante a. 727, quo Octavianus *Augusti* nomine ornatus est.

V. 1. *Vario*] L. Varius, poeta epicus et tragicus, natus circa a. u. c. 672, amicus fuit Virgilii et Horatii; carmina composuit de morte Caesaris et de laudibus Octaviani, deinde tragoediam scripsit Thyesten; Augusto iubente Virgilii mortui (a. 735) Aeneidem cum Plotio Tucca emendavit; mortuus ipse videtur ante a. 744. Praeter paucos versus nihil ex eius carminibus nobis relictum est. — *Maeonii carminis*] Homerici, a patria Homeri Smyrna, Maeoniae s. Lydiae urbe. — *alite*] cycno, i. e. poeta, cf. Carm. IV, 2, 25. Ablativus in omnibus codicibus legitur. Cuius constructionis exempla non apud Horatium solum sed omnino rarissima sunt. Vide tamen Epist. I. 1, 94: »curatus inaequali tonsore« et Sat. II, 1, 84: »laudatus Caesare.« Quare non opus est coniectura *aliti*, ut dativum habeamus pro ablat. cum praepositione *ab*. — *quam rem cunque*] de tmesi cf. I, 7, 25. I, 9, 14. I, 16, 2. I, 27, 14, et Carm. I, 17, 10. I, 21, 6. I, 28, 25. Ceterum in his *scriberis quamcunque rem miles gesserit* attractionis quoddam liberius genus est, quod sic intelligas: *scriberis et scribetur*. Bentleius scripsit *Qua rem cunque*, ne poeta Agrippam vituperare magis quam laudare videretur. »Quid enim? inquit, an quamcunque rem gesserit Agrippa, sive mediocrem sive leviculam et nullius momenti, dignum Maeonio carmine argumentum erit? an

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pelidae stomachum cedere nescii
Nec cursus duplicis per mare Ulixei
Nec saevam Pelopis domum
Conamur tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit aut pulvere Troico
Nigrum Merionen aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium

victor erit hostium, etiamsi male rem gesserit?« At Agrippa quamcunque rem gessit, bene gessit: tantus erat in re militari. — *gravem Pelidae stomachum*] Exprimunt haec verba argumentum Iliadis Homericae: *μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος*; eodem modo *cursus duplicis Ulixei* Odysseam significant. *Gravis* stomachus est, ut apud Homerum *οὐλομένη ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν*. — *duplicis Ulixei*] *διπλοῦς*, subdolus, versutus, *πολύτροπος*. Genitivi forma a nominativo *Ulixeus*, ut Epod. 17, 16. Dorienses pronuntiabant *Οὐλίξης*, unde Cicero semper *Ulixes*. — *saevam Pelopis domum*] Spectant haec ad Varii Thyesten, cuius argumentum sumptum fuit ex funestissima illa Pelopidarum familia, quae tragicis poetis largam scribendi materiam praebuit. Perpetua enim caede tota domus exstincta est: Pelops socerum interfecit Oenomaum, Atreus liberos Thyestae fratris, Aegisthus et Clytaemnestra Agamemnonem, Orestes denique Aegisthum et matrem Clytaemnestram. — *tenues*] cf. Carm. IV, 2, 27—32. IV, 15, 1—4. — *deterere*] translatum a metallis.

V. 13. Caesarem et Agrippam Martis et graecorum heroum aeternam gloriam attingere et aequiparare ostendit. Tria autem nomina posuit suo more; in quibus quod Merionen reperimus, id eum non offendet qui ex carmine I, 15 Horatium non summos solum heroas, sed etiam qui summis proximam virtutem probaverint, laudare viderit. cf. Hom. Il. XIII, 159 sqq. 246 sqq. 528 sqq. 567 sqq. 650 sqq. V, 59 sqq. VIII. 264. — *tunic. tect. adamant.*] est *χάλκεος Ἄρης* Hom. Il. V, 704. 866. Compara Homerica epitheta *χαλκοχίτων, χαλκεοθώρηξ*. — *nigrum*] cf. Carm. II, 1, 22. — *Tydiden*] vide Hom. Il. V, 846—887. 330—352. — *sectis in iuvenes unguibus*] Animadvertendum est oxymoron *sectis acrium*, quae verba haud temere alterum in initio alterum in fine versus posita sunt. Deinde festive haec non cruenta proelia contra veras caedes et pugnas ponuntur. Aliis certissima visa est emendatio Bentleii *strictis*, ut Ovid. Am. I, 6: »Non timeo *strictas* in mea fata *manus*.« Stat. Theb. III, 536: »*strictis unguibus* instant.« Ordo verborum hic est *sectis unguibus acrium in iuvenes*; quattuor enim vocabula, quorum bina coniungenda sunt, ita saepe Horatius disposuit, ut alterum par primum et tertium, alterum secundum et quartum locum versus obtineret. Versus ipse caesura in duas partes dividitur; alterum verborum par in fronte, alterum in fine

Cantamus vacui sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

Carmen VII.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen
Aut Epheson bimarisve Corinthi
Moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare et

nihil frequentius est in pentametris elegiacis. Alia exempla supra habes v. 7. 13. — *vacui*] liberi ab amore. Adiectivum ut participium positum est: *sive vacui sumus*; sic Carm. I. 32, 6. Sat. II, 5. 11. — *quid urimur*] Accusativus adverbialis ne a pedestri quidem oratione abhorret. — *non praeter sol. leves*] Quae levitas proxime pertinet ad amorem, transfertur autem ab amore ad rationem poeticam.

Carmen VII.

Dividitur hoc carmen in tres partes, quarum prima est usque ad v. 10, altera ad v. 21, tertia usque ad v. 32. Prima parte, quae est exordium, ostenditur alios alias magnis laudibus efferre regiones et urbes; quorum iudiciis medio carmine opponitur ipsius Horatii amor solitudinis et rusticae vitae, quo ut amicus quoque capiatur et a negotiis et strepitu hominum ad otium et quietem leniter perducatur sapienter et amice optatur. Tertia deinde parte Teucri exemplo exulis docetur, quocunque homines ferantur aut fato agitati aut voluntate ducti, si hilaritatem et continentiam animi servaverint, beatos eos fore et reperturos quae ad vere recteque vivendum requirantur. — L. Munatius Plancus, ad quem carmen scriptum est, Caesare, apud quem pugnaverat in Gallia et Africa, mortuo varius et inconstans primum Ciceronem, deinde Antonium, tum Octavianum secutus est. Ceterum Hieronymus Ciceronis discipulus, orator habetur insignis.« Quo tempore h. c. scriptum sit, non possumus pro certo affirmare, nisi quod veri simile videtur, tum demum potuisse scribi, cum Munatius Antonium iam reliquisset; id quod factum est a. u. c. 722. Fuerunt autem qui v. 15 in duo carmina disiungendum putarent, parum intelligentes, neutra parte totum carmen absolvi.

V. 1. *claram Rhodon*] mercatura, artibus, eloquentiae studiis. Suet. Tiber. c. 11: »Rhodum enavigavit amoenitate et salubritate insulae captus.« — *Mytilenen*] quam Lesbi insulae urbem Cicer. de leg. agr. II, 16 »et natura et descriptione aedificiorum et pulchritudine imprimis nobilem« vocat. — *bimaris*] cf. Ovid. Met. V, 407. Eurip. Troad. 1097: »δίπορον κορυφὰν Ἰσθμιον.« — *carmine perpetuo*] Olea Minervae sacra fuit; ea enim dea culturam et plantationem eius arboris invenisse dicebatur: Athenis certe ea cultura et vetustissima et frequentissima fuit; vid. Herod. V, 82: »Λέγεται δὲ καὶ ὡς ἐλαῖαι ἔσαν ἄλλοθι γῆς οὐδαμοῦ καὶ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἢ Ἀθήνῃσι.« *Fronti praeponere* est *caput redimire*. Quod aliud caput potest intelligi nisi ipsorum poetarum? Dicit igitur Horatius: »Nihil antiquius habent quam Minervam eiusque urbem celebrare; quare quidquid canunt, olivam i. e. laudem Minervae quaerunt in eaque celebranda suam sibi coronam simul

Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila coelo
Saepe Notus neque parturit imbres

mis quidem rebus abstinent a laude Athenarum.« Ironiae aliquid in his verbis inest. Alii carmen *perpetuum* epicum esse voluerunt, ut apud Ovid. Met. I, 4. — *et*] in fine versus collocata particula saepe apud Horatium etiam in lyricis: Carm. I, 3, 19. I, 7, 6. I, 9, 13. I, 35, 11. II, 6, 1. 2. II, 13, 23. II, 16, 47. al. cf. ad Carm. I, 3, 38. Habet autem haec particula h. l. facultatem quam dicimus consecutivam: *et inde*; cuius usus apud Horatium haec addo exempla: I, 16, 24. I, 17, 2. 27. I, 29, 2. I, 30, 2. II, 2, 11. 15. II, 3, 19. 27. II, 6, 18. II, 18, 24. III, 1, 1. III, 3, 35. 71. III, 6, 42. III, 11, 11. 51. III, 15, 6. IV, 7, 21. IV, 13, 10. — *Plurimus*] Singularis cum audacia quadam collocatus est: cum enim Romani dicerent *multus hostis, multus pedes, multa canis* (Hor. Ep. 2, 31), hoc quoque ausus est, ut adiectivum etiam substantivi auxilio destitutum eadem ratione inferret. Oudendorpius negavit latine sic scribi posse; itaque corrigendum putavit *plurimus in Iunonis honore*, ut sit: alter, qui plurimus sive multus est in honore Iunonis, dicet Argos. Fuit etiam, qui negaret apud bonos scriptores reperiri: quidquam in alicuius laudem scribere; veteres enim dixisse: honoris causa in aliquem scribere. At similiter certe scriptum est apud Quintil. XI, 2, 12: »cum esset grande convivium in honorem eiusdem victoriae«; et infra Epod. 1, 24. — *aptum equis*] ἱπποτρόφον, ἱππόβοτον, Homericum epitheton; sic βασιλῆι πολυχρύσοιο Μυκήνης. — *patiens Lacedaemon*] propter morum disciplinam et severas Lycurgi leges. Horatius prisca tempora respexit, ut, cum sua aetate et equestris gloria Argivorum et divitiae Mycenarum et patientia Lacedaemoniorum iam diuturna oblivione premerentur, quam inanis tunc esset earum urbium nimia laudatio, ipsis epithetis dilucide ostenderet. — *Larissae*] Thessaliae urbis ager fertilissimus erat. Hom. Il. II, 841 Λάρισαν ἐριβῶλαξ. — *percussit*] graviter movit.

V. 12. *domus Albuneae*] Praestantiam et amoenitatem agri Tiburtini, in quo et Horatius saepe commorabatur et Munatius villam habuit (v. 21), non sine magno patriae terrae amore ita describit, ut omni ratione cum Graeciae nobilissimis et pulcherrimis locis certare Italiam posse demonstraret. Albunea est Sibylla, quae Tiburi ut dea colebatur; de cuius antro, per quod Anienis flumen ingenti strepitu perfunditur, Virgilium lege Aen. VII, 82 sqq. — *praeceps Anio*] Plin. epist. VIII, 17: »Anio, delicatissimus amnium ideoque adiacentibus villis velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, et fregit et rapuit.« — *Tiburni*] qui filius s. nepos Amphiarai cum fratribus Catillo et Cora Tibur oppidum condidisse fertur. cf. Carm. I, 18, 2. Virgil. Aen. VII, 671. Ovid. Fast. IV, 71: »Et iam Telegoni, iam *moenia Tiburis udi* stabant, Argolicae quod posuere manus.« — *Albus*

Perpetuo, sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona
Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cunque feret melior fortuna parente
Ibimus, o socii comitesque:
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
Certus enim promisit Apollo,

Carm. III, 27, 19. In hoc versu adiectiva *albus obscuro* eo consilio iuxta collocata esse apparet, ut imago quae proponitur ipso verborum certamine clariore luce collustretur. — *detergeat*] a *detergeo*, antiquiore verbi forma. — *neque part. imbres*] Apud Horatium ut apud alios poetas saepe fit, ut sententia quo gravius tangat animum audientium vel legentium non tota simul pronuntietur, sed aut in partes dissecetur aut varie ipsa proponatur. Hoc alterum amplificationis genus ita variatur, ut coniunctam habeamus modo affirmantem et negantem, modo propriam et tropicam enuntiationem. Prioris generis exemplum hoc est de quo nunc agitur, quocum conferas hos locos Carm. I, 3, 12. I, 8, 10. II, 9, 10. II, 10, 19. II, 14, 22. II, 16, 3. III, 6, 26. III, 9, 6. IV, 4, 31. Qua re fieri solet, ut sententiae saepe causales et consecutivae non iis, quibus in oratione utendum est particulis, adiiciantur, sed his *et*, *que*, *nec*, *neque* simpliciter addantur.

V. 17. *sapiens*] vide ad I, 2, 45. Ad sententiam cf. Eurip. Alc. 806: »οὔκουν, τὴν ἄγαν λύπην ἀφεὶς Πίῃ μεθ' ἡμῶν τάσδ' ὑπερβαλὼν πύλας, Στεφάνοις πυκασθείς; καὶ σύ γ' οἶδ', οἶδ' οὕνεκα Τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ ξυνεστῶτος φρενῶν Μεθορμιεῖ σε πίτυλος ἐμπεσὼν σκύφου.« — *molli mero*] Vinum vetustum molle, recens austerum est. Hoc tamen loco adi. *molli* per quandam prolepsin positum est, quoniam vini sapienti usu »mordaces diffugiunt sollicitudines.« (Carm. I, 18, 4.) — *tenebit*] Praeterquam quod ipsa eiusdem verbi repetitio gravis est (quae quidem gravitas locis quos verbum in versu occupavit etiam augetur), futurum tempus Munatio quid faciendum sit leniter suadet. — *Teucer*] Telamo Aiaci et Teucro filiis ad Troianum bellum proficiscentibus eam imposuit legem, ut alter alterum tutaretur neve alter sine altero rediret. Aiax cum in certamine de armis Achillis Ulixi esset posthabitus, manum sibi ipse intulit; quare Teucer redux a patre non est acceptus. Quo facto is Salamine insula relicta Cyprum profectus alteram ibi urbem patriae cognominem condidit. — *Lyaeo*] Baccho, vino. Quod nomen cur in hac sententia aptissimum visum sit, facile intelligetur. — *uda*] sunt calida, exhilarata. — *populea*] Populus Herculi sacra est. Qui itinera faciebant, sacrificabant τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ. Xen. An. VI, 3, 24.

V. 27. *Teucro duce*] Teucri nomen post caesuram et in fine versus collocatum audientium legentiumve animos ad se convertit. Ceterum haec ex usu Romano ad Graecum hominem translata sunt. Cf. Liv. VI, 12, 6: »Camilli ductu atque auspicio acci-

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.

Carmen VIII.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere, cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis,
Cur neque militaris
Inter aequales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis.
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum

sae res erant« et saepe. Poeta concretum quod vocant posuit pro abstracto nomine. Cf. Lucan. II, 371: »auspice Bruto.« — *peioraque passi*] cf. Cic. Tusc. V, 37, ubi huius Teucri vocis mentio fit. Virg. Aen. I, 198. — *ambiguam*] ut *falsus, simulatus* apud Virgilium Aen. III, 302. 349. Ambiguum erit, si quis in posterum Salaminis meminerit, utram velit indicare, in sinu Saronico an in insula Cypro. Teucer ipse haec commemorat apud Eurip. Hel. 146: »ὡς τύχω μαντευμάτων, Ὅπῃ νεὼς στείλαιμ' ἂν οὔριον πτερὸν Εἰς γῆν ἐναλίαν Κύπρον, οὗ μ' ἐθέσπισεν Οἰκεῖν Ἀπόλλων, ὄνομα νησιωτικὸν, Σαλαμῖνα θέμενον, τῆς ἐκεῖ χάριν πάτρας.«

Carmen VIII.

Castigatur iuvenis Romanus, quod Lydiae amore et illecebris tantopere se irretiri passus est, ut neglectis omnibus ingenuo adolescente dignis artibus et exercitationibus iam lateat apud mulierculam ipse effeminatus ac mollis. Quam rem artificiose ita instituit Horatius, ut non ipsum iuvenem tangeret, sed in Lydiam inveheretur. Incertum est, quae Lydia, quis Sybaris fuerit. Ipsa autem nomina mollitiem indicant. De tempore inane est aliquid suspicari.

V. 1. *properes*] Cruquii lectionem et interpungendi rationem restitui; nimirum verisimile est, Cruquium, qui de suis codd. nihil dixerit, ad optimorum suorum codicum Blandinn. auctoritatem sese applicasse. Et recte Peerlkampio *oderit* inter reliquas formas alienum visum est, sive pro coniunctivo sive cum Bentleio pro indicativo futuri habetur. — *campum*] Martium, solis aestui maxime expositum. — *patiens pulv.*] cum antea *patiens* pulveris et solis fuerit. Tum recensentur diversa gymnicorum ludorum genera, quibus iuvenes Romani in campo exercebantur. — *militaris*] more militari. — *lupatis frenis*] frenis asperrimis: dicta autem lupata a lupinis dentibus, quos forma imitabantur. — *Gallica ora*] Gallicos equos feroces et celeres, quos multos ex Gallia petiisse Romanos constat. — *nec*] Haec quoque particula ut cognata *et* postponitur a poetis, cf. Carm. III, 18, 6. IV, 5, 14. — *olivum*] Luctaturi oleo ungebantur, ne facile

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sanguine viperino
Cautius vitat neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
Funera, ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

Carmen IX.

Vides, ut alta stet nive candidum

teneri possent ab adversariis. — *livida armis brachia*] Ut crura compedibus, brachia catenis livescunt, sic armorum, disci et iaculi, gravi pondere brachia lividas maculas trahunt. — *Filium Thetidis*] Achillem, qui a matre, ne ad Troianum bellum profectus periret, in Scyrum insulam ad Lycomedem regem missus est, ubi inter filias regis muliebri veste tectus latuit, donec Ulixis dolo captus virum se esse prodidit. Ovid. Met. XIII, 163 sqq. — *Lycias catervas*] Lycii Troianorum socii fuerunt Sarpedone et Glauco ducibus. Hom. Il. II, 876. De particula *et* vide ad I, 3, 19.

Carmen IX.

Olim cum Horatius cum aliis aetate et animo coniunctis iuvenibus hilariter epularetur, forte factum esse videtur, ut gratae sodalium nugae et colloquia ad serias res, ad reipublicae tristem condicionem et ad futurarum rerum miseram exspectationem aberrarent. Quod cum aegre ferret Horatius, subito surgit et alloquitur thaliarchum i. e. magistrum coenae, ut quibus tunc maxime opus esset rebus maiorem curam adhiberet. Iam cum frigore omnia contracta rigerent, cumque convivae ita accumberent, ut ex triclinio Soracte montem in finibus Faliscorum nive et glacie tectum conspicerent: »vides, inquit, quanto nunc frigore premamur; huic igitur rei ligno largius ad focum apposito consulas; vides etiam, quam nunc tristibus sententiis etiam animi adstringantur, quibus aeque providendum est vini copia liberaliter aucta. Reliqua omnia qualiacunque sunt nunc nos mittamus, fruamur quibus possumus frui, amoribus, saltationibus, lusibus. Nam quae reliqua sunt etiamsi omnia ex voluntate non cedant, tamen res nostrae curae sunt diis, qui ut tempestates sereno coelo mitigare solent, sic quibus nos movemur curis eas quoque delebunt.« Aliis *Thaliarchus* est fictum nomen sodalis alicuius. Imitatus est Horatius *Alcaeum* (Schneidewin Del p. 273): »Ὑει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας Χειμών, πεπάγασιν δ' ὐδάτων ῥοαί. Κάββαλλε τὸν χειμών', ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως Μελιχρόν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ Μαλθακὸν ἀμφι[τίθει] γνόφαλλον.« — Totius carminis natura suadere videtur, ut carmen haud ita multo post proelium Philippense scriptum esse credamus, eodem fere tempore quo Epod. 13, quod carmen huic et re et verbis simillimum est.

V. 1. *stet*] Stare res apud poetas dicuntur, quae ita operta et oppleta sunt ut moveri iam non possint. cf. Virg. Aen. VI, 300. XII, 408. Clau-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Soracte nec iam sustineant onus
Silvae laborantes geluque
Flumina constiterint acuto.
Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens, atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem Fors dierum cunque dabit lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora,

dian. de laud. Stilich. I, 257: »stant pulvere Syrtes«; quod ad inanimatas quoque res hoc verbum transfertur, id noli mirari, quoniam poetis ubique motus est et vita. — Particula *ut* cum sequitur verbum *videndi*, similia, quae eius ope adiungitur sententia non pro obiecto est quod vocamus, sed describitur qua ratione fiat. Horatiana exempla alia sunt Carm. I, 14, 3. III, 10, 7. III, 4, 17. 42. III, 7, 13. — *laborantes*] cf. Carm. II, 9, 7. Hoc quoque ex studio poetarum inanimatis quoque rebus vitam et sensus tribuendi. — *reponens*] per servos. — *deprome Sabina diota*] Diota vasculum est duas aures (*ὦτα*) habens, utrimque ansatum, in quo vinum condebatur. Sabina autem appellatur propter vinum quod in ea conservatur Sabinum, non nobile quidem sed non vilissimum. — *simul*] vide ad Carm. 1, 4, 17. — *stravere*] Ventos sternere poeticum est; in oratione dicimus *compescere, sedare*. — *fuge quaerere*] vide supra ad Carm. I, 1, 8. De sententia cf. Eurip. Alc. 804 sqq.: »*Τὸν καθ' ἡμέραν Βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης· Τίμα δὲ καὶ τὴν πλεῖστον ἡδίστην θεῶν Κύπριν βροτοῖσιν.*« Archil. fr. 49 Schneidewin.: »*Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα.*« — *Fors*] Alii *sors*, sed sors eventus est, non ipsa vis fati. Catull. 64, 169 »saeva Fors etiam nostris invidit questibus aures.« — *puer*] donec puer es; vide ad Carm. I, 6, 19. — *neque tu*] Pronomen *tu* in arsi positum auget adhortationis vim cf. Epist. I, 2, 63. Senec. Herc. fur. 1217: »sive me altorem vocas seu tu parentem.«

V. 18. *areae*] loca publica ad templa fere sita, in quibus conveniebat iuventus et deambulabat. — *re-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

Carmen X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,

petantur] iterum atque iterum quaerantur. — *nunc et latentis*] Describitur lusus amantium, quo puella in angulo aliquo domus latens velle quidem se fallere amatorem simulat, sed dulci risu ipsa curat, ut celeriter reperiatur, deinde amator armillam vel anulum reluctanti quidem sed vinci cupienti aufert. In vv. 21. 22. animadvertendus est admirabilis verborum ordo, quo quae mixta et perturbata videntur, versuum tamen locis, in quibus quae coniungenda sunt verba collocata habemus, clarissima luce illustrantur. Nam trinorum parium nominum (*latentis puellae, proditor risus, intimo angulo*) tria superiora (*latentis proditor intimo*) eosdem locos obtinuerunt in v. 21, quos tria inferiora (*puellae, risus, angulo*) in v. 22 occuparunt; *latentis puellae* in arsibus et caesuris, *proditor risus* in initiis sunt alterarum partium versuum, *intimo angulo* versus claudunt. Et sic quoque habes certum ordinem

1.	2.	3.	4.	5.	6.
lat.	prod.	int.	puell	ris.	ang.

Cum qua re conferas adnot. ad Carm. III, 11, 26 sq. — *male*] non admodum.

Carmen X.

Hymnus est ad Mercurium, filium Iovis ex Maia Atlantis filia, qui cum ut graecus Ἑρμῆς deus esset rationis et eloquentiae, plurimum valuit et ad excolendum genus hominum et ad iungendos deos non solum inter se sed etiam cum hominibus. Nam de eloquentia sic Cicero de orat. I, 8: »Quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere?« Ea autem cultura hominum duplex est, animi et corporis; quare Mercurius non λόγιος solum sed etiam ἀγώνιος est. Deinde cum ad eloquentiam et persuadendi vim prudentia et calliditas facile accedant, fieri non potuit, quin hae quoque facultates in Mercurium transferrentur, unde et *pacifer* est, quoniam bellantium et rixantium animi eloquentiae potestate placantur et conciliantur, et *fur*. λῃστὴρ (h. Merc. 14) dicitur, quia in furtis quoque et iocis acumen maxime adiuvat. Ex hac autem Mercurii virtute intelliguntur tres strophae mediae. Tum idem deus lyram quoque invenisse dicitur, quia musica ars multum valet ad formandos hominum animos et eloquentia propinqua est poesi. Denique Mercurius est, qui homines cum ipsa morte conciliat, ut animas ad inferos ducat et ψυχοπομπὸν vel ψυχαγωγὸν nomen acceperit. Qua quidem ratione perspicuum est, eloquentiae vi ac potestate omnia coniungi et placari, deos cum hominibus, homines cum inferis; quare in hac laudatione Mercurii insunt laudes eloquentiae. Tempus carminis, quod, nisi vestigia fallunt, ad Alcaei exemplum compositum est, non potest definiri. Alcaei carmen eodem metro erat scriptum, ut ostendit fragmentum: »Χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις, σὲ γὰρ μοι.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
More palaestrae,
Te canam, magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem,
Callidum quidquid placuit iocoso
Condere furto.

Te boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis.

V. 2. *recentum*] recens creatorum, qui fuerunt »mutum et turpe pecus« Sat. I, 3, 100. — *decorae*] Nam ludis gymnicis corpora finguntur ad statum motumque decentiorem, politiorem. — *callidum condere*] vide ad Carm. I, 1, 18. — *boves*] Apollini, qui ob confossos Cyclopes e coelo eiectus armenta Admeti, Pheraeorum regis, pasceret, Mercurius puer clam boves abegisse dicitur et celasse. Quod furtum cum sensisset Apollo et puero nisi raptas reddidisset graves poenas minaretur, pharetra cum sagittis spoliatum se vidit. Inermis igitur factus non potuit non ridere. — *viduus*] poetice pro generali vocabulo *privatus*. — *Atridas*] Rem narrat Hom. Il. XXIV, 336 sqq. — *superbos*] *μεγαθύμους, μεγαλήτορας*. — *Ilio relicto*] Apud Horatium eius nominis duplex et forma est et genus: nominativus *Ilios* Carm. IV, 9, 18 feminini est generis, inde accusativus *Ilion*, id quod quamquam non ex Carm. III, 3, 37, tamen ex Epod. 14, 14 elucet; verum ablativus *Ilio* cum neutrius generis sit praeter hunc locum etiam Carm. III, 19, 4. IV, 4, 53. Epod. 10, 13 (unde idem genus in quinto loco Carm. I, 15, 33 esse suspicaberis), a nominativo *Ilium* vel *Ilion* (Carm. III, 3, 18 coll. 23) factus est. — *virga aurea*] *ῥάβδῳ χρυσείῃ*. Hom. Od. XXIV, 1—5. — *levem turbam*] *εἴδωλα*, non corpora. — *imis*] poetice pro *inferis*.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XI.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, sapias, vina liques et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem quam minimum credula postero.

Carmen XI.

Cicero de divin. I, 1: »Chaldaei, inquit, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset.« Tacit. Hist. I, 22: »genus, inquit, hominum infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.« Cic. de divin. I, 19: »Contemnamus etiam *Babylonios* et eos qui e Caucaso coeli signa servantes *numeris* stellarum cursus et motus persequuntur.« cf. Tuscul. disp. I, 40. Horatius quanto melius sit iis quae habeamus sapienter frui, quam inanibus doctrinis falli ac diuturnae vitae spem capere hoc parvo sed egregio carmine Leuconoae suadere studet. De quo nomine si quae divinatio conceditur, facile opineris, consulto ita factum esse ab Horatio, ut quae clara mentis acie (*λευκὸς νοῦς*) praedita esset, eam imprimis non debere decipi falsis artibus ipso nomine demonstraret. Ad mulierem ideo scripsisse videtur, quia mulieres astrologis fuerunt deditissimae. De tempore unum hoc certum est, scripta esse haec hieme et in littore maris Tyrrheni (v. 5 sq.).

V. 1. *scire nefas*] Cur nefas sit intelliges ex simillimo loco Carm. III, 29, 29 sqq. — *quidquid erit*] Sic Ovid. Heroid. 18, 51. »Quidquid erit, patiar.« — *nec*] cf. ad III, 29, 6. — *quae nunc*] Nihil in hoc versu aliud quaerendum est nisi poetice aucta et amplificata notatio hiemis quae tunc erat. — *debilitat*] littus enim est »fluctifragum« Lucret. I, 305. — *spatio brevi*] Intelliguntur haec ex simillimo loco Carm. I, 4, 15. — *vina liques*] De qua re *Becker* in Gallo T. II. p. 170 ed. I. »Gewöhnlich seihete man den Wein durch den saccus vinarius und das colum, eine Art Sieb oder Durchschlag von Metall mit feinen Löchern ... Der saccus war ein leinener Filtrirsack, das schlechteste Mittel, da das Seihen durch Leinwand den besten Wein zur elenden vappa macht.« cf. Hor. II, 4, 54. »Indessen wurde der saccus auch bei guten Weinen gebraucht. Man pflegte nämlich colum und saccus mit Schnee zu füllen und darauf den Wein zu giessen, um ihn zu erfrischen.« Ad quam rem Meinekius attulit haec Pherecratea apud Athenaeum XI. p. 480. b.: »*Νυνὶ δ' ἀπονίζων τ' ἐν χύλικα δὸς ἐμπιεῖν Ἔγχει τ' ἐπιθεὶς τὸν ἠμόν.*« — *reseces*] cf. Cic. Tusc. IV, 26, 57: »Quod aiunt, *nimia resecari* oportere, naturalia relinqui cet.« — *carpe diem*] cf. Epist. I, 4, 13. Invida autem est aetas, quia vitae longiorem usum non concedit. In carpendo inest notio celeritatis. Martial VII, 47, 11 »Vive velut rapto *fugitivaque* gaudia *carpe*.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XII.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? Cuius recinet iocosa
Nomen imago
Aut in umbrosis Heliconis oris
Aut super Pindo gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,

Carmen XII.

Est *ἐγκώμιον* Augusti Pindarico more compositum. Dividitur autem carmen in tres partes. Prima exordium est, ad exemplum Pindari accommodatum, per tres strophas continuatum. Altera pars novem strophas habet, in duas partes ipsa divisa; nam strophis 4. 5. 6. 7. 8. dii heroesque laudantur, quorum non potestas solum sed etiam beneficentia humano generi perspecta est. Deinde descenditur strophis 9. 10. 11. 12 ad duces et principes, atque celebratos potissimum eos reperies, qui aut gloria militari aut administrandae reipublicae scientia eminuerunt aut priscae virtutis Romanae, constantiae, paupertatis, simplicitatis exempla habebantur. Per quorum seriem poeta, postquam Marcellum quoque nominavit, in quo posita erat futurae aetatis spes et salus, pergit ad gentem Iuliam et *tertiam* partem carminis. Iam ad summum quasi fastigium quo voluit pervenit; adduntur gravissimae preces pro salute Caesaris Augusti, qui qualis Iuppiter in coelo talis est in imperio Romano i. e. toto orbe terrarum, quem externos hostes, etiam remotissimos (Parthos, Indos), superaturum et internam pacem iustitia, aequitate castitateque conservaturum esse amantissimus quisque patriae sperabat. Sic haec quoque tertia pars tres strophas complectitur. Anno 730 a. u. c. carmen compositum esse veri simillimum videtur, quoniam Marcellus a. 731 adolescens mortuus est neque ante a. 729, quo anno Iuliam Augusti filiam XVII annos natus in matrimonium duxit, spem potuit excitare fore ut mortuo Augusto imperium acciperet suaque dignitate augeret. Deinde initio a. 730 Augustus ex Gallia et Hispania, ubi gravi morbo paene oppressus erat, victis hostibus Romam rediit Ianique templum iterum clausit. Praeterea memorabilis in hac re locus est Dionis LIII, 28: »*ἀφικομένῳ δὲ ἐς τὴν Ῥώμην ἄλλα τινὰ ἐπί τε τῇ σωτηρίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ ἀνακομιδῇ αὐτοῦ ἐγένετο, τῷ τε Μαρκέλλῳ βουλεύειν τε ἐν τοῖς ἑστρατηγηκόσι καὶ τὴν ὑπατείαν δέκα θᾶττον ἔτεσιν ἢπερ ἐνενόμιστο αἰτῆσαι*«

V. 1. cf. Pind. Olymp. II, 1: »*Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεὸν τίν' ἥρωα τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν*«; —*iocosa imago*] est Echo; sic Carm. I, 20, 6—8. Romani enim proprio vocabulo carebant. — *Heliconis*] Triplex Musarum sedes; antiquissima Thraciae mons Haemus. — *Orphea*] Nota est fabula de veterum vatum, Orphei et Amphionis, non in homines solum sed in bruta animalia, etiam in inanimatas res, potestate, quae summa hic describitur et inhibito fluminum et ventorum, quibus nihil est mobilius, motu et ductis secum quercubus, quibus nihil est durius neque quidquam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis?

Unde nil maius generatur ipso
Nec viget quidquam simile aut secundum.
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Proeliis audax neque te silebo
Liber et saevis inimica virgo
Beluis nec te metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

Defluit saxis agitatus humor,

firmiores in terra radices agit. — *quercus*] Species poetarum more subiungitur generi, ut Ep. I, 12, 7. Quod qui aegre ferrent, Horatium corrigere ausi sunt, ut *Sanadonus*, qui non *silvae* sed *rupes*, Perlkampius, qui *cautes* scribendum censuit. — *solitis parentis laudibus*] nam »a Iove principium« (Virgil. Bucol. 3, 60) cum in omnibus rebus tum in carminibus. Ad ea quae insequuntur confer Carm. III, 4, 45 sqq. — *mundum*] coelum; ut haec tria, terra mare coelum, totam rerum naturam coniungant. — *horis*] anni temporibus, ut A. P. 302. — *unde*] vide ad Carm. II, 12, 7. — *proximos*] Iuppiter ita maximus est, ut nullus deorum cum eo possit comparari, quamquam Minerva proximum quidem sed longo intervallo distantem locum obtinuit. Virgil. Aen. V, 320. Martial XII, 8, 1: »Terrarum dea gentiumque Roma, Cui *par est nihil et nihil secundum*.« De Minervae dignitate cf. Plat. Symp. 2. p. 617. C.: »ἡ δὲ Ἀθηνᾶ φαίνεται τὸν πλησίον ἀεὶ τοῦ Διὸς τόπον ἔχουσα.« Pind. fr. 112. B.: »ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς Ἴζεαι.« — *proeliis audax*] cf. Carm. II, 19, 21 sqq. — *virgo*] Diana, Graecis Κόρη, Πάρθενος absolute dicta; atque est Ἄρτεμις ἰοχέαιρα, θηροκτόνος, θηρῶν ὀλέκουσα γενέθλην (Hom. h. in Dian. 10), κυνηγέτις. Apollo κλυτότοξος, ἑκηβόλος, ἑκάεργος. cf. Carm. IV, 6. — *Alciden*] Est »vagus Hercules,« qui orbem terrarum usque ad extremas oras pervagans noxias beluas et feros homines enecuit. — *Ledae*] filii sunt Castor et Pollux. Hom. Il. III, 237. Od. XI, 299. Hor. Sat. II, 1, 26. — *alba stella*] Vide ad Carm. I, 3, 2, Cf. Theocrit. XXII, 19 sq.: »Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax, quod sic voluere, ponto
Unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum Paulum superante Poeno
Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque:

Hunc et incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.

Crescit occulto velut arbor aevo

λιπαρὰ δὲ γαλάνα ἅμ' πέλαγος· νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι. — *quod sic*] Sic recte in paucis quidem codd.; optimi, etiam Blandinii, habent *quia*, alii *di sic*, *nam sic*, *cum sic*. *Quod* (qđ) et *Quia* (qa) saepissime confunduntur. — *ponto recumbit*] Poeta hoc verbum ita cum dativo coniunxit, ut *incumbere* in pedestri oratione. cf. Virg. Georg. I, 401.

V. 33. De Romulo et Numa lege Livium I, 21 fin. — *Tarquini*] Est Tarquinius Superbus, de quo Cic. Phil. III, 4: »Quasi vero ille rem Romanam a Romulo primum conditam a Numa Pompilio legibus institutisque temperatam non omnium regum maxime auxerit et amplificaverit, qui ut Cato libertate, ita ipse regno dignissimus fuit.« — *nobile letum*] Catonis Uticensis, quem laudare ne in hoc quidem carmine veritus est cf. II, 1, 24. Et cf. Cic. de off. I, 31. Facile igitur carebimus Bentleii coniectura *Anne Curti*. — *Scauros*] Cicero pro Font. 7: »Ecquem hominem vidimus, equem vere commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris ingenii rerum gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse?« Is fuit consul a. u. c. 638, censor, princeps senatus; cuius filius quoque nobilis fuit in civitate. — *animae prodigum*] cf. Ovid. Am. III, 9, 64 »Sanguinis atque animae prodige, Galle, tuae.« Stat. Theb. III, 603: »vitae prodiga virtus.« Sil. I, 225: »prodiga gens animae.« — *insigni Camena*] quia insignem reddit et malum hominem et bonum. — *incomptis capillis*] Prisci Romani barbati erant et intonsi (cf. Carm. II, 15, 11); anno demum u. c. 454 coepti sunt tonderi et comi. Laudatur igitur simplicitas cultus cum severitate morum coniuncta. — *saeva paupertas*] dura, quae mollitiem et luxuriam excludit; de qua *saevi* adiect. significatione cf. Epist. I, 18, 13. 54. De re vide Carm. II, 15, 13 sqq. — *apto*] Caton. de R. R. 3: »ne villa fundum quaerat neve fundus villam.« *Avitus* autem fundus angustus erat, itaque villa parva.

V. 45. *occulto aevo*] sensim, ut incrementa temporis vix animadver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.

Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Carmen XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi

tantur. Bene comparatur Pindari locus, Nem. VIII, 40: »Αἶξεται δ' ἀρετὰ Χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἄσσαι, Ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀεθείσ' ἐν δικαίοις.« — *Marcelli*] Non intelligendus Marcellus victor apud Nolam, sed adolescens Marcellus, Augusti totiusque civitatis deliciae. De imagine arboris cf Hom. Il. XVII, 53. XVIII, 56. 437. — *Iulium sidus*] tota gens Iulia, quamquam non potest negari C. Iulium Caesarem maxime illustrari; quo interfecto stella crinita per septem noctes conspiciebatur. Credebant Caesaris animam in coelum sic evolavisse. Virg. Bucol. 9, 47. Ovid. Met. XV, 845 sqq. — *Luna*] cf. Sapph. fragm. 3. Neue: »Ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν Ἄψ ἀποκρύπτοισι φαεννὸν εἶδος, Ὁππότ' ἂν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ Γᾶν [ἐπὶ πᾶσαν].« — *fatis*] Tacit. Agric. 13 »monstratus fatis Vespasianus«; pro *a fatis*. — *secundo Caesare regnes*] Ovid. Met. XV, 858. — *Latio*] imperio Romano. — *subiectos Orientis orae*] in ultimis Orientis oris habitantes, ut Virg. Georg. III, 381. — *te minor*] cf. Carm. III, 5, 1 sqq. Ovid. Met. XV, 858 »Iuppiter arces Temperat aethereas et mundi regna triformis; Terra sub Augusto; pater est et rector uterque.« — *latum*] Alii ex codd. *laetum*, minus recte, opinor. — *gravi curru*] cum tonat et fulminat.

Carmen XIII.

Caput huius carminis hoc est, in amore nihil maius esse fide et constantia. Cui quidem sententiae haec quasi fabula subiecta est. Amat poeta Lydiam, Lydia Telephum; quem cum illa semper in ore habeat nec desinat

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae meum
Fervens difficili bile tumet iecur.
Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manent, humor est in genas
Furtim labitur arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae, sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

propter pulchritudinem laudare, poetae invidia et ira incenditur. Incertum est, quo sit tempore compositum carmen.

V. 1. *Telephi*] fictum est nomen; cuius quidem egregia iteratio imitatur Lydiae frequentem eius nominis commemorationem. — *cerea brachia*] candida ut cera alba. Sic omnes codd. MSS., Bentleius tamen praetulit ex Flavio Capro grammatico *lactea*, eumque secuti sunt Peerlkampius, Meinekius, Hauptius. — *tumet*] *οἰδάνεται*; Hom. Il. IX, 554. 646. — *iecur*] ex opinione veterum in iecore sunt cupiditates. cf. Sat. I, 9, 66. Carm. IV, 1, 12. — *nec mens nec color*] »cum nesciam quid potissimum faciam, fluctuatio mentis colore etiam proditur oris.« — *manent*] Pluralis numerus auctoritate codicum probatur; sic Cicer. de fin. III, 21: »nec iustitia nec amicitia esse omnino potuerunt, nisi ipsae per se expetantur.« Quibus singularis *manet* placet iis brevis syllaba caesurae vi excusanda est; cf. II, 13, 16. III, 16, 26. — *humor*] cf. Carm. IV, 1, 34. — *furtim*] ut neque ipse sciam neque possim retinere — *lentis ignibus*] de occulta vi amoris paulatim sed certe conficientis. — *turparunt humeros*] Iracundus enim est Telephus. cf. Carm. I, 17, 25. sqq. — *quinta parte sui nectaris*] Ibycus (Schneidewin. p. 127) mel *ἔννατον μέρος τῆς ἀμβροσίας* appellavit; itaque basia Lydiae duplam mellis dulcedinem continere videbantur. Schol. Pind. ad Pyth. 9, 116: »*τὸ μέλι τῆς ἀθανασίας δέκατον μέρος ὠήθησαν εἶναι.*« — *felices ter et amplius*] Sic graece *τρισμάκαρες*, *τρισόλβιοι* et apud alios poetas latinos *terque quaterque beatus*. — *irrupta*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *suprema die*] Rarior constructio pro: citius quam suprema die.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XIV.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius

Carmen XIV.

De hoc carmine memorabilis locus est Quintiliani inst. orat. VIII, 6, 44: »At ἀλληγορία, quam inversionem interpretantur, aliud verbis aliud sensu ostendit, etiam interdum contrarium. Prius ut: *O navis referent in mare te novi fluctus — portum*; totusque ille Horatii locus, quo navem pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit.« Quae carminis interpretatio ut verissima est, ita cavendum est ne ad singulas et minimas partes perducatur. Potuit enim Horatius ea reipublicae et navis comparatione, qua vix ulla magis fuit opportuna ac frequens, uti neque tamen comparationis locos omnes colligere aut anxie conservare. Quare hoc unum quaeritur, quemnam reipublicae incertum statum Horatius sic voluerit describere quove carmen anno scriptum arbitremur. Illud certum est, significari tempus aliquod, quo imperium Romanum superioribus bellis vehementer turbatum et prope disiectum, dein feliciter pacatum et servatum novis periculis audacter obiectum sit. Quare alii annum 714, quo Perusinum, alii probabilius 723, quo Actiacum bellum parabatur, indicari dixerunt. Et apertum quidem est cur respublica nuper taedio fuerit (vv. 17. 18) Horatio; scilicet ipse ante fuerat in exercitu Bruti neque vero quam speraverat salutem civitatis invenerat; deinde Romam reversus intelligere coeperat nullam salutis spem esse nisi in Octaviano. Tunc igitur desiit desperare, cum spe rediit desiderium, cum desiderio metus ne renovatis bellis quae restituta essent denuo dilaberentur.

V. 1. *referent fluctus*] Fuerunt qui interrogari haec negarent: sed praestat interrogatio, quae habet indignationem ac metum. Obversabatur fortasse Horatio Alcaei carmen, cuius fragmentum est (Schneidewin. p. 266): [Ὀρᾷς] ἀσυνέτην (ἀσυνέτους εἶναι τοὺς πολίτας) καὶ τῶν ἀνέμων πάσαν· Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται, Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον Νᾶϊ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ Χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ κάλων. Πὲρ μὲν γὰρ ἄντλος ἰστοπέδαν ἔχει, Λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη, Καὶ λαμπάδες μεγάλαι κατ' αὐτό· Χόλαισι δ' ἄγκυραι.« — *nonne vides ut*] vide ad Carm. I, 9. 1. *Videre* verbum h. l. generalem *intelligendi, percipiendi* notionem accepisse ostendit insequens verbum gemendi; cuius rei alterum exemplum hoc est Virgilii Aen. IV, 490. — *gemant*] Coniunctivus et auctoritate codicum et necessitate loci praeferendus est alteri modo *gemunt* et *possunt*, quem in aliis libris MSS. inesse audimus. Nam qui in eiusmodi interrogationibus indicativus modus ponitur, non ex verbi praecedentis potestate pendet, sed sui quasi iuris est; id quod nisi in certa re, ubi oratoria quaedam vis quaeritur, non potest fieri; veluti Virg. Aen. II, 739 sq. Georg. I, 56. — *sine funibus*] Cuiusvis generis funes intelliguntur, veluti quibus antennae ad malos destinantur, quibus vela panduntur, alii. — *carinae*] de una etiam nave:

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

Iactes et genus et nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu nisi ventis
Debes ludibrium cave.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

Carmen XV.

Pastor cum traheret per freta navibus

id quod non magis est mirandum quam quae sunt similia Virg. Aen. VII, 364 *Troianas urbes*, Ovid. Met. XIII, 196 *Iliacas arces* de una urbe et arce. Horatium imitatus est Claudian. de VI. cons. Honor. v. 132 sqq.: »Qualis piratica puppis . . incidit in magnam bellatricemque triremem, Dum praedam de more putat, viduataque caesis Remigibus, scissis velorum debilis alis, Orba gubernaclis, antennis saucia fractis, Ludibrium pelagi vento iactatur et unda.«

V. 10. *di*] tutelares, quorum simulacra cum ara in puppi collocabantur. — *Pontica pinus*] Pontus regio fuit feracissima earum arborum, quae resinosae aptissimae visae sunt ad aedificandas naves. Unde mox dicitur *silva nobilis*; sic enim verba coniungenda sunt, non *filia nobilis*. Mart. XIV, 90 de mensa »silvae filia Maurae.« — *pictis puppibus*] Naves induci solebant variis coloribus. Sententia docet, externum splendorem nihil adiuvare ubi internae vires fractae sint. — *Tu nisi ventis*] In hac sententia interpungendum non est; nam *ludibrium* vocab. ita inter duo verba positum est, ut ex frequentissima constructione *ἀπὸ κοινοῦ* utrique obnoxium sit; nisi ventis ludibrium debes, cave ludibrium. *Debemus* autem ea quae fatis nobis destinata sunt. Ovid Met. XV, 444. — *taedium*] Similiter Ovid. Met. I, 654: »Tu non inventa reperta Luctus eras levior.« — *Cycladas*] Hae insulae propterea nominantur, quia mare Aegaeum procellosum est et periculosum; deinde hoc quoque fortasse accedit, quod inter occidentalem et orientalem partem imperii situm erat, ubi utriusque partis copias inter se congressuras esse sperari potuit. — *nitentes*] candida longeque conspicua mora; cf. Carm. III, 28, 14.

Carmen XV.

Argumentum huius carminis suptum est ex fabulis Graecis de bell Troiano. Nam Horatius, quem Graecis litteris multam operam navas scimus, cum apud Homerum rep

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Eheu quantus equis, quantus adest viris
Sudor; quanta moves funera Dardanae

risset Proteum vaticinari Menelao (Odyss. IV, 360 sqq.), illud exemplum bene se imitaturum fortasse speravit, cum Paridem, Helenae raptorem, et Nereum, deum marinum, simili consilio componeret. Nihil enim aliud in hoc carmine quaerendum est nisi fictio quaedam poetica et exercitatio ad exempla Graeca. Alii allegoriam de Antonio et Cleopatra vident et referunt carmen ad a. u. c. 723. Media huius quoque carminis stropha summam rei ostendit. Nam »nihil, inquit Nereus, in pugna valet forma aut cantus, quibus in thalamis mulierculae, non in campis viri vincuntur. Peribis, et tamen sero peribis.« Ceterum Porphyrio scholiastes adnotavit, imitatum esse Horatium Bacchylidis Graeci poetae carmen, in quo Cassandra exitum belli Troiani vaticinabatur. Iam cum ex paucis Bacchylidis quae nobis sunt reliquiis certum de ea re iudicium facere non possimus, quis epicas res lyrica ratione describi posse negabit, cum praesertim nostros quoque poetas idem saepe facere videamus? Deinde si quod caput carminis quaeras quo animus etiam hominum tangatur, Schilleri verbis nostratis apposite dicas: Das ist der Fluch der bösen That, dass sie fortzeugend Böses muss gebären.

V. 1. *traheret*] Egregie hoc verbum positum est ut graece ἔλκειν; nam etiamsi Helena sponte sua Paridem secuta esse dicitur, blanditiis tamen et mala arte rapta est; quapropter in hoc verbo et in his *perfidus hospitam* consulto sic positis et inter se quasi certantibus crimen latet et origo omnium Troiani regni calamitatum. — *ingrato otio*] ipsis ventis. cf. Virg. Aen. I, 25. — *caneret*] Cum oracula et vaticinia versibus ederentur, *canere* verbum de his proprium est; cf. Epod. 13, 11. Sat. II, 5, 58. — *Nereus*] Non est mirandum, quod hic demum Nerei nomen collocatum est; primum quidem antiquis hominibus haec nominis collocatio, quoniam qua ratione nos sententias dividimus interpositis commatis non dividebant, multo fuit facilior; deinde »non inanis lusus poeticus hic est, sed qui attenderit, sentiet sic novam simul vim accedere secundo membro. Multis vero modis curant poetae in continuata constructione ne vigor orationis decrescat, sed alatur et augeatur scite.« Dissen ad Tibull. II. p. 14. Nereus et omnes marini dei vaticinandi potestatem habere dicebantur; vide Virgil. Georg. IV, 392 sq. — *avi*] per metonymiam pro *omine*, cum ab avibus omina veteres peterent, cf. Carm. III, 3, 61. Epod. 10, 1. — *multo milite*] vide ad Carm. I, 7, 8. — *coniurata*] De re vide Virg. Aen. IV, 425; de graeca huius verbi cum infinitivo coniunctione Virgil. Georg. I, 280; etiam Sallust. Cat. 52, 24. Liv. 22, 33.

V. 9. *Eheu*] Vates cum mentis acie quae futura sint omnia videat, ipse dolore quodam tanquam praesentium rerum corripitur. Quo fit, ut in eiusmodi locis cum animi affectione etiam orationis vis crescat. Huc spectat ter positum vocabulum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Genti! Iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.
Nequiquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides;
Nequiquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Cnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen heu serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre;

quantus. — *moves*] Funera moveri eodem modo dicuntur quo bella. Carm. IV, 1, 2. — *Dardanae genti*] pro Dardaniae. cf. Carm. saec. 47. C. IV, 5, 1. — *aegida*] v. Hom. Il. II, 446 sqq. Virg. Aen. II, 616. VIII, 435. H. l. est Minervae lorica; cf. Ovid. Met. VI, 78. — *rabiem*] Haec quoque inter arma est. Similiter Ovid. Met. XIII, 543: »seque armat et instruit ira.« — *nequiquam*] cf. Hom. Il. III, 54. — *pectes caesariem*] cf. Carm. IV, 9, 13 sqq. — *carmina divides*] modo huic modo illi canes. Dativus *feminis ἀπὸ κοινοῦ* positus est ad *grata* et ad *divides*. Cf. Carm. I, 36, 6. Virg. Aen. VIII, 20. — *thalamo hastas vitab.*] cf. Hom. Il. III, 380–383. VI, 321 sqq. — *Cnosii*] Cnosus urbs Cretae insulae abundabat calamo, ex quo factae sagittae: inde clarissimi sagittarii Cretenses. cf. Carm. IV, 9, 17. Hom. Il. II, 646.

V. 18. *celerem sequi Aiacem*] non Telamonis sed Oilei filium. cf. Hom. Il. XIV, 520. IV, 285. VII, 164. XVII, 720. — *heu serus*] quae verba noli seiungere; nam dolendum fuit, quod non prius iam periit Paris. — *crines*] Haec praestat alteri codicum lectioni *cultus* vel propter locos Homericos, quos non dubium est quin Horatius secutus sit: Il. III, 55. XVI, 795. cf. Virgil. Aen. XII, 99. — *gentis*] Ex maiore parte bonorum codicum genitivum praetuli dativo *genti*, Bentleium secutus; etenim ingrata esset repetitio ex versu 11. — *Teucer, te*] »Codd. tres Bland. cum Maldeg. habent *Teucer te*, alii *Teucer et*, sed nulli sequuntur vulgatam lectionem *Teucerque et*.« Cruq., quem secutus sum propter gratam anaphoram. — *sciens pugnae*] Hom. Il. V, 549. *μάχης εὖ εἰδότε πάσης*. Sthenelus, Capanei filius, auriga Diomedis. — *sive*] vide ad Carm. I, 2, 33. — *Merionen*] vide ad I, 6, 13. — *furit reperire*] vide

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Carmen XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,

ad Carm. I, 1, 8. — *melior patre*] cf. Hom. Il. IV, 105. — *cervus*] qui ut celeritate ita ignavia insignis est. — *sublimi anhelitu*] μετεώρῳ πνεύματι; nam qui celeritate fugae paene exhaustus est, is cum tantum temporis nactus est, ut paululum possit recreari, sublimi capite spiritum trahit; sic enim pulmones expanduntur facilius et reficiuntur. — *pollicitus*] Vide quid exprobret Helena Paridi apud Homerum Il. III, 430 sqq. — *diem proferet*] diem interitus differet; αἴσιμον ἦμαρ, Hom. Il. VIII, 72. In his non satis congruit Horatius cum Homero: apud quem ira Achillem non ultra diem decimum septimum a certamine avocat. In qua re intelligendum est, clarissimum hoc victoriae Graecorum impedimentum consulto ex omnibus, qualiacunque acciderunt, esse electum, deinde *certas hiemes* numerandas esse non ex eo tempore quo irasci coepit Achilles Agamemnoni, sed ex primo obsidionis et certaminis initio. — *matronisque*] Toti generi ea species additur, quae calamitates maxime sensit. — *Iliacas*] alii *Pergameas* cum Oudendorpio ex paucis MSS., alii coniecerunt *Dardanias* alii *barbaricas*, ad vitandam basim trochaicam, quam Horatius hoc uno loco ex graeca consuetudine et ante graecum vocabulum admisit.

Carmen XVI.

Inscribi solet huic carmini titulus *palinodia* i. e. carmen, quo quem ante laesimus reconciliare studemus. Sic Horatius revocat contumeliosos iambos, quos in puellam aliquam olim scripsit. Recte autem ut intelligatur carminis ratio, tenendum est non raro ita fieri, ut a speciali quadam re inchoentur carmina, ascendant ad generalem sententiam, exeant in eandem rem a qua sint profecta. Summa carminis haec est: »malignos versus ut deleas opto, qua tibi cunque ratione placebit, nam ira accensus eos composui, ut nunc cum mitiore animo sim eorum me poeniteat.« Medium carmen excusationem habet; agitur enim strophis 2 et 3 de vehementia irae, qua animi hominum perturbantur. In quo loco hoc artificiosum est, quod ut in altera stropha quattuor exemplis ostenditur, ira ardentius inflammari hominum animos quam divino numine ac furore — quo tamen nihil magis videtur movere posse mortales — ita in tertia quattuor externae potestatis rationes afferuntur, quae itidem irae ardore superantur. Ita factum est ut quater illatae particulae *non* respondere videamus quater positum alterum *nec*. Iam quarta et media stropha proponitur qui factum sit, ut ira tantopere homines moveantur; scilicet est ea penitus et a prima generis origine insita humano pectori. Cui quidem rei apposite adiunguntur magna quae

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quem criminosis cunque voles modum
Pones iambis, sive flamma
Sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi

illam cupiditatem sequuntur mala; quibus indicatis ultro quasi relabitur Horatius ad suam iram atque ad eam quam huius carminis scribendi habuit occasionem. Sic per orbem carmen quasi decurrit neque quidquam est quod aut deesse possit aut locum mutare. Hoc tamen vix est quod dicam, plena esse omnia ironiae, maxime conspicuae in nimia irae eiusque potestatis descriptione: aliis sincere ac vere scriptum carmen videtur. Tempus incertum est; quamquam probabilius est annum ponere u. c. 717. 718, quam 725 vel 727, qua aetate Horatii animus iam alienior erat a iambis et mordacibus carminibus.

V. 2. *criminosis iambis*] Quo genere Archilochus poeta ad alios castigandos primus usus esse dicitur; vide A. P. 79. — *modum pones*] Similiter Carm. III, 15, 2. I, 24, 1. — *Dindymene*] Δινδυμήνη, Cybele a Dindymis, monte Phrygiae, sic dicta, a Romanis magna mater deum, mater Idaea appellata. De adytis cf. Caes. b. c. III, 105. — *sacerdotum incola Pythius*] Genitivus *sacerdotum* communis est vocabulis *mentem* et *incola*. Divinum enim numen sacerdotum pectora quasi intrare ac furore implere veteres credebant. cf. Ovid. Met. II, 641 »Incaluitque deo, quem clausum pectore habebat.« Plutarch. de orac. def. p. 441. e: »τὸν θεὸν αὐτὸν . . . ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι.« — *si geminant*] In omnibus libris scriptum est *sic*, sed recepi ingeniosam Bentleii emendationem *si*. Sententia est: Non Cybele, non Phoebus, non Bacchus, non Corybantes si acuta aera geminant, aeque quatiunt mentem, ut tristes irae quatiunt. Simile plane loquendi genus est carm. II, 17, 13 sqq. III, 21, 21 sq. Peerlkampii coniecturam *non si acuta* refutavit Meinekius, qui: »monosyllabas, inquit, voces praeter pronomina *te* et *me* (Carm. II, 3, 6. Epod. 5, 9) Horatius in lyricis nunquam elisit.« — *Corybantes*] sacerdotes Cybeles, etiam Curetes appellati, qui in sacris aerea cymbala pulsantes animos furore quodam insano implebant. cf. Plat. Ion. p. 533 e. Stat. Theb. IV, 782: »qualis Berecynthia mater, Dum circa parvum iubet exsultare Tonantem Curetas trepidos; illi certantia plaudunt Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide.« — *Noricus ensis*] ferrum Noricum, quod praestantissimum habebatur, pro quovis alio poetice positum. Epod. 17, 71. Ovid. Met. XIV, 712. — *tremendo Iupp. ipse ruens tumultu*] i. e. ruina coeli; cf. Carm. III, 3, 7. 8; sed tota elocutio ut magnifica est ita superlatione prope iocosa.

V. 13. *Prometheus*] Haec de parti-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Limo coactus particulam undique
Desectam et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus impremeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem; me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor et in celeres iambos
Misit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

Carmen XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem

culis undique decerptis hominique additis fabula si non ab ipso Horatio excogitata est, tamen nunc apud nullum reperitur Graecum poetam. Lepida autem fabulae natura mirifice congruit cum totius carminis ironia et consilio. Prometheus enim cum hominem fingere vellet, limo, quae principalis pars hominis est, undecunque sumptam materiem addidit. Scilicet cum singulis partibus ad corpus formandum assumptis venerunt etiam cupiditates atque occuparunt sedes, in quibus habitare eas sentimus. Sic ira a leone desumpta stomachum (Carm. I, 6, 6) sedem accepit. — *et insani*] *et* pro *etiam*. — *Thyesten*] cf. Cic. Tusc. IV, 36, 77 et ad Carm. I, 6, 8. — *ultimae stetere causae*] Ultimae sunt ab ipsa re remotissimae, igitur primae; deinde *stare* dicuntur, quoniam immutatae manserunt. — *hostile aratrum*] Est symbolum eversionis, cum solum, in quo urbs stetit, aratur. Hieronym. in Zachar. c. 8: »Aratum templum Hierosolymitanum in ignominiam gentis oppressae.« — *in dulci iuventa*] Adiectivum *dulcis* supervacaneum non est; nam cum habeat excusationem locus, eam hic significari iuventutem patet qua iuvenes omnia sibi licere putent suaeque indulgeant temeritati. Similiter Carm. I, 37, 11 *dulcis* est *fortuna*. — *celeres iambos*] Epitheton vituperationem addit; nam ea quoque cum celeritate coniuncta est, quoniam consilium desideratur. — *animumque reddas*] quo olim in me eras.

Carmen XVII.

Carmen quo Tyndaridem ut ad se in villam veniat invitat, aperte in duas et aequales partes dividitur. Nam postquam superiore parte to-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae
Olentis uxores mariti,
Nec viridis metuunt colubras
Nec Martiales Haediliae lupos;
Utcunque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.
Di me tuentur, dis pietas mea
Et musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

tam villam omniaque sua in tutela esse deorum ostendit, adhortatur Tyndaridem ut eodem veniat, ubi ne illi quidem pericula immineant a feris hominibus, ubi ab insidiis et dolis libera amori vacare possit et carminibus. Ex septem strophis media et quarta diversas partes coniungit et re et verbis. Vides enim iuxta ibi posita haec *me*, *hic*, *tibi*; loci significatio in media sede collocata Horatium connectit cum Tyndaride. Scriptum est carmen, postquam villam Sabinam poeta dono accepit.

V. 1. *Velox Faunus*] Latini poetae, qui Latinorum priscorum deos et sacra cum Graecis solebant componere, Latinum Faunum cum Graeco Pane componebant; quare cum hic ὀρεσβάτης sit, ille apud Horatium *velox* est et in Arcadia Lycaeum, Pani sacrum montem, occupavit. — *Lucretilem*] Sabinorum montem; hodie *Monte Corgnaleto*. — *mutat*] de cuius verbi diversa constructione cf. Carm. II, 16, 19. — *impune tutum per nemus*] Bentleius cum Lambini codd. *totum*, ne bis securitas gregis indicaretur. Sed *tutum* nemus est, in quo nihil est periculi, *impune* adverbio securitatis sensus exprimitur. — *arbutos*] cf. Virg. Georg. III, 300. — *Martiales*] Marti sacri sunt lupi. Virg. Aen. IX, 566. — *Haediliae*] Sic omnes fere libri MSS. *Haedilia* mons seu vallis fuisse videtur in vicinitate villae Sabinae. Quod cum nesciretur, interpretes *haeduleae* vel *hinnuleae* scripserunt coniecturis audacissimis nunc merito reiectis. — *Tyndari*] De forma vocativi cf. Carm. IV, 3, 18. — *fistula*] Fauni. Is enim sive Pan fistulae inventor. Virg. Bucol. 2, 32. 8, 24. — *Usticae cubantis*] leviter declivis ad speciem cubantis hominis. Tenendum tamen, Usticam non montem solum sed vallem quoque esse; de qua re dictum est in Vita Horatii. — *hic*] Per anaphoram ter repetitum vocabulum; rectius quam quod alii voluerunt *hinc* ex plerisque codd., unde nescis quam bonam sententiam elicias. In divisionibus autem anaphora propriam sedem habet; etenim tria sunt quibus Tyndaris in Sabino gaudebit. — *copia manabit . . . cornu*] Qua h. l. usus est Horatius abundantia, haudquaquam est vituperanda; deinde ordo verborum minus contortus est quam videtur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniiciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

Carmen XVIII.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem

esse. Omnia recte inter se excipiunt nisi quod verba *benigno cornu*, ut saepe fit, in extremis locis duorum versuum posita sunt. — *ad plenum*] abundanter. Virg. Georg. II, 244. — *benigno cornu*] De cornu copiae lege Ovid. Met. IX, 85–89; eodem respexit Horatius C. S. 59. Epist. I, 12, 28. — *ruris honorum*] qui sunt flores, fruges. cf. Sat. II, 5, 12. — *fide Teïa*] lyra Anacreontis Teii, cuius tota poesis fuit amatoria. — *vitreamque Circen*] splendidam instar vitri et formosam, sed quae cum splendore vitri fragilitatem coniungat. cf. Sat. II, 3, 222. Carm. III, 13, 1. Alii *vitream* dictam volunt Circen ab aquae colore caeruleo, ὑαλίνῳ ut IV, 2, 3, quia Circe nympha erat marina aut certe insulam incolens. Ceterum Tyndaris psaltria ex omnibus quae sciebat carminibus hoc de Ulixe, Penelope et Circe, ab ipso fortasse Anacreonte sumptum, optime cecinisse videtur, ita ut specimen artis h. l. positum sit. — *Lesbii*] vini, quod innocens appellatur, quia mite est neque iis qui eo utuntur nocet. — *duces*] non »largius bibes«, sed »bibes cum voluptate.« cf. Carm. IV, 12, 14. — *Semeleïus Thyoneus*] Semele etiam Thyone dicebatur; itaque duo μητρωνυμικὰ coniunxit. Quorum alterum *Thyoneus* non temere appositum est; nam Thyones nomen factum esse patet a verbo θύειν, furere. Significatur igitur furor, in quem qui vino nimis indulgent solent coniici; unde incontinentes proelia miscent. — *male dispari*] Ne *male* adv. cum *iniiciat* verbo coniungas confer Sat. I, 3, 31. — *immeritamque*] cf. Sat. II, 3, 7.

Carmen XVIII.

Casu quodam servatum nobis est fragmentum Alcaei, cuius verba ab Horatio primo versu reddita esse apparet. Est enim hic versus (cf. Schneidewin. del. p. 277): *Μηδὲν ἄλλο φρονεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.* Ex quo et verborum et metri consensu recte tamen nihil concludas aliud nisi Horatium hunc Alcaei versum, quem ex frequenti lectione memoria teneret, ad suam rem adhibuisse. Quae res qualis fuerit si quaeras, suspiceris Varum villam ali-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Circa mite solum Tiburis et moenia Catili:
Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Evius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum

quam Tiburtinam novis hortis ornare arboresque ibi serere in animo habuisse. Atque ea quidem occasione ita usus est Horatius, ut de contraria vi quam in animos hominum haberet vini usus lyrica ratione scriberet. Quare carminis argumentum his Theognidis versibus (v. 509 sq. edit. Bekker.) commode reddamus:

Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακόν· ἦν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν.

Quis *Varus* fuerit, dici non potest; suspicantur quidem eundem esse Quintilium, de quo carmen est I, 24. A. P. 438. Tempus definiri nequit.

V. 2. *moenia Catili*] vide ad Carm. I, 7, 13. In hoc nomine Horatius metri causa mediam syllabam corripuit. cf. Virg. Aen. VII, 670. — *siccis*] qui vino plane abstinent. — *nam*] Poetae in collocanda hac particula liberiores fuerunt. cf. Epod. 14, 6. 17, 45. Carm. IV, 14, 9. — *neque aliter*] Non recte faceret qui voc. *aliter* ad proxime praecedentia referens intelligeret *nisi siccitate*. Nam quae latet in voc. *aliter* condicio, ea altius repetenda est: *quodsi vites non plantas, si vino non uteris*. Simillimus est locus Cic. de amic. 20 *aliter amicitiae* cet. Ad sententiam cf. Eurip. Bacch. 278 sqq.: »ὁ Σεμέλης γόνος Βότρυος ὑγρὸν πῶμ' εὗρε κεἰσηνέγκατο θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς. Ὕπνον τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν λάβωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων,« — *crepat*] in ore habet, dictitat. cf Sat. II, 3, 33. Epist. I, 7, 84. A. P. 247. — *decens Venus*] ipsa decens est, cum comites sint decentes Gratiae. Carm. I, 4, 6. — *At ne*] Sic Cruquius. *Ac ne* ex bonis sane libris Bentleius praetulit; non bene, quamquam secuti sunt Hauptius et Meinekius. Sententia ipsa efflagitat adversativam particulam. — *Liberi*] Quattuor in hoc uno carmine nomina sunt unius dei, Bacchus, Liber, Evius, Bassareus: quorum duo in superiore parte, quae est de commodis vini, mite et benignum numen, duo in inferiore, quae est de incommodis vini, ferum respiciunt et indomitum. *Evius* enim et *Bassareus* nomina sunt petita ex orgiis et mysteriis Thraciis. Evius a clamore bacchantium εὐοῖ, εὐάν, Bassareus a voce Thracia *Βασσάρα*, i. e. pellis vulpina, qua utebantur Bacchae. Stat. Silv. II. 7, 7: »Et tu Bassaridum rotator Evan.«

V. 8. *Centaurea*] vide Ovid. Met. XII, 219 sqq. Hom. Od. XXI, 295 sqq. — *super mero*] Ablativus cum hac praepositione cum non coniungatur nisi ita, ut aut locus aliquis altior vel superficies quaedam, in qua quid positum sit indicetur (Carm. I, 9, 5. III, 1, 17), aut ratio alicuius rei habeatur (Carm. III, 8, 17. IV, 2, 42. C. S. 18), Ondendorpius corrigendum putavit *super merum*. Attamen dubitationem iniicit unus certe et simillimus locus Virgilii Aen. IX, 61 »*nocte super media*.« Non recte Peerlkamp. et Orell.: de mero, propter merum, cui merum, in mensa positum, praeda cederet. — *Sithoniis*] Thraciae populo ad Salmydesum flumen habitanti, quibus cur Evius fuerit *non levis* intelliges ex Carm. I, 27, 1 sq. — *exiguo fine libidinum*] exiguo dis-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem
Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

Carmen XIX.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semelae puer

crimine, quod inter honestum et turpe relinquunt ii qui libidine moventur. Noli coniungere *libidinum avidi*; nam *avidi* absolute positum, ut I, 28, 18. III, 4, 58. — *candide*] formose, ob perpetuam Bacchi iuventutem. Epod. 5, 9. Carm. I, 2, 31. Ovid. Fast. 3, 772: »candide Bacche . . ipse puer semper iuvenisque videris.« — *invitum quatiam*] Sacra et mysteria Bacchi occultissima religione continebantur; itaque dicit poeta, se Bacchi donis non male usurum, neque quae deus celare voluerit in lucem producturum. In orgiis proprie thyrsi *quatiuntur*. — *saeva*] propter terribilem sonum. — *Berecyntio*] Phrygio, a Phrygiae monte Berecynto, ubi colebatur Cybele, de qua vide ad Carm. I, 16, 5. — *amor sui*] Tria nominantur vitia ebrietatem sequentia: pravus sui amor, iactantia, loquacitas. — *verticem*] pro capite; egregie hanc summam capitis partem posuit de studio hominum quo maiores videri cupiunt quam sunt. — *fides prodiga*] *fides* appellatur *prodiga*, ut non pauca latinae et graecae linguae vocabula quae mediae sunt significationis; ita *ingenium*, *aetas*, *vires*, *δύναμις* alia. Notissimum exemplum est apud Cicer. Rosc. Am. 4, 9. — *perlucidior*] Neglectae diaeresis alterum exemplum est Carm. II, 12, 25 *detorquet*; uterque tamen locus veniam habebit in particulis *per* et *de*. De sententia comparari potest Epod. 11, 13. Sat I, 4, 89.

Carmen XIX.

Argumentum carminis facile perspicitur. Poeta, qui finitos esse amores speraverat, denuo Glycerae venustate capitur et ita capitur, ut iam nihil possit nisi amorem cogitare. Quare sacris placaturum se dicit Venerem, ne nimio in se irruat impetu. — *Glycerae* nomen fictum et graecum *γλυκέρα*. Suspicantur ex nominum simili forma *Glyceram* et *Lalagen* (I, 22, 10. II, 5, 16) eandem fuisse puellam quam *Cinaram*, de qua vide IV, 13, 21. Quod si verum est, iis potius credendum erit, qui hoc carmen anno 717 vel 718 scriptum dicunt, quam aliis, qui usque ad a. 729 vel 730 descendere maluerunt. Ita iubet iudicare iuvenilis fervor, quo repletum est carmen. Cf. Carm. I, 30.

V. 1. Idem versus in simili carmine IV, 1, 5. De verbis et sententia lege Carm. I, 33, 10—12. — *Cupidinum*] cf. Plin. H. N. XXXV, 11, 36: »Nicaearchus Venerem inter Gratias et *Cupidines* (pinxit).« Lactant. Inst. 1, 20, 11. »Magnum Cicero audaxque consilium Graeciam suscepisse dicit, quod Cupidinum et *Amorum* simulacra in gymnasiis consecrasset.« Cic. N. D. III, 23. Claudian. de nupt. Honor. et Mar. 71: »Mille pharetrati ludunt in margine fratres, Ore pares, similes habitu, gens mollis *Amorum*.« id. in Eutrop. II. prol. 63 »blandorum mater *Amorum*.« — *Semelae puer*] Bacchus saepe Vene-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius,
Urit grata protervitas
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
Parthum dicere nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite thuraque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

Carmen XX.

Vile potabis modicis Sabinum

ris comes est. Etiam *Licentia*, ut apud Claudian. Nupt. Honor. 78. »nullo constricta Licentia nodo.« De genitivo *Semelae Duentzerus* sic: »Genitivo in *es* Horatius non utitur. cf. Carm. I, 3, 2.« *Orellius* et plurima pars editorum *Semeles*, quamquam altera forma antiquissimis codicibus et Cruquii et ipsius Orellii et aliorum comprobatur. Certe *εὐφωνία*, quam post *Thebanae* Orellius quaerebat nulla est. — *nitor*] pulchritudo, venustas. Carm. III, 12, 6. — *Pario marmore*] vide ad Carm. II, 18, 3. — *lubricus*] lubrica proprie est via, in qua pedem non possumus sistere; quare Glycerae oculi lubrici sunt, quibus adspiciendis periculum est ne quivis amore incendatur. — *Cyprum*] cf. Carm. I, 3, 1. — *Scythas*] Scythae et Parthi, publica Romanorum cura, nihil movent hominem, qui nihil nisi amorem cogitat. Ceterum neque Scythae neque Parthi ob singulare aliquod factum nominantur; omnino remoti sunt hostes, et magis etiam remoti sunt ab animo et cura iuvenis uni amori dediti. — *versis animosum equis*] cf. Carm. II, 13, 17. — *cespitem*] ad exstruendam aram. cf. Carm. III, 8, 4. — *verbenas*] herbas puras ex loco sacro collectas. Cf. Carm. IV, 11, 6 sqq. Virg. Aen. XII, 120. ad q. l. Servius: »Verbenas iam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus.« — *meri*] Nefastum habebatur diis prolibare vina, quibus aqua erat admixta. — *hostia*] Tacit. Hist. 2, 3: Paphiae Veneri »hostiae, ut quisque vovit, sed mares deliguntur. Sanguinem arae offundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur.«

Carmen XX.

Parvum hoc carmen videtur inscriptum olim fuisse tabellis, quibus Horatius amicum suum Maecenatem ad convivium invitaret. Totum autem io-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

cosum est et familiare et spirat dulcissimam et intimam amicitiam. Nam quod propositurus Maecenati erat Horatius vinum, vile quidem fuit sed multis nominibus carum illi et acceptum. Et primum quidem Sabinum fuit, natum in villa a Maecenate olim dono dato Horatio, deinde ab Horatio ipso conditum, tum eo ipso tempore conditum, quo Maecenas in theatro publicum honoris ac dignitatis testimonium accepit. Haec autem laeta populi acclamatio si eadem est, cuius Carm. II, 17, 25 sq. mentio fit, ostendit simul quo anno ortum sit hoc carmen. Illam enim factam esse eodem anno constat, quo Horatius cadente arbore paene necatus est (vide ad Carmen II, 13). Vile autem vinum quod appellatur, haud dubie recens fuit, fortasse bimum vel trimum; quadrimum etiam Carm. I, 9, 7 bibitur; quamquam Italica vina, natura austera, vetustate debebant mollescere.

V. 1. *vile Sabinum*] Omne Sabinum vinum haud magni habitum est a Romanis, recens minimi. Unde Martial. X, 49, 3: »Propinas modo conditum Sabinum, Et dicis mihi, Cotta: vis in auro? Quisquam plumbea vina vult in auro?« Ceterum suspicatus est Meinekius, non sine ratione Sabinum ab Horatio commendari Maecenati, qui cum fere quartana laboraret, prae ceteris vinis hoc genere delectari debuisset, i. e. leni vino nec febricitantibus noxio. Cfr. Galenus de sal. vict. vol. XV. p. 648. Lips.: *κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὁ ἄτονος σαβῖνος, ὃν καὶ διδόασι τοῖς πυρέττουσιν.* Quamquam dubia res est; illud enim si voluisset poeta, clarius haud dubie indicasset. — *modicis cantharis*] Canthari maius genus poculorum, quo in laetis occasionibus utebantur; quare iocosum est, quod dixit *modicis cantharis*: in qua coniunctione inest quoddam verborum certamen, non intellectum ab iis, qui vel de poculis cogitarent *non pretiosis* vel ab Horatii tenui domo omnem profusionem afuisse severo vultu docerent. — *graeca testa*] amphora graeco vino prius imbuta, quo melius fieret vinum Sabinum. — *levi*] Amphorae, argilla vel vitro factae, cortice claudebantur ac deinde gypsabantur, ne posset aer intrare. Inscribebatur nomen consulis, quo anno natum erat vinum; vitreis amphoris addebantur tesserae, pittacia consulum nominibus inscripta. — *care*] Sic in omnibus codicibus, nisi quod Bentleius in uno invenit *clare*. Illud autem familiaritatem qua erat Horatius cum Maecenate h. l. maxime decet. — *eques*] Equestri ordine quo natus erat contentus Maecenas non captavit maiores honores; quae modestia magnam gratiam ei apud populum paravit. cf. Carm. III, 16, 20. — *datus*] omisso v. *est* cf. Carm. I, 12, 7. II, 7, 11. Sat. I, 10, 33. — *paterni fluminis*] Tiberis, qui ab Etruria fluit. In quo fluminis epitheto blandum est indicium, patriam quoque Etruriam de virtute Maecenatis gavisam cum populo Romano coniunctum edidisse plausum; cum qua re consentit Vaticani montis ad dextram fluminis ripam siti commemoratio. Unde simul intelligitur tam laete acceptum esse Maecenatem in theatro Pompeii e regione Vaticani montis sito. *Vaticani* »nominis secundam syllabam Horatius corripuit, non, ut inepte dicit Orellius, quod id a vaticiniis repeteret, sed quia vulgo ita dicebant; postea Martialis et Iuvenalis eandem syllabam extenderunt.« Lachm. ad Lucret. p. 37. — *imago*] vide ad Carm. I, 12, 3. — *Caecubum*]

Αριθμός Κεντρικής Βιβλιοθήκης Αθηνών

Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

Carmen XXI.

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium

Iam quattuor nobilissimi vini genera nominantur. *Cales*, Campaniae oppidum, hodie *Calvi*; *ager Falernus* ad radices Massici montis in Campania, *Formiae* Latii municipium in Auruncis prope Caietam, hodie *Mola di Gaëta*. — *tu bibes*] Hic futuri temporis usus non multum differt a coniunctivo quem dicunt potentialem; sic enim imprimis poetae indicant quae quominus possint fieri nihil est quod impediat. Sic Carm. II, 12, 10. Abstinendum igitur a coniecturis *tum bibes, non bibes*. — *temperant*] Epod. 17, 80. Audacter hoc dictum est *colles temperant*, sed recte, quoniam *colles* vinum dare eodem iure dici possunt quo vites.

Carmen XXI.

Octavianus ab Actio victor reversus in honorem Apollinis, cui victoriam se debere putaret, ludos Actiacos primum a. 726 celebravit. Iam cum tota huius carminis ratio ad ludos in honorem Apollinis et Dianae habitos pertineat, ad indicendos et celebrandos eos ludos Horatium haec cecinisse credibile est. Cum qua re hoc egregie consentit, quod eodem anno Octavianus expeditiones parabat in Britannos et Arabes. Ita tamen carmen comparatum non est, ut credas chorum in ipsa ludorum sollenni pompa ita cecinisse. Animadvertendum est, quanta arte Horatius et in componendis collocandisque deorum dearumque nominibus et laudibus et in aequalitate ac similitudine vocabulorum ipsorumque versuum versatus sit. Prima stropha totam quasi familiam coniungit (filiam, filium, matrem, patrem; hunc tamen, Iovem, non ipsum celebrat, sed in eo celebrationis causam invenit); deinde stropha secunda filiam laudat, tertia filium, eodem quo ante ordine, et quia de Apolline, qui vere est *ἀλεξίκακος*, plura est dicturus. Tum compara hos versus:

V. 1.	Dianam	tenerae	dicite	virgines				
V. 2.	Intonsum	pueri	dicite	Cynthium				
V. 3.	Latonamque	supremo						
V. 11.	Insignemque	pharetra						
V. 4.	Dilectam	penitus		Iovi				
V. 12.	Fraterna	que humerum		lyra				
V. 5.	Vos	laetam	fluviis	et	nemorum	coma		
V. 13.	Hic	bellum	lacrimo	um hic	miseram	famem		
V. 6.	Quaecunque	aut	gelido	prominet	Algido			
V. 14.	Pestemque	a	populo et	principe	Caesare in			
V. 5.	Vos	laetam	fluviis					
V. 9.	Vos	Tempe	totidem					

V. 1. *virgines*] Alloquitur Horatius choros puerorum et puellarum, laudes Apollinis et Dianae in ludis rite canentium. *Dianae* prima syllaba producta est, ut apud Virg. Aen. I, 499. — *intonsum*] Epod. 15, 9. Tibull. I, 4, 37;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.
Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque aut gelido prominet Algido
Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi;
Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque mares Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

»Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventa: Nam decet intonsus crinis utrumque deum.« — *Cynthium*] a Deli monte Cyntho. — *nigris silvis*] cf. Carm. IV, 12, 11. IV, 4, 58. Nigrae silvae sunt, quarum arbores viridia quidem sed ad nigrum colorem vergentia habent folia; ut *ilex nigra*, *abies nigra* apud Virgil. Buc. 6, 54. Aen. VIII, 599. — *Cragi*] montis Lyciae, qui viridis appellatur propter arborum folia ex viridi ad flavum colorem vergentia. — *fraterna*] Mercurii, de quo vide Carm. I, 10, 6. *humerum* est accusativus graecus — *hic bellum lacrimosum*] Sic apud Hom. Il. V, 737 »ἐς πόλεμον δακρυόεντα.« Deinde »Quo spectaverit communis Apollinis et Dianae religio, id optime ex carmine saeculari cognosci potest. Nimirum cum soli et lunae, a quibus salubris aëris temperies adeoque tam agrorum fertilitas quam corporum sanitas pendet, divinam Apollinis et Dianae personam indueret antiquitas, habiti ii sunt dii salutares, publicae salutis auctores, σωτῆρες, vel dii averrunci, ἀλεξίκακοι, ἀλεξίμορμοι, ἀποτροπαῖοι, qui famem, pestilentiam atque publicam calamitatem avertere possent; et hinc iidem sunt dii socii, πάρεδροι, σύνναοι, eiusdem religionis in eodem templo participes.« Doering. — *a populo et principe*] Qui *et* particulam eiicere voluerunt, ut sit: »propterea quod princeps est Caesar.« non viderunt Horatium particulis *et* et *que* saepe toti rei partem aliquam egregiam addere; quo factum est ut Caesaris salus arctissime coniuncta sit cum universa populi salute. Vide ad Carm. I, 3, 19. Eadem fere res iam apud Homerum observatur Il. XIII, 1. — *in Persas atque Britannos*] cf. Carm. I, 2, 22. III, 27, 21—24. I, 35, 29.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXII.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,

Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra

Carmen XXII.

Horatius quid pietati in deos tribuat, manifestum est ex Carm. I, 17, 13. Idem hoc carmine probatur. Qui pii sunt, sunt innocentes a diisque coluntur. Quam deorum tutelam ut in illo carmine sic in hoc se ipsum expertum esse affirmat luculento exemplo. Sibi, pio vati et innocenti homini, nihil esse horribile aut pertimescendum; praesenti deorum auxilio fretum ubique se posse poesi et amori indulgere. Habemus igitur iterum perpetuam Horatii doctrinam de integritate morum ac veris vitae gaudiis. Compositio carminis simplicissima est; tres enim partes sunt ex binis strophis coniunctae; in ipsis partibus altera stropha priorem amplius illustrat, ita tamen ut in tertia parte, quo carmen rectius in finem excurrat, apodosis protasin sequatur. — Aristium Fuscum inter amicos Horatii non ultimum locum habuisse constat ex Sat. I, 9, 61. Epist. I, 10. Tempus quo carmen compositum sit definiri nequit; sed Sabinam villam iam accepisse videtur Horatius. De Lalage vide ad Carm. I. 19.

V. 1. *Integer vitae*] Sat. II, 3, 220. Virg. Aen. IX, 253. — *Mauris*] vide ad Carm. I, 1, 28. — *gravida*] plena. cf. Virg. Aen. VII, 507. — *Syrtes aestuosas*] cf. Carm. II, 6, 3 sqq. Sed explicatur etiam de ora Syrtibus adiacenti, arenosa et fervida; cf. Carm. II, 20, 15. Virg. Aen. V, 51; de qua Lucanus Phars. IX, 430: »At quaecunque vagam Syrtim complectitur, ora Sub nimio proiecta die, vicina perusti Aetheris, exurit messes et pulvere Bacchum Enecat, et nulla putris radice tenetur. Temperies vitalis abest et nulla sub illa Cura Iovis terra est: natura deside torpet Orbis et immotis annum non sentit arenis.« Lucan. IX, 303: »Syrtes, vel primam mundo natura figuram Cum daret, in dubio pelagi terraeque reliquit.« Et Claudianus de IV. cons. Honor. 436: »Libyae squalentis arenas Audebit sperare pedes madidaque cadente Pleiade Gaetulas intrabit navita Syrtes;« idem tamen de laud. Stilich. I, 257: »stant pulvere Syrtes Gaetulae.« Propert. IV, 24, 16 (Haupt.): »traiectae Syrtes.« Sil. I. 644: »mersos Syrtis arenis populos.« — *inhospit. Caucasum*] Epod. 1, 12. — *fabulosus Hydaspes*] hodie *Behut*. India Romanis prope ignota, ut etiam Plinius H. N. VI, 17 scripserit: »Patefacta est (India) non modo Alexandri Magni armis regumque qui ei successere, circumvectis etiam in Hyrcanum mare et Caspium Seleuco et Antiocho praefectoque classis eorum Patrocle; verum et aliis auctoribus graecis est. *Non tamen deest diligentiae locus, adeo diversa et incredibilia traduntur.*«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem;

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

V. 11. *curis expeditis*] Alii ex codd. *expeditus*; sed homoeoteleuton facit ut illud praeferendum videatur; nam utriusque scripturae sententia eodem redit. Homoeoteleuti exempla ubivis obvia, ut Carm. II, 12, 1. 16, 38. 17, 1; alia. — *quale portentum*] In his quae inest superlatio, eam apparet accommodatam esse ad sensus, quibus Horatius cum conspiceret lupum subito movebatur. — *Daunias*] Apulia. cf. Carm. IV, 14, 26. A graecis formis huic similibus in nominibus latinis, cum metri quaedam necessitas urgeret, non abhorruerunt latini poetae, ut Ovid. A. A. I, 82 *Appias* (aqua), ibid. III, 452 *Appiades* (nymphae). — *Iubae*] A. u. c. 729 Iuba filius ab Augusto pro patrio regno et partem Gaetuliae accepit et universam Mauretaniam, quae Bocchi et Bogudis fuerat. Quare non male suspicati sunt, qui illo anno carmen scriptum esse putant. cf. Carm. I, 23, 10. — *pigris campis*] Describitur his quattuor versibus frigida, duobus insequentibus torrida zona. cf. Carm. III, 3, 55. 24, 36. Deinde notandum est, ex more satis frequenti adiectiva *pigris*, *aestiva* in mediis, substantiva *campis*, *aura* posita esse in extremis versibus; qua re egregie perspicuitati elocutionis consultum videmus. — *malusque Iuppiter*] cf. Carm. I, 1, 25. — *urget*] vide ad Carm. II, 9, 9. — *dulce ridentem*] vide ad Carm. II, 12, 14. — *pone*] Notanda anaphora in primo verbo duarum stropharum, qua facile est sentire quam magna vis huic verbo accedat. Quare haud rarum hoc genus; nam compara Carm. I, 35, 5. 9. 17. 21; II, 6, 13 et 21; II, 16, 1 et 5; II, 19, 9 et 13; II, 20, 9 et 13; III, 3, 9 et 13; III, 4, 37 et 41; III, 9, 1. 5. 9 et 13; cet. — *dulce loquentem*] Iocose ratio habita est nominis Lalages (Λαλαγή), quae quod nomine pollicita est re comprobavit. Ceterum in vv. 23. 24 alterum est genus anaphorae, quo idem vocabulum legitur in prima sede duorum inter se excipientium versuum; cuius generis alia exempla haec appono: Carm. I, 28, 33 sq. I, 34, 9 sq. I, 36, 11 sq. II, 3, 5 sq. II, 6, 9 sq. II, 8, 21 sq. II, 16, 5 sq. III, 11, 30 sq. 37 sq. Iam ut hoc loco nunc defungar, tertium genus est cum idem vocabulum in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXIII.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem non sine vano
Aurarum et siluae metu:
Nam seu mobilibus vepris inhorruit
Ad ventum foliis seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

prima quidem sede duorum versuum reperitur, sed qui tertio aliquo distinentur: Carm. II, 1, 17. 19. II, 3, 17. 19. III, 1, 45. 47. III, 19, 5. 7. III, 24, 33. 35. Tum quarto genere idem vocabulum in uno quidem versu repetitur sed in conspicuis locis, ut in initio et media arsi: Carm. II, 19, 17. III, 4, 45 (III, 10, 5). IV, 4, 30. IV, 7, 15. 23. Cum quo genere cognatum est hoc, cum quod in prima sede versus collocatum est vocabulum in medio altero versu iteratur: III, 3, 65 sq. Quinto genere idem vocabulum in pari sede eiusdem vel similis versus repetitur, ut III, 4, 53. 54. IV, 13, 10. 11. Denique varia genera anaphorae non raro ad augendam vim coniunguntur; quod quomodo fiat ex his vide locis III, 29, 17—21. III, 21, 13—17. IV, 13, 17—18. IV, 14, 41—52.

Carmen XXIII.

Ad graecum fortasse exemplum Chloën, timidam puellam et amori se subtrahentem, comparat cum hinnuleo matrem anxie sequenti et pericula undique timenti. Chloë (*χλόη*) nomen ab Horatio non fictum sed electum est, quoniam bene congruit cum natura et aetate puellae. De eadem C. III, 26 scriptum videtur. Tempus definiri nequit.

V. 2. *hinnuleo*] Cf. Anacreon fr. 49 Bergk: »Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα Γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κερυόεσσης Ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.« — *siluae*] trisyllabum, ut Epod. 13, 2. Ep. I, 16, 51. — *vepris*] Codd. *veris inhorruit adventus*; Muret. ex codd.: *vilis inhorruit ad ventum*; *vepris* ex coni. Gogav. Salmas. Bentl., quos recte secuti sunt Meinek. Keller.; locus enim generalem sententiam non ferat, etiamsi vulgata lectio facilius possit explicari. Cf. Lucan. VIII, 5 »pavet illa fragorem Motorum ventis nemorum.« Senec. Hippol. 1103: »acutis asperi vepres rubis, Omnisque truncus corporis partem tulit,« et Colum. VII, 6 de pecore caprino: »Nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur.« — *virides lacertae*] Est hoc indicium veris, lacertas prodire ex latebris, in quas hieme se condiderint. cf. Virg. Buc. 2, 9. — *tremit*] hinnuleus. — *Gaetulus*] Africanus. *Γαιτοῦλος*. — *frangere persequor*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *tempestiva viro*] nubilis. Virg. Aen. VII, 53.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXIV.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget: cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?

Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.

Carmen XXIV.

Dulcissimum hoc de morte Quintilii ad Virgilium carmen absolutum omnino est ac perfectum; nam cum Horatii tristes querimoniae usque ad medium versum (10) vehementer auctae ingens damnum, quod praestari non possit, et singulares virtutes defuncti amici dulcissimo moerore descripserint, tota altera pars superiori contraria est: luctum iustum sed irritum esse, calamitatem patienter ferendam. Qua quidem consolandi ratione quae potest melior inveniri? Nam est consolatio ad eum, quocum Quintilius intima familiaritate coniunctus vixerat. Probat igitur Horatius Virgilii moerorem ac luctum ob ereptum amicum; imparem se profitetur qui satis digno θρήνῳ prosequi possit tam egregium hominem, tam dulcem amicum, vocat in auxilium Musam, prodit necopinatum suum etiam dolorem et concedit tamen neminem maiore iure lugere quam Virgilium. Sic postquam aditum sibi paravit ad animum contristati amici, »at, inquit, frustra conquereris, frustra reposcis quem semel eripuerunt dii; in vitam reducere non posses mortuum, etiam si Orpheo blandius caneres. Quare quid erit faciendum? Patientia levandum est quod nequit dolore restitui.« Cum Quintilium a. 730 mortuum esse sciamus, carmen quo tempore scriptum sit liquet.

V. 1. *desiderio*] In dativo difficultas quaerenda non est; recte enim congruit cum maiore quam h. l. verbum *sit* habet vi ac potestate; deinde *pudor et modus* bene coniuncti sunt, nam ubi a nimio luctu pudor homines prohibet, modus simul querelis ponitur. Sic Martial. VIII, 3, 3: »Sit pudor et finis« et VIII, 64, 15: »Sit tandem pudor et modus rapinis.« — *cari capitis*] Sic Schillerus noster: »Er zählt die Häupter seiner Lieben, Und sieh! ihm fehlt kein *theures Haupt*.« — *ergo*] Significat haec particula subitam et vehementem admirationem, ad quam cum loci natura dolorem addat, efficitur ut necopinati doloris sensus exprimatur. — *urget*] vide ad Carm. II, 9, 9. cf. Virg. Aen. X, 745. — *Pudor*] cf. Carm. Saec. 58. Est autem ea virtus, qua ne quid mali committamus insito quodam nobis honestatis sensu prohibemur (Ehrgefühl). — *Iustitiae soror*] cf. Cic. de offic. II, 7. Claudian. de laud. Stilich. II, 373: »lictorque Metus cum fratre Timore.« — *nudaque Veritas*] simplex, aperta, quae neque ullum verborum ornamentum neque artificium neque fucum aliumve cultum desiderat. — *inveniet*] De singulari numero cf. Carm. I, 2, 38. 3, 3. 4, 16. 6, 10. — *Virgili*] vide Zumpt. gr. lat. § 33. adnot.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tu frustra pius heu non ita creditum
Poscis Quintilium deos.

Quid, si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem?
Num vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida

Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi?
Durum: sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

V. 11. *frustra pius heu*] Noli intelligere pietatem in amicum; sed eadem est pietas quam in his invenimus locis: Carm. I, 17, 14. II, 14, 2. IV, 7, 24; quibuscum conferas locum ex simili carmine Ovidii de morte Tibulli poetae, Am. III, 9, 37:

Vive pius, moriere pius, cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.

Pii autem diis cari sunt et amici; pios igitur maior spes est moturos precibus deos; nam (Ovid. Met. VIII, 725): »Cura pii dis sunt et qui coluere coluntur.« Et tamen quamquam pius est Virgilius, mortuum amicum non reducent dii in vitam; est igitur ille frustra pius, id quod magnopere est dolendum. Sic intelligitur *heu* particula, quam ne cum insequentibus vocabulis coniungas vetat ipsa versus caesura. — *non ita creditum*] Demonstrativum adverbium *ita* requirit relativam sententiam: *ut nunc factum est* i. e. ut tam mature eum tibi eriperent. — *Quid, si*] Hanc optimorum et plurimorum codicum scripturam non dubitavi recipere; etenim nec vehementior sententia est nec potest esse crudeliter Virgilio illudentis, ut Orellio visum est. cf. Sat. II, 3, 159. Ep. I, 19, 12. Virg. Aen. IV, 311. Alii *Quodsi* et v. 15. *Non.* — *Orpheo*] cf. Carm. I, 12, 8. — *Threïcio*] Epod. 13, 3; est graeca forma *Θρηΐκιος*. — *fidem*] Singularis apud poetas pro plurali satis frequens: cf. Carm. I, 17, 18. Epod. 13, 9. — *vanae imagini*] Animae mortuorum speciem quidem corporum referebant, ut oculis cernerentur; sed tactum effugiebant: inde *simulacra* sunt et *εἴδωλα*, et recte appellantur *vanae*. cf. Virg. Aen. VI, 292. — *virga*] cf. C. I, 10, 18. — *fata recludere*] Fata hominum certa sunt et immutabilia; inde *recludere* verbum ab Orci portis facile transfertur ad ipsa fata quae nulla vi nec hominum nec deorum solvuntur. De infin. vide ad Carm. I, 1, 18. — *semel*] ein für allemal, de iis rebus quae fieri non possunt nisi semel; cf. Cic. Deiot. 3, 9. Virg. Aen. XI, 418. — *gregi*] De dativo cf. Carm. I, 28, 10. — *durum*] Vide quanta insit in hac brevitate vis dicendi; quanto hoc gravius quam illud, durum quidem hoc est, sed cet.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXV.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Iactibus crebris iuvenes protervi
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Ianua limen
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam:
„Me tuo longas pereunte noctes,
„Lydia, dormis?“
Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu
Thracio bacchante magis sub interlunia vento,
Cum tibi flagrans amor et libido,

Carmen XXV.

Acerbum hoc est carmen et contumeliosum in Lydiam, olim formosam et duram, tunc senescentem et paene desertam; plenum est exprobrationis et maledictionis. Medius versus (10) huius quoque carminis caput et fastigium habet.

V. 1. *parcius*] rarius. — *iactibus*] Sic optimi codices prope omnes; quamquam *ictibus*, quod in reliquis est, de lapidum coniectione dici potest. — *iunctas fenestras*] valvas fenestrarum occlusas. Becker. Gall. T. I. p. 100: »Die Fenster mögen in alter Zeit unverschlossene Oeffnungen gewesen sein, die höchstens durch Läden geschlossen wurden. In späterer Zeit bediente man sich besonders des lapis specularis (Frauenglas, Marienglas), der häufig erwähnt wird. Selbst Säulengänge verschloss man durch dergleichen Fenster. Die Frage, ob die Alten sich auch des Fensterglases bedient haben, ist früher gewöhnlich verneinend beantwortet worden. In neuerer Zeit ist man indessen darüber nicht in Zweifel und mehr als alle Belege aus späten Schriftstellern beweisen die in Pompeji gefundenen Glasscheiben und selbst Fenster.« — *multum facilis*] facillima; de quo usu voc. *multum* cf. Carm. III, 27, 47. Epod. 15, 11. 17, 20. Sat. I, 3, 57. II, 3, 147. Epist. I, 3, 15. Ianua vel porta *difficilis* appellatur ap. Ovid. Am. I, 6, 2: »Difficilem moto cardine pande forem.« — *Me tuo* cet.] Versus 7 et 8 ex carmine sunt παρακλαυσιθύρῳ, quale est Carm. III, 10. — *longas noctes*] Epist. I, 1, 20. — *invicem*] vicissim. Epod. 15, 24; eadem prope ratione Carm. III, 28, 9. — *levis*] contempta. — *magis*] vehementius quam solet alias. *Thracio bacchante* est ablativus absolutus. Bentleius malebat *bacchata*. I. M. Gesnerus et Mitscherlichius commate post v. *angiportu* collocato, post v. *vento* sublato hanc voluerunt esse verborum coniunctionem: cum tibi amor magis flagrans, quam Thracius ventus sub interlunia bacchans, et libido saeviet; quam constructionem obscuram atque contortam, quamquam probata est Hauptio, Meinekio, Rittero, poetae obtrudere nolui. — *Interlunia*] Eo tempore quo neque vetus neque nova luna conspicitur saevire dicebantur venti; nam hoc est *bacchari*, ut Ovid. Trist. I, 2, 29: »Boreas bacchatus ab Arcto;«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum,
Non sine questu,
Laeta quod pubes hedera virente
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

Carmen XXVI.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

cf. Virg. Aen. IV, 666. — *furiare*] in furorem coniicere. cf. Virg. Aen. II, 407. Georg. III, 266. — *iecur*] vide ad Carm. I, 13, 4. — *ulcerosum*] cf. Epist. I, 18, 72. Verum ut cum ulcere coniuncta est foeditas ac taedium, sic ulcerosum iecur non cupiditatem solum, quae est in *vulnerare*, *vulneratus*, significat, sed foedam ac nimiam cupiditatem. — *hedera virente*] hellgrüner Epheu. — *pull. myrt.*] dunkelgrüne Myrte, graulichgrüne Myrte (Göthe). cf. Carm. I, 21, 7. Deinde in comparatione alterum membrum mutatum est; nam cum simpliciter dicendum esset *quam aridis frondibus*, ad augendum ludibrium hanc partem nova instruxit sententia. cf. C. IV, 13, 9. De Hebro vide Carm. III, 25, 10. Epist. I, 3, 3.

Carmen XXVI.

»Musis, inquit, amicus et ab omnibus quibus nunc homines tenentur curis unice liber nihil moror ea quae aliena et remota sunt; quare praestat te laudare, dulcis amice, tibique Musarum ope coronam nectere novoque carminum genere te celebrare.« Est breve quidem, sed amabile carmen, quo etiam L. Aelius Lamia, qui tristiore ac severiore fuisse videtur ingenio (cf. III, 17), ad hilariorem vitae usum tecte evocatur. Tempus, quo scriptum sit, ex v. 5 intelligitur. Nam cum Phraates, rex Parthorum, patrem ipsum Orodem et omnes fratres interfecisset (a. u. 718), ex familia Arsacidarum adversarius exstitit Teridates. Hic tamen victus aufugit ad Octavianum, qui tum (a. u. 724) mortuo Antonio in Syria erat. Etiam Phraates legatos misit. Octavianus Teridati ut in Syria maneret permisit. Interea Phraates a populo pellitur, Teridates revocatur. Phraates Scytharum ope reducitur, Teridates confugit ad Augustum, quem in Hispania invenit (a. u. 729). Recte autem viris doctis visum est h. c. ad a. 725 referendum esse, cum praesertim simillima sententia sit in Virgilii Georgicis (II, 496) a. u. 724 editis.

V. 2. *protervis ventis*] quoniam omnia sibi obstantia quasi proterunt et ludibrio habent. Epod. 16, 22. — *mare Creticum*] ideo potissimum nominatur, quia maris medii ab Italia remotissima prope pars est. — *portare*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *rex*] Scytharum, Dacorum, Sarmatarum,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid Teridaten terreat, unice
Securus. O quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplea dulcis. Nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

Carmen XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum

a quorum excursionibus et latrociniis fines Romani imperii non erant tuti. cf. III, 8, 17. Alii *quis* pro *quibus* dictum volunt et significari putant Teridatem; non bene. — *Teridaten*] Sic apud Dionem Cass. *Τηριδάτην*; apud Lucianum *Τιριδάταν*, ubi tamen editiones dissentiunt. — *necte*] Cfr. Claudian. de nupt. Honor. et Mar. 202: »tu, Gratia, flores Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.« — *Pimplea*] *Πίμπλεια* est mons Thraciae cum fonte Musis sacro. A quo nomine latinum fit adiectivum *Pimpleus*, ut apud Catull. 105, 1: »Pimpleum scandere montem.« — *prosunt*] Sic plurimi codices, pauci *possunt*. Utrumque bene dicitur; sed praevalet codicum auctoritas. — *honores*] sunt carmina quibus honores tribuuntur. cf. Carm. IV, 9, 25—30. — *fidibus novis*] novo carmine, lyrico, nam plectrum Lesbium est. cf. Carm. III, 30, 13. — *sacrare*] perpetuo honore extollere, ut Epist. II, 1, 49. »Versus parum concinne compositus (hunc Lesbio sacrare plectro) cui nullum alium similem reperias. Cultis Horatii auribus in quarta huius versiculi syllaba desinens vocabulum non satis faciebat nisi id monosyllabum esset. Vocabulum longius praeter *hunc Lesbio* inveni semel, II, 3, 27.« Lachmann. apud Frank. p. 239. Compara versus Carm. I, 9, 15. 19. 16, 23. 17, 15. 29, 7. 31, 7. 15. 19. 34, 7. 15. 37, 15. 19 alios.

Carmen XXVII.

Ut nono carmine huius libri sic hoc quasi in medium convivium ab Horatio et amicis celebratum ducimur. Ibi fervidiore Falerno calidi facti sodales a iurgiis ad certamina prorumpunt; surgit Horatius, qui vehementiore vino abstinuerat (vide v. 9), revocatque sodales ad moderationem et amicitiam. Pugnare in conviviis et pocula in arma convertere barbarorum et ferorum hominum (v. 2. 5), non Romanorum et cultorum esse dicit, tum inde a tertia stropha, postquam duabus superioribus aures et animos omnium in se suaque verba convertit, quo facilius convivae irae obliviscantur, subito aliam rem obiicit rixae plane contrariam eamque ita instituit, ut per risum et iocum pace reconciliata ad hilaritatem omnes leniter cogat. Tempus nequit definiri: sed videtur eiusdem aetatis esse, cuius est C. I, 16.

V. 3. *verecundumque Bacchum*] cf.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat; impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cunque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus ingenuoque semper

Amore peccas: quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

Carm. I, 18, 7. Epod. 11, 33. Hoc magis decet poetam, quam quod scribere voluit Cuninghamius *verecundique*. — *prohibete*] Ep. I, 1, 31. Cic. Manil. 7, 18. — *immane quantum*] ut *mirum quantum* (Liv. II, 1, 11) adverbii prope vice funguntur. Tacit. Hist. III, 62 »exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit.« Capitolin. vit. Maximin. iun. c. 2: »amicis paternis immane quantum obsecutus est.« — *cubito presso*] impresso pulvillis substratis cubito sinistro. cf. Sat. II, 4, 39. — *severi Falerni*] Haec facile ut coniungantur, efficitur pari quem utrumque vocabulum habet versus loco. *Severum* Falernum idem est quod Sat. II, 4, 24 *forte* appellatur. — *Vultis*] Interrogando nihil efficitur aliud nisi vivida quaedam protasis. — *Opuntiae frater Megillae*] unus e convivis, cuius nomini haec blanda et honorifica pulchrae sororis commemoratio substituitur. — *beatus vulnere*] Egregium oxymori exemplum; nam Venus »dulcem curis miscet amaritiem« (Catull. 68, 18). — *sagitta*] cf. Carm. II, 8, 15. — *quae te cunque*] vide ad Carm I, 6, 3. — *ah miser*] Audito tandem puellae nomine iocose exclamat, non esse mirandum, quod nomen illud pronuntiare cunctatus sit. Huc referendum est imperfectum *laborabas*, quod in optimis codd., etiam in Blandin. antiquiss. repertum est. Bentleius, cum latine dici putaret *morbo, frigore, inopia laborare*, non dici *laborare negotio, mari*, sed *in negotio, in mari*, nec *laborare puella*, sed *in puella* (Carm. I, 17, 19), ex vestigiis codicum, in quibus reperitur etiam *laboras*, restituendum putavit *laboras in Charybdi* cum Aldo, Cruquio, aliis. At Charybdis non est puella, sed perniciosus amor improbae puellae, quo iuvenem laborare recte potest dici, ut apud Ovid. Trist. I, 11, 27: »insidiis hominum pelagique laboro.« — *Cha-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

Carmen XXVIII.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae

rybdi] Virg. Aen. III, 420. — *Thessalis venenis*] φαρμάκοις, quibus Thessalia abundabat, unde Thessali noti venefici et magi. Epod. 5, 45. — *Chimaera*] Cuius amorem propter avaritiam cum Charybdi comparavit, eam Chimaeram appellat propter inconstantiam. Hom. Il. VI, 180. Hesiod. Theog. 325: »Τὴν μὲν Πήγασος εἶλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.«

Carmen XXVIII.

Nullum est inter Horatiana carmina quod interpretibus tantas quantas hoc molestias procreaverit. Quare diversissimae eorum sunt sententiae. Alii dialogum inter Archytam et nautam, alii μονολογίαν esse affirmant; neque qui alterutri sententiae addicti sunt inter se consentiunt. Et eorum qui dialogum scripsisse Horatium statuunt, alii nautae Matinum littus praetervehenti sex tantum versus, Archytae respondenti reliquos attribuunt, alii nautam viginti versus dicentem faciunt. Qui μονολογίαν invenerunt, miro sane acumine vel Horatii etiam viventis ab eodem Horatio fictam umbram in littore deambulantem ac declamantem audiebant, vel Archytae umbram primo secum severe philosophantem, deinde nautam casu praetervehentem precibus et minis sollicitantem fingebant, vel verba esse putabant alius peregrini nescimus cuius hominis naufragi primum ad Archytam, deinde ad nautam dicentis, vel alia non magis probabilia excogitabant. Utut est, hoc certum videbitur, voluisse Horatium describere et castigare ingentia studia hominum, quippe qui aut nimia earum rerum quae humanos sensus superant cura et cupiditate teneantur quaeque dii sibi servaverint ad terram quasi detrahere conentur, aut nihil nisi terram spectantes coelum ipsum et omnia maiora sublimioraque prae divitiis et lucro contemnant. Utriusque studii inanitas Archytae, philosophi Pythagorei Tarentini, et nautae exemplis probatur. Ironia vere Horatiana ac prope Epicurea (cf. Epist. I, 4, 16. Epod. 15, 21. Epist. II, 1, 52) per totum carmen manifesta est, neque minus manifesta oppositio inter duas personas (*te* vv. 1. 14. 23. 27. 28. 30. 31. 33. 36. *me* vv. 21. cf. 33). Quare optimum est iis accedere qui dialogum esse carmen existimarunt. Archytae naufragi corpus undis eiectum iacet in littore Calabriae; quo conspecto nauta praetervehens quid de Archytae studiis ac laboribus sentiat prodit; respondet umbra ad inhumatum corpus vagans, ostendens quam perniciosa sit contraria cupiditas, qua nautae etiam ad negligendam pietatem ac religionem agantur. Nam hoc certum est, in omnibus prope verbis nautae contumeliam et irrisionem expressam esse. Praeterea Archytae corpus sepultum non est (vv. 23. 36), naufragus petit ut pulvere ter iniecto corpus suum sepeliatur. Iam si quaeris, ubi Archytas incipiat loqui, primum indicium invenitur in v. 14 *iudice te*, quae Archytae esse non possunt, alterum v. 21 *me quoque*, quae nautae nequeunt tribui. Iam cum haec *me quoque* a versu 20 dividi non possint, consistendum nunc quoque mihi videtur in ea ratione, qua nautae sedecim primos

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva Matinum
Munera, nec quidquam tibi prodest
Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.

versus dandos esse ante aliquot annos tentavi demonstrare. Nam non videtur necessarium esse, ut versus 16 et 17 eidem personae tribuantur: »Omnibus moriendi necessitas imposita est: (sed) varia sunt mortis genera.« Ita sententias coniungendas esse non credo, ne *sed* v. 15 particulam eadem male sequatur. Verum incipit Archytas bene ab simili sententia sic: »Recte quidem omnibus moriendum esse ais, nam cet.« — Quo tempore scriptum sit carmen, quis dicat? Suspicantur tamen, scribendi huius carminis occasionem dedisse iter ab Horatio cum Maecenate Brundusium factum a. 717.

V. 1. *arenae mensorem*] Proverbii instar fuit *arenam numerare* vel *metiri* de re infinita et difficillima, sed supervacanea et ridicula. cf. Virgil. Georg. II, 104 sqq. Quare hoc *arenae* eodem consilio additum sentis, quo ea quae insequuntur *pulveris exigui parva munera* contra ingentia studia, quibus Archytas, Pythagoreus philosophus, Platonis aequalis, mare et terram emensus esse dicitur, invidiose ponuntur. Cfr. Cic. de off. I, 43, 10. Philosophus et geometra *animo* tantum omnes regiones non terrae solum sed aëris quoque percurrit et tentat, mercator terram solam et solidam, non aërem inanem neque solo animo sed corpore etiam. Is optime videtur vixisse, qui plurima sibi et suis commoda paravit; honores et magna nomina, qualia sunt Tantali, Tithoni, Minois, qui coelum captantes terram amiserunt, parvi sunt aestimanda; minoris etiam Pythagoras, qui cum animos hominum morti non succumbere discipulis persuaderet, operam et oleum perdidit. Scilicet quantumvis quondam se iam vixisse probaret, iterum mortuus nondum rediit in vitam. Sic Pythagorae et Archytae de migratione et immortalitate animarum tota doctrina huic est ludibrio. Inde *Panthoidis* (v. 10) ironica compellatio; inde haec verba *nervos atque cutem* pro corpore posita, ex Pythagorae corpus prae animo contemnentis sententia dicta; inde acerba et falsa laudatio *iudice te non sordidus auctor*. Sordidi enim apud philosophos sunt homines qualis hic nauta, qui bonis litteris spretis solam utilitatem laudabant (cf. Carm. II, 16, 15. Cic. de off. I, 42. II, 6). Pythagoras olim, quo Troianis iam temporibus se vixisse comprobaret, Euphorbum, Panthoi filium (Hom. Il. XVI, 808), se fuisse affirmavit clipeumque, quo olim usus esset, inter multos alios in templo Iunonis haud procul Mycenis affixos ostendit; quo clipeo *refixo* i. e. detracto (Epist. I, 18, 56. Epod. 17, 5) Euphorbi nomen vere inventum traditur. De qua re legatur Ovid. Met. XV, 160 sqq. Iam apertum est, opinor, quid versus velint 2 et 3. Nam te, inquit nauta, qui totam terram mente complectebaris, nunc *cohibent parva munera pulveris exigui*: i. e. tu nunc terrae exiguam partem, exiguum spatium occupas. *Cohibere* enim idem est quod coërcere; cf. Carm. II, 20, 8. III, 4, 80. 14, 22. IV, 6, 34. II, 18, 38. 19, 19. Praeterea compara Claudiani in Rufin. II, 451 »Iacet en, qui possidet orbem, Exiguae telluris inops, et pulvere raro Per partes tegitur, nusquam totiesque sepultus.« — *Matinum*] cf. Carm. IV, 2, 27. Epod. 16, 28. Porphyrion ad h. l.: »*Matinus* mons, sive promontorium, est *Apuliae*, iuxta quem Archytas sepultus est.« Idem ad Epod. 16, 28: »*Matinus* (mons) *Calabriae*.« — *aërias domos*] cf. Carm. I, 3, 29. — *polum*] Per synecdochen ponitur passim a poetis pro ipso coelo; Carm. III, 29, 43. Epod. 17, 77. Virg. Aen. V, 721.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Occidit et Pelopis genitor conviva deorum
Tithonusque remotus in auras
Et Iovis arcanis Minos admissus habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis clipeo Troiana refixo
Tempora testatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique. Sed omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae

V. 13. *concesserat*] Poetae non abhorrent ab indicativo apud part. *quamvis*, cum praesertim non cogitata sed certa res significatur. Apud Horatium compara Epist. I, 14, 6. I, 17, 1. 22. A. P. 366. Carm. III, 7, 25. III, 10, 13; coniunctivus est Carm. IV, 2, 39. IV, 6, 6; ex quibus locis discrimen senties. — *Tartara*] non de damnatorum sede, sed de universo Orco. Fuit autem metrica ratio, quae poetas ut *Tartara* dicerent, non *Tartaros* permovit. — *iudice te*] Qui carmen prave intelligerent, scribendum putarunt *iudice me*. Pythagorae in magna Graecia tam celebratum erat nomen, ut quaedam eius doctrinae notitia ad eos quoque homines pervenire deberet qui expertes fuerunt artium et disciplinarum. — *calcanda semel via leti*] Etiam Livius XXXI, 18 »seque per omnes vias leti interficerent.« Generalis sententia post prolata nonnulla eiusdem rei exempla desinendi aliquod indicium habet. cf. Carm. I, 17, 13. II, 3, 25. II, 10, 5. 21. II, 13, 19. III, 16, 17. III, 7, 19 cet. Versus 17—20 a superioribus diversam naturam produnt, quippe qui exclusa prope omni contumelia communem omnium mortalium condicionem describant, nisi quod v. 18 nautarum exemplum de industria sumptum apparet. — *avidum mare*] Altera lectio *avidis* prava est; epitheton illud maris ad metum nautae incutiendum aptissimum. cf. Carm. III, 29, 61. — *densentur*] Duplex forma est verbi, *densare* et *densere*; codices plerumque fluctuant; *densare* tamen a Livio et Quintiliano, *densere* a Lucretio, Horatio, Tacito et serioribus usurpata videtur, a Virgilio utraque. — *nullum saeva caput Proserp. fug.*] Nullum caput tantum, nemo tam gravis fuit, quem Proserpina i. e. mors fugerit, timuerit, ad quem mors non accesserit. Sic Lucan. Phars. II, 75: »Mors ipsa refugit saepe virum (Marium).« Proserpina enim ad moribundos accedit iisque cincinnum desecat; Virg. Aen. IV, 698.

V. 21. *devexi Orionis*] Occidit Orion V. Id. Novembr., quo tempore tempestates saevire solent; inde *Notus* rapidus illius comes dicitur,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.

Carmen XXIX.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis et acrem militiam paras

inde ipse Orion nautis infestus. Epod. 15, 7. Carm. III, 27, 17. — *parce*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *capiti inhumato*] Ne hiaret oratio, duo critici scribere maluerunt *intumulato*, ut ap. Ovid. Her. 2, 136: »Occurramque oculis *intumulata* tuis.« Alia exempla hiatus sed non omnino similia sunt Carm. II, 20, 13. III, 14, 11. Epod. 5, 100. 13, 3. Fuit autem vetus superstitio, animam corporis inhumati non posse Stygias aquas transire (cf. Virg. Aen. VI, 325 sqq. 365. 374. Achill. Tat. p. 116. Iacobs.: »*Λέγουσι δὲ τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀνῃρημένας μηδὲ εἰς Ἅιδου καταβαίνειν ὅλως, ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην.*«) Quare sacris legibus vetitum erat, ne quis ignotum etiam corpus, in quod incidisset, insepultum relinqueret. Quod officium ut festinantes etiam possent praestare, ter glebam iniecisse sufficiebat. — *sic*] vide ad Carm. I, 3, 1. — *quodcunque minabitur, plectantur*] cf. Epist. I, 2, 14. — *unde*] vide ad Carm. II, 12, 7. — *Neptuno*] Fuit Archytas Tarentinus, in qua urbe Neptunus *πολιοῦχος* deus erat. — *negligis committere*] vide ad Carm. I, 27, 9. — *te natis*] Sic coniungendum est, non *te committere*. — *fors et*] fortasse etiam. Virg. Aen. XI, 50. — *vicesque superbae*] *ἀντίποινα*, talio. cf. Hom. Od. XI, 72 sq. — *ter*] Ternarius numerus sacer. Ep. I, 1, 37. Sat. II, 1, 7.

Carmen XXIX.

Aelius Gallus a. u. 730 ex Aegypto expeditionem in Arabiam felicem Augusti iussu fecit ex eaque summa quaeque expectaverunt Romani. Quid igitur mirum, quod magna Arabiae et eius divitiarum fama multos tum incendit iuvenes Romanos bellandi cupiditate opumque colligendarum exspectatione? Ex amicis Horati *Iccius* quoque, qui usque ad id tempus in otio et mansuetioribus litte-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non ante devictis Sabaeae
Regibus horribilique Medo
Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,
Cum tu coëmptos undique nobilis
Libros Panaeti Socraticam et domum

ris vixerat, nomen professus est. Quare Horatius festivo hoc carmine amicum iocose deridet et mirabundus exclamat: ergo tu quoque militiam paras, tu quoque otium et libros cum castris et gladio commutaturus es! Laedere Iccium Horatius noluit; acerbitatis in amicum nihil reperitur toto carmine, ioci et leporis omnia plena sunt. Verum etiamsi Iccium non accusat, accusat tamen ingentem suae aetatis cupiditatem bonorum; etenim ita saepe fit, ut quae in amicos ridendo et iocando dicamus iis alios tangi velimus. Ad eundem Iccium data est Epist. I, 12. Cum iam a. 727 expeditio pararetur, ad eum annum referendum esse carmen satis est probabile.

V. 1. *nunc*] Quanta nunc subito exarsit ferocia; quanta audacia in te, qui adhuc fuisti placidus, tranquillus, innocens; tu igitur ex mitissimo philosopho acerrimus bellator factus Arabibus et Parthis, invictis gentibus, militiam paras et catenas; tu igitur alter Achilles ignoti cuiusdam principis filiam servam, filium pocillatorem reduces. Sic continuatur iocosa irrisio, amabilis superlatio. Post *catenas* interrogandi signum rectius ponitur: admirationi enim, non affirmationi hic locus est. Sic totum carmen ex interrogationibus compositum est. — *Sabaeae*] populus Arabiae felicis, cuius caput Saba. — *ex aula*] regia; vide Liv. XLV, 6. — *sagittas tendere*] paulo audacius dictum, cum arcus proprie tendatur; a qua tamen audacia ne epicus quidem Virgilius abhorruit Aen. V, 808. Imitatus est Claudian. in nupt. Hor. et Mar. Fescenn. Alc. 2: »Parthis sagittas tendere certior.« Seres autem ut omnes orientales gentes nobiles erant sagittarii. — *arcu paterno*] vide Carm. II, 13, 17.

V. 10. *arduis pronos*] Pronum cum sit quod per declive decurrit (Virg. Georg. I, 203) hac ipsa oxymori oppositione egregie ostenditur, nihil magis inter se contrarium esse quam *arduos montes* et *pronos rivos*. — *et Tiberim*] amplificatio per exemplum; vide ad Carm. I, 3, 19. — *coëmptos undique*] Significatur his verbis magnum quo olim Iccius ardebat studium philosophiae. Neque inconsulto Stoici Panaetii mentio facta est, quippe qui nihil expetendum docuerit nisi honestum; ut sic quoque mutatus Iccii animus prodatur. — *Panaeti*] vide ad Carm. I, 2, 26. Lachm. ad Lucret. p. 327: »Substantivorum Graecorum genitivos in vocalem *i* simplicem exeuntes nonnulli probarunt, ita tamen, si ante eam plures morae essent, non una tantum. Horatius ad hunc modum dixit *Libros Panaeti* et *Dionysi filius* (Sat. I, 6, 38).« De Pa-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mutare loricis Hiberis
Pollicitus meliora tendis?

Carmen XXX.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.
Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

naetio Rhodio, Stoicorum principe, Scipioni Africano minori et Laelio familiarissimo vide Cicer. de off. III, 2. — *nobilis Panaeti*] Sic etiam Meinek. Haupt. Keller. Alii *nobiles*, in quod facile potuit aberrari, cum utrumque *nobilis* scriberetur. Verum Horatii consilium et manum videmus in verborum locis et ordine, quibus primum et tertium (*coëmptos — libros*), alterum et quartum vocabulum (*nobilis — Panaeti*) coniungenda esse ostenditur. — *Socraticam domum*] Socraticos philosophos, Platonem, Xenophontem, alios. De *et* particula enclitica vide ad Carm. I, 2, 9. — *Hiberis*] ex ferro optimo, Hispano, confectis. — *pollicitus meliora*] Haec quoque verbis severa, re iocosa sunt.

Carmen XXX.

Glycerae puellae Veneri sacra facienti Horatius quasi opitulatur; evocat deam ex solitis sedibus in aedem Glycerae; unde sequitur, ut ipse Glycerae optet pulchritudinem eaque omnia quae pulchritudinem sequuntur, augent, conservant. — De Glycera vide ad Carm. I, 19, neque temere coniicias, eodem fere quo illud tempore hoc quoque scriptum esse.

Cnidi] Pausan. Att. I, 1, 3: »*Κνίδιοι τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα.*« — *Paphi*] cf. Hom. Od. VIII, 362 sq. — *thure*] Veneri enim floribus et thure sacrificabatur. cf. ad Carm. I, 19, 14. Claudian. I in Prob. et Olybr. cons. 195: »sacro thure vocatam Iunonem.« — *aedem*] Cui minus placet, *aedem* sing. num. pro tota domo accipi, id quod rarissime invenitur, is partem domus, ut atrium, intelligat; proprium Veneris sacrarium minus convenire videtur cum eiusmodi puellae condicione. — *decoram*] floribus. — *solutis zonis*] discinctae. cf. Carm. IV, 7, 5 sq. III, 19, 16 sq. — *properentque*] De transpositione particulae *que* vide ad Carm. II, 7, 25. — *Iuventas*] Haec iuventae dea Iovis et Iunonis filia dicitur, a Graecis Hebe appellata. cf. Carm. II, 11, 5. — *Mercuriusque*] Plutarch. Coniug. Praec. Prooem.: »*οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας, ἵνα πείθοντες διαπράττωνται παρ' ἀλλήλων ἃ βούλονται, μὴ μαχόμενοι μηδὲ φιλονεικοῦντες.*« Vide ad Carm. I, 10.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces,
Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,
Non rura quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Carmen XXXI.

Caesar Octavianus cum victoria ad Actium promontorium reportata unus imperium teneret maximeque id ageret, ut otium et rectum statum terris restitueret, non placandos solum animos esse vidit, sed quo certius licentiae et libidini obviam iretur, imbuendos etiam prisca pietate et timore deorum. Itaque templa antiquitate et incendiis collapsa renovavit et nova exstruxit. Iam cum Apollinis templum in Palatio a. 726 dedicaretur, praeter publica vota multa a multis etiam privatis immodice et intemperanter dicta videntur. Quare Horatius quoque ad Apollinem quasi accedens hoc carmine quid ipse a deo petat ita exponit, ut de summis bonis deque iis quae sola recte sint expetenda quid sentiat diserte et simpliciter simul profiteatur. Summa igitur carminis sententia haec est: Non in magnis divitiis quaerendum est summum bonum, sed in sanitate corporis et animi, qua non concupiscimus plura sed fruimur iis quae adsunt. Iuv. Sat. X, 356: »Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.« Theogn. 129 sq. (Welck.): »*Οὐκ ἔραμαι πλουτεῖν οὐδ' εὔχομαι, ἀλλά μοι εἴη Ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων, μηδὲν ἔχοντι κακόν.*«

V. 1. *dedicatum Apollinem*] Latine non solum dicitur *aedem deo dedicare*, sed etiam *deum aede dedicare* vel absolute *deum dedicare*. Ovid. Fast. VI, 637: »Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia.« Liv. V, 52. — *novum liquorem*] Novum vinum solebant veteres adhibere in libationibus. cf. Carm. I, 19, 15. Epod. 2, 47. Carm. III, 23, 3. — *segetes feraces*] Significat *seges* terram segetibus accipiendis destinatam et aptam, ut Epist. II, 2, 161. Virg. Georg. I, 47. Cicer. de senect. 15. Quare nihil est cur optimorum codicum auctoritate neglecta cum aliis scribamus: *opimas — feracis. — opimae Sardiniae*] cf. Carm. I, 7, 11. II, 12, 22. De Sardinia cf. Liv. XXIX, 36: »Cn. Octavius propraetor ex *Sardinia* ingentem vim frumenti advexit.« Valer. Max. VII, 6, 1: »Siciliamque et Sardiniam, benignissimas urbis nostrae nutrices, dimisit.« Strab. V, 2. 7: »*Ἔστι δὲ αὐτῆς τὸ πολὺ μέρος τραχὺ καὶ οὐκ εἰρηναῖον, πολὺ δὲ καὶ χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς πᾶσι, σίτῳ δὲ καὶ διαφερόντως.*« Claudian. de bell. Gildon. 508: »Sardoam veteres dixere coloni; dives ager frugum.« — *Calabriae armenta*] cf. Carm. II, 6, 10. Epod. 1, 27. *Grata* sunt armenta propter speciem et nitorem. Non opus est coniecturis *Peerlkamp.* Graia, *Meinek.* lata, *Scheib.* et *Urlichs.* prata Calabriae aut, *Paldam.* laeta. — *mordet*] Exquisita translatione flumina ripas *mordere, lambere, rodere, stringere, lavere, terere* dicuntur, quoniam aquis praeterlabentibus terrae aliquid semper demitur. cf. Carm. I, 22, 8. II, 3, 18 Virg. Aen. VIII, 63. — *taciturnus amnis*] Silius Ital. Pun. IV, 348: »Et Liris, qui forte quieto Dissimulat cursum ac nullo mutabilis imbri Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.« Ibi erat ager Sinuessanus et Falernus, ibi etiam mons Massicus, vinorum fertilis regio.

Δημοσιο Κεντρικη Βιβλιοθηκη Βεροιας

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem; dives et aureis
Mercator exsiccet cululis
Vina Syra reparata merce,

Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea levesque malvae.

Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones et precor integra
Cum mente nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

V. 9. *Premant vitem*] Commatis interpungendum in hac sententia non est; accusativus enim *vitem* non magis *premant* verbum sequitur quam *dedit*. Sic cum scriberent veteres, exili et molesto pronomine *eam* abstinere potuerunt. Vide ad Carm. I, 3, 6. *Premere* autem vitem est putare vitem, nimiam pampinorum luxuriem falce putatoria compescere. cf. Virg. Georg. I, 157. Ovid. Met. XIV, 628. *Calena* adiectivum per enallagen satis frequentem a vite et vino ad falcem translatum est, ut Carm. I, 20, 9. III, 16, 34. — *dives et*] vide ad Carm. I, 2, 9. — *exsiccet*] ebibat. cf. Carm. I, 35, 27. Sat. II, 6, 68. — *cululis*] »Calices fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utebantur.« Acro. Tum de divitum grandioribus poculis. cf. A. P. 434. — *Syra merce*] aromatis, unguentis e Syria advectis. cf. Carm. II, 11, 16. II, 7, 8. III, 29, 60. — *reparata*] Sumptum hoc verbum ex sermone mercatorum merces pecuniae loco permutantium (umtauschen); rarissimum vocabulum. — *dis carus*] Argumentum hoc a consequentibus sumptum non per invidiam sed per gravem aliquam ironiam adiunctum est.

V. 15. *pascunt*] Sic codd.; *pascant* ex uno cod. *Faber* et *Bentl.*, non bene, nam Horat. hic frugalitatem suae vitae cum divitum luxuria comparat; quae ipse optat, deinde adduntur. — *levesque malvae*] facile concoquendae. Epod. 2, 58. — *Latoë*] graece *Λητῶος*, *Λατῶος*. cf. Carm. I, 1, 34. — *et valido mihi*] Respondent inter se *et valido, et integra cum mente*, utrumque tamen referendum ad infinitivum *frui*. Dativus *valido* per attractionem Graecis magis usitatam ab infinitivo relatus est ad pron. *mihi*. Duae igitur voti Horatiani partes sunt: *dones* precor et valido mihi et integra cum mente paratis *frui*, tum *dones degere* senectam nec turpem nec cithara carentem. Hunc ordinem verborum ipse Horatius indicavit artificiose positis particulis *et, et, nec, nec*. Male igitur etiam in bonis codd. vel *ac precor* (Peerlkamp. Haupt.) vel *at precor* (Ritter, Keller.). — *cithara carentem*] cf. Theogn. 789 »*Μὴ ποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη Ἀντ' ἀρετῆς σοφίης τ', ἀλλὰ τόδ' αἰὲν ἔχων Τερπόλιμην φόρμιγγι καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ, Καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον.*«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

CARMEN XXXII.

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures, age dic Latinum
Barbite carmen.

Lesbio primum modulate civi
Qui ferox bello tamen inter arma
Sive iactatam religarat udo
Littore navim.

Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat

Carmen XXXII.

Cum magnum aliquid in republica accidisset, videtur Horatius ab amicis rogatus esse, ut carmine aliquo graviore illud quod dignum omnibus summo honore videretur ad aeternam memoriam consecraret. Ille autem qui magnis rebus digne canendis imparem se haberet (in quam rem bene comparatur Carm. I, 6), hoc parvo sed suavissimo carmine respondit. Ostendit igitur, qualis sua sit poesis, qualis ipse poeta, quid sibi valeant carmina: lyrica se Graecorum poetarum genera ad Latinas litteras transferre, imitari se Alcaeum qui inter bella et negotia et labores amorem cecinerit et vinum, sua omnia levia esse et ludicra, nondum se accedere ad serias res vel describendas vel docendas, poesim sibi esse comitem vitae et consolatricem in laboribus. Quas sententias cum composueris, contineri hoc carmine senties egregiam laudationem poesis lyricae; quae quo anno scripta sit non facile invenies. Oeconomia carminis haec est: prima stropha occasione canendi leviter significata genus poesis, altera et tertia argumenta, quarta laudationem habet finemque quem poeta sequatur ostendit. Ceterum hoc suave est, quod Horatius dum videtur parare tantum carmen, elegantissimum iam confecit.

V. 1. *Poscimur*] sc. carmen vel carmina. cf. Ovid. Fast. IV, 721: »Palilia poscor.« Met. V, 333. IV, 274. Bentleius ex codd. *poscimus*. — *si quid lusimus*] *Si* particula in obtestationibus sollennis, ut Carm. III, 18, 5. C. S. 37. Sat. II, 6, 13. — *vacui*] otiosi, aliis rebus non occupati. cf. Virg. Georg. III, 3. — *sub umbra*] cf. Epist. II, 2, 77 sq. — *quod et hunc*] Haec noli producere ad *Latinum carmen*: simplicior ratio etiam verior. Arrogantiae criminatio nulla est. — *dic Latinum barbite carmen*] Consulto usus est Horatius graeco vocabulo *barbitos*; quo cum graeca suae poesis natura prodatur, certamen aliquod exoritur inter nomina *Latinum* et *barbite* et ipse Romanae fidicen lyrae (Carm. IV, 3, 23) ostenditur. Neque aliter positum est graecum vocabulum Carm. I, 1, 34. III, 26, 4. — *Lesbio civi*] Alcaeo, qui floruit circa a. 600 a. Chr. n. Vide ad Carm. II, 13, 27. — *modulate*] passive dictum, ut contraria vox *immodulatus* A. P. 263, ex quo loco vides simul, modulari poetas proprie carmina, deinde etiam lyram, hoc est ita moderari lyram, ut sonos certis modis temperatos reddat. — *ferox bello*] Dimicavit Alcaeus contra Athenienses et patriae suae tyrannos, Myrsilum et Pittacum. De adiectivo *ferox* ad rationem participiorum posito vide ad Carm. I, 6, 19.

V. 10. *puerum*] cf. Carm. I, 30, 5. — *illi haerentem*] Triplici ratione *haerere* verbum coniungitur apud

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

Carmen XXXIII.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae neu miserabiles

Horatium, vel cum dativo, Sat. I, 10, 49, vel cum ablativo et praepositione *in*, Sat. I, 3, 32 vel cum solo ablativo, Carm. I, 2, 9. Sat. II, 3, 205. — *Lycum*] pueri amati nomen; de re cf. Cic. Tusc. IV, 33. — *nigris oculis nigroque crine*] Antiquis niger oculorum et capillorum color pulchritudinem formae augere visus est: cf. Epist. I, 7, 26 A. P. 37. — *dapibus supr. Iovis*] vide Hom. Il I, 603. — *cunque*] H. l. cum non habeat relativum ad quod referatur, sententiae necessitate cum participio *vocanti* coniungitur. Significat autem aut *quoquo tempore* aut *omnino*. Scholiastae: *quotiescunque te vocarero*. Contra Lachmann. ad Lucret. p. 288: »*Cumque* nisi cum relativis coniunctum lingua Latina non agnoscit: neque Horatius potuit dicere *mihi cunque salve* (volunt enim hoc esse »salve quotiens de advoco«: at cur lyra alias ei non salveat?), sed scripsit *o laborum dulce lenimen medicumque salve.*« Bentleius *cuique*, Peerlkamp. *tuque*. Sed in his coniecturis non certior salus inest, quam in *Ritteri* conatu, qui *mihicunque* ausus est coniungere, ut sit: mihi, quicunque sum h. e. cuiuscunque pretii sum.

Carmen XXXIII.

Caput carminis, quo Albium Tibullum, dulcissimum elegiarum poetam, de perfidia Glycerae Horatius consolatur, conspicitur vv. 10—12, quibus Veneris crudeli saepe ioco homines forma et animo diversos amoris vinculo coniungi ostenditur. Compositio carminis elegantissima est. Ex quattuor strophis prima Tibullum revocat a nimio luctu et querimonia de perfidia Glycerae; mediae et tribus inter se copulatis exemplis amore non semper gigni amorem demonstrant et continent universam illam de iocosa saevitia Veneris sententiam. cf. ad Carm. I. 28, 16. Quarta denique stropha suam rem et condicionem admodum similem Horatius blande componit consolationisque causa tacite oblata initium cum fine egregie coniungit. — Albius Tibullus — nam praenomen ignoratur — nec quo anno natus sit constat nec quo mortuus; probabili tamen coniectura id effecerunt viri docti, ut ab anno 695 ad annum 736 u. c. vixisse eum credatur. Glycera autem quae fuerit nescimus, quamquam multi fuerunt qui propter eandem syllabarum quantitatem Nemesim esse eam putarent, de qua ex Tibulli carminibus tria sunt in libro secundo, eleg. 3. 4. 6; alii negarunt. De anno huius carminis natali nihil potest certi affimari, suspicantur tamen scriptum esse intra annos 728—730.

V. 1. *plus nimio*] Propter caesuram rectius haec cum *memor* adi. coniunguntur quam cum verbo *doleas*. Tribus utitur Horatius formulis cum rem aliquam modum excedere indicat: *plus nimio* Carm. I, 18, 15. Epist. I, 10, 30; *plus aequo*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Apulis
Iungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.
Ipsum me melior cum peteret Venus
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

Carmen XXXIV.

Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae

Sat. I, 3, 52. Epist. I, 2, 29. I, 18, 10; *plus iusto* Carm. III, 7, 24. — *immitis Glycerae*] Γλυκερά a dulcedine dicta; adiectivo igitur *immitis* gratum aliquod oxymoron efficitur. — *cur*] idem fere in tali sententiarum coniunctione quod *propterea quod*. Similis particulae *cur* usus est apud verba *mirari, irasci*, similia, ut Epist. I, 8, 10. Cicer. ad Attic. III, 9: »quod me accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere.« — *tenui fronte*] cf. Epist. I, 7, 26. Becker. Charicles T. II. p. 392: »Bei Weitem in den meisten Fällen sieht man das lange, reiche Haar weder geflochten noch in künstliche Locken gedreht, sondern, wenn nicht anderer Kopfschmuck hinzukömmt, nach hinten oder auch selbst über dem Scheitel in einen Bündel oder Knoten zusammengefasst und gebunden. Dabei reicht gewöhnlich das Haar tief über die Stirne herab, da ein schmaler Stirnbogen für schön galt.« — *declinat*] a Lycoride ad Pholoën. vide ad Carm. I, 1, 13. — *capreae lupis*] ἀδύνατον; alia exempla Carm. I, 29, 10. Epod. 16, 27 sqq. — *peccet*] de amoribus; cf. Carm. I, 27, 17. Sat. I, 2, 63. — *iuga aënea*] firmissima. Carm. III, 9, 18. — *melior Venus*] cum ego ipse ab elegantiore et commodiore puella ultro peterer, Myrtalae tamen iracundae libenter serviebam. — *compede*] cf. Carm. IV, 11, 24. — *Hadriae*] Carm. III, 9, 23.

Carmen XXXIV.

Horatius quamquam nulli philosophorum sectae omnino addictus erat (Epist. I, 1, 14) multa tamen ex Epicureorum disciplina, quae ad hilaritatem vitae maxime pertinerent, in suum sibi usum sumpserat. Inde

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens

illud est quod Sat. I. 5, 101 sqq. legitur; quibus versibus, scilicet ne deorum hilaris vita regendo et administrando mundo turbetur, omnis deorum de humano genere deque iis quae fieri videmus in rerum natura cura aut providentia tollitur. A qua sententia virili aetate reversus, cum divinam mentem et in rerum natura et in humani generis fatis conspicuam et apertam intellexisset, necessitatem publice etiam retractandae opinionis sibi impositam ratus hoc carmine professus est, providentiam divinam non demonstrari quidem placitis philosophicis sed manifestam esse omnibus, quibus mentis natura et acies libera sit ac non occaecata falsis humanae sapientiae doctrinis. Quare redire se ait ad primos sensus naturae humano pectori insitos, relinquere se ieiunam ac frigidam sapientiam perverso acumine procreatam (stroph. 1); nam meliora doctum videre se divinam manum potentem ac valentem in rerum natura, omnia etiam quae maxime videantur aliena inter se coniungentem (str. 2. 3), agnoscere se deorum potestatem ac voluntatem in contrariis et insperatis hominum fatis ac vicissitudinibus (str. 4). Poetam autem decet non abstractas quas vocant sententias proponere, sed exemplis propius animos hominum tangentibus et ex quotidiana vita petitis rem illustrare; sic intelligendus per purum tonans Diespiter, sic apex, regum in Asia ornamentum. Quo ornamento temporis simul notitiam adipiscimur; est enim veri simile, Teridatem significari a Phraate redeunte expulsum. Quod si recte intelligitur, liquet carmen scriptum esse eo tempore quo inter Teridatem et Phraatem bellum Romae quasi fabula fuit; cf. ad Carm. I, 26. II, 2. De qua levi Teridatis significatione non possum non apponere Buttmanni verba Mythol. T. I. p. 321: »Mit einer Zeitungsnachricht, wenn ich so sagen darf, zur Bestätigung eines Gemeinplatzes, beschlösse sich eine erhabene Ode von nur sechszehn Zeilen nach meiner Empfindung schlecht. Aber in ausgesuchten Worten allgemein gelassen, entspricht der Gedanke der Würde des Ganzen, während eine ernste Anspielung, so leicht angebracht, durch die Wahl eines einzigen Wortes, zu einer Zeit, wo jenes Ereigniss wahrscheinlich die allgemeine Aufmerksamkeit beschäftigte, nicht anders als einen höchst wohlgefälligen Eindruck machen konnte.« Legatur *Lessingius* Opp. ed. Lachm. IV. p. 34.

V. 2. *Insanientis sapientiae*] Oxymoron; simillimum praeter multa alia est Epist. I, 12, 19. cf. Eurip. Heracl. 905: »οὐ χρή ποτε τόδ' ἀφελέσθαι, τιμᾶν θεούς· ὁ δὲ μὴ φάσκων ἐγγὺς μανιῶν ἑλαύνει.« id. Bacch. 385: »Ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία. Ὁ δὲ τᾶς ἡσυχίας βίοτος καὶ τὸ φρονεῖν ἀσάλευτον μένει καὶ συνέχει δῶμα· πρόσω γὰρ, ἀλλ' ὅμως αἰθέρα ναίοντες ὁρῶσιν τὰ βροτῶν Οὐρανίδαι. Τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία, τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν βραχὺς αἰών.« — *consultus*] nove dictum, ut Colum. XI, 1, 12 »universae disciplinae consultus.« — *cursus relictos*] Cum vulgo dicatur *relegere viam*, similia, Heinsius et Bentleius *relectos* contra codd. auctoritatem scribendum esse putarunt, atque explicat Bentleius *cursus relectos iterare* idem esse quod *relegendo iterare*. At poeta non hoc solum voluit dicere, sibi redeundum esse eadem via, qua sit progressus, sed etiam rectam et ad veram humanarum ac divinarum rerum intelligentiam unice perducentem viam, prave a se relictam, repetendam esse. — *Diespiter*] Varro ling. lat. V, 66 Müll.: »Antiquius Iovis nomen: nam olim Diiovis et Diespiter dictus, id est dies (genit. antiq.) pater.« —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,
Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Carmen XXXV.

O diva, gratum quae regis Antium,

per purum tonantes] coelo sereno cum tonat, quae contraria sunt coniunguntur; quare inter prodigia habebatur. cf. Virg. Georg. I, 487 sq. Aen. VIII, 527 sqq. Lucan. I, 533: »tacitum sine nubibus ullis Fulmen.« Senec. Thyest. 263: »tonat dies serenus.« — *volucremque currum*] celerem, ut Virg. Aen. X, 440. — De curru Iovis cf. Carm. I, 12, 58. — *bruta tellus*] Iovis magna potestas triplici ratione ostenditur, quod movet a) inanimatam naturam v. 9; b) inferos et imas regiones v. 10; c) extrema loca v. 11. Epitheta autem *bruta*, *vaga* eo consilio posita sunt, ut diversam harum rerum naturam illustrent; sentit vim Iovis terra immobilis, sentiunt etiam flumina perpetuo motu agitata. — *Taenari*] ubi antrum erat, per quod descendi ad Orcum posse antiqua fama tradebat. cf. Virg. Georg. IV, 467. — *invisi horrida*] Adiectivorum hac collatione circa caesuram, qua utriusque sonus et vis augetur, horror Orci ad animos legentium et audientium propius accedit. — *valet*] h. v. cum infinitivo coniunctum a poetis transiit in prosam orationem post Augusti aetatem. Ceterum cf. Tacit. Hist. IV, 47: »documenta mutabilis Fortunae summaque et ima miscentis.« cf. Archil. 1 (Mehlh.): »*Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα· πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν Ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί· Πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι καὶ μάλ' ἐὺ βεβηκότας Ὑπτίους κλίνουσ', ἔπειτα πολλὰ γίγνεται κακά.*« Hom. Od. II, 211. — *apicem*] cf. Carm. III, 21, 20. — *cum stridore acuto*] Fortuna enim alata est. cf. Carm. III, 29, 53. Semota imagine pertinent haec ad terrorem et tumultum, quem edere solent subitae rerum mutationes. Iam si quaeras qua tandem inter se ratione coniuncti sint Diespiter, deus, Fortuna: Diespiter est numen divinum rerum naturam administrans ex eaque intelligendum; deus v. 13 generalis et individua divina potestas, quae in Fortuna quid velit quid nolit declarat. — *sustulit*] vide ad Carm. I, 1, 4. — *gaudet*] quia arbitrio suo sic indulget. — *hic*] vide ad Epod. 2, 31.

Carmen XXXV.

In concipienda notione ac describenda potestate deorum non tota antiquitas unam eandemque rationem secuta est; eundem deum alium formarunt et cogitarunt Graeci, alium

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos,
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae

Romani, alium adeo aliae urbes. Ut Fortunam superiore carmine et III, 29, 49–54 Graecam magis, incertam et alatam habemus, sic hoc Fortunae Antiatis i. e. vere Latinae notio et imago Latinis coloribus describitur et celebratur. Haec enim Fortuna Antias non *Τύχη* est, non anceps dea, non arbitrio et libidine agit (cf. Carm. sup. v. 16), sed benigna est et benevola eademque potentissima. Quaecunque facit, quoscunque homines tollit aut deiicit, in iis necessitatem aliquam fixam et firmam sequitur, hominum bonis malisve facinoribus rerumque condicione sibi ipsi impositam. Cum benigna sit dea, in nummis Romanis altera manu gerit gubernaculum altera cornu Copiae (inde v. 5–8 ruris colonus et nauta); cum certas leges sequatur in distribuendis retrahendisque donis, apud Horatium (fortasse ex imagine quadam Antiana) *Necessitas* dea cum omni devinciendi et continendi apparatu eam praeit (v. 17 sqq.), sequuntur Spes et Fides (v. 21 sq.). Hanc igitur Fortunam Horatius h. l. celebrat, occasionem fortasse nactus ab expeditionibus quas Octavianus a. 727 in Britanniam et Arabiam parabat (v. 29 sqq.). Rem sic instituit; prima enim stropha »tu, inquit, Fortuna potentissima es; quare omnes mortales te timent, pauperes et divites, nationes et civitates, barbari et Romani, ne rerum statum quo recte sibi videntur gaudere subita vi evertas (str. 2. 3. 4). Sed tu non libidine res regis hominum, sed sequeris immutabiles necessitatis et ipsarum rerum leges et eventus (str. 5); quamobrem Spes et Fides comitantur te et infelices, quorum domos Necessitate coacta moesto vultu et habitu relinquis (str. 6). Nam ab innocentibus perfidum solum vulgus et qui sua utilitate sola ducuntur cum tuis donis recedunt (str. 7). Tu igitur tutare Caesarem quaeque conatur adiuva; hoc enim nobis erepto dilaberemur iterum discordia, cuius non dici potest quantopere nos poeniteat. Gladios nostros nostro cruore infectos et profanatos novis tu auspiciis consecra inque iustos hostes converte (str. 8. 9. 10).« Illae expeditiones, primae quidem quae compositis bellis civilibus magnae parabantur, quid ad exstirpandam domesticorum motuum foedam memoriam valuerint extrema pars carminis ostendit; quare iis potissimum ut adsit Fortuna Antias, ex intimo animo Horatius petit.

V. 2. *praesens*] de diis usurpatum idem quod *potens* significat. Sic h. l. et Cicer. Tusc. I, 12, 28. Carm. III, 5, 2. Sat. II, 3, 68. Epist. II, 1, 134. — *mortale corpus*] hominem significat infimae sortis, qui nihil habet nisi corpus suum mortale. Peerlkamp. in edit. 2 suspicatus est *vulgus*. — *ambit*] Ab ambitu candidatorum sensim h. v. in quamcunque precandi et rogandi notionem dilatatum videtur. cf. Virg. Aen. IV 283. VII, 333. — *ruris colonus*] Coloni, non quivis agricolae vel rustici, prae aliis inopes; aut enim partiarii erant aut mercede agros colebant. cf. Sat. II, 2, 115. Carm. II, 14, 12. — *Bithyna*] propter frequentem Romanorum in Bithynis mercaturam, cf. Carm. III, 7, 3. 1, 1, 13. III, 6, 31. — *profugi*] Cui ita appellentur, discas ex Carm.

Αριστοτελειο Πανεπιστημιο Θεσσαλονικης

Urbesque gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,

Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet imperiumque frangat.

Te semper anteit saeva Necessitas
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

III, 24, 9 sq. — *et*] vide ad Carm. I, 7, 6.

V. 14. *Stare*] de aedificiis exstructis et perfectis, ut Ovid. Met. III, 131. XI, 205. Columna firmitatis signum est et dominationem firmissimam indicat. In antiquis monumentis Paci, Securitati, Felicitati columna additur. Iam quae insequuntur *neu pop. freq.* nihil novi addunt, sed Horatiano more eandem rem uberius collustrant. — *populus frequens*] non plurima pars populi, sed multitudo concitatorum hominum reliquos exagitantium ad armaque vocantium. Dein *ad arma* bis positum est in illustribus locis (i. e. in prima et extrema sede versus), ut repetitum ac terribilem clamorem ipsi ad tumultum quasi admissi audiamus, cf. Ovid. Met. XII, 241. XI, 377 sq.

V. 17. *saeva*] Pro vulgata haec scriptura multi et antiquissimi codices praebent *serva*, quod cum et antiquissimorum codicum adnotationibus et scholiastarum auctoritate commendetur, fortasse praestat alteri. Quamquam comparari debet χραιτὴ ἀνάγκη (Hom. Od. X, 273) et *dεινὴ* et apud Horat. III, 24, 6 *diva necessitas*. Ceterum Lambinus: »intelligendum est, haec fuisse Antii in tabula depicta, quae nunc Horatius nobis pulcherrimis versibus expressa proponit.« Fuit etiam, qui de pompa sollemni cogitaret, in qua statuae Necessitatis, Fortunae, Spei et Fidei portarentur, ita ut Fortunam Necessitas praeiret, Spes Fidesque sequerentur. — *clavos trabales*] Hi et reliqua, quae Necessitati tribuuntur, exprimunt firmitatem ac stabilitatem. cf. Carm. III, 24, 7. Nam in proverbium etiam transiit *clavo trabali figere aliquid*, quo certissimum aliquid esse indicaretur. cf. Cic. Verr. II, 5, 21: »Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, clavo trabali figeret.« In monumentis etiam *clavi* Fortunae Antiati tribuuntur. Uncis autem ferreis (ideo severis) lapides firmissime continentur, praesertim cum *liquatum* iis *plumbum* circumfundatur. Multi hunc Horatii locum vituperarunt (veluti *Lessingius* Laocoon, Opp. ed. Lachm. VI. p. 143) propter nimiam rerum attributarum copiam oculos magis quam aures moventium. *Herder* Krit. Wälder. Werke zur schön. Lit. u. Kunst. XIII. p. 139 sqq. Horatium non minus reprehendit. — *albo panno*] candoris et innocentiae signum. Serv. ad Virg. Aen. I, 292: »ei (Fidei) *albo panno* involuta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam.« cf. Liv. I, 21. Hinc pannum a sacrificantibus ad ipsam deam poeta transtulit. — *abnegat*] sc. se, ut Ovid. A. A. I, 127: »Si qua repugnarat nimium comitemque negarat (se).« Ceterum poeticum hoc vocabulum post Augusti demum aetatem ad prosam orationem transiit. cf. Ovid. ex Pont. I, 9, 15: »Adfuit ille mihi, cum pars me magna re-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum et meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.
Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu deorum continuit? quibus

liquit, Maxime, Fortunae nec fuit ille comes.« — *utcunque*] vide ad Carm. II, 17, 11. — *mutata veste*] mutare vestem, i. e. togam sordidam induere solebant Romani ad significandam aliquam calamitatem et luctum; unde *sordidati* rei erant. Locus difficilis, quem *Peerlkamp.* in edit. 2 sic mutare conatus est: »Te Spes et albo *cana* Fides colit *Velatam amictu*: *sed* comitem abnegat.« Etenim *pannum* dicit non usurpari nisi de trito aut vili vestitu; sed cf. A. P. 15 sq. Est potius particula vestis ad velandam dextram. Servius ad Aen. I, 292: »ei (Fidei) albo panno involuta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam; unde Horatius *»Et albo rara fides colitur velataque panno.«* Horatii verba ex memoria adscripta ideoque paululum mutata sunt, ita tamen, ut vulgata lectio inde probetur. Excidit Servio hexameter.

V. 25. Quod in superiore stropha tacite factum est, id his versibus aperte proditur: confudit enim H ratius ipsam deam cum statu hor nis cum adversa fortuna conflicta tis, qua re aliorum magnam laude aliorum gravem castigationem n ruit. Quam duplicem quasi qua dam imaginem, Deae Fortunae fortunae humanae, nisi admittis, d ficillimus locus intelligi nequit. re compara Ovid. Trist. I, 5, »Scilicet ut fulvum spectatur ignibus aurum, Tempore sic du est inspicienda fides. Dum iuvat vultu ridet Fortuna sereno, Inde batas cuncta sequuntur opes. simul intonuit, fugiunt, nec nosci ulli, Agminibus comitum qui mo cinctus erat.« — *siccatis*] vide Carm. I, 31, 11. — *amici dol* de quibus egregium graecum p verbium: »ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία.« *quid nos*] gravis interrogationum mulus; cf. Carm. II, 1, 29—36. re compara Carminis III, 6 prim et ultimam stropham. — *aetas*] W ad Tacit. Agric. c. 1 *»aetas, γε* et poetis frequentatum nec Cicer

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

Carmen XXXVI.

Et thure et fidibus iuvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota.

inusitatum. Brut. 9, 36. de orat. I, 10, 40. 37, 171.« — *diffingas*] aliter ac prius fuerat formes; rarissimum vocabulum. cf. Carm. III, 29, 47. — *nova incude*] non ea qua olim ad bella civilia procusum erat.

Carmen XXXVI.

Acron: »In honorem *Pomponii Numidae* hanc oden scribit, pro cuius salute ex *Hispania* reversi vota persolvit.« Is igitur *Hesperiam*(v. 4) in Hispania invenit; quod si rectum est, carmen pertinet ad a. 730, quo Augustus ex Hispanico bello rediit. *Porphyrion*: »Hanc oden scribit in honorem Pomponii nomine Numidae, pro cuius salute reversi ex *Mauretania* vota solvere aequum esse dicit.« Quae si recte statuuntur, cum Rittero carmen referri potest ad a. 718, nam a. 716 »in Mauretania turbatum erat.« Potest autem *Mauretania* ex ipso nomine *Numidae* esse sumpta; quamquam negari non potest, Hispaniam nusquam apertis verbis Hesperiam appellari; in Africa sunt Hesperidum horti et Hesperidum promontorium. Et natura carminis iuvenilem magis quam virilem poetae aetatem prodit. De Aelio Lamia vide ad Carm. I, 26; Damalis libertinae nomen. Similis argumenti est Carm. II, 7; simile etiam Carm. III, 14 de reverso Augusto; in hoc tamen diversus color, maior licentia, effrenatius gaudium.

V. 2. *placare*] Dii etiam si non sunt irati *placantur*, nimirum ne irascantur, si non persolvantur sacrificia debita. Carm. III, 23, 3. Sat. II, 3, 206. Epist. I, 16, 58. A. P. 210. — *non alio rege*] Quid hoc sit, videbis ex Epist. I, 1, 59. — *puertiae*] De syncope vide ad Carm. II, 2, 2. — *mutat. sim. togae*] Cum essent aequales, eodem tempore togam virilem sumpserunt; quod post annum decimum quintum fieri solebat. — *Cressa nota*] i. e. alba; creta ex Cimolo, parva insula prope Cretam sita, Romam advehebatur. Solebant laetos dies albis, tristes nigris calculis notare; inde dicitur dies candidiore nota, meliore lapillo, candi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Neu promptae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum,
Neu multi Damalis meri
Bassum Threïcia vincat amystide,
Neu desint epulis rosae
Neu vivax apium neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos, nec Damalis novo
Divelletur adultero
Lascivis hederis ambitiosior.

Carmen XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus

dissimo calculo, lactea gemma, similia. — *promptae amphorae*] Carm. III, 21, 8. I, 37, 5. — *morem in Salium*] Salii Martis sacerdotes certis anni temporibus cum tripudiis et sollennibus saltibus carmina cantabant. cf. IV, 1, 28. Liv. I, 20. Tibure etiam Salii erant Herculis sacerdotes. cf. Virg. Aen. VIII, 285. *Salium* adiectivum esse videtur, non genit. plur. pro *Saliorum*; nominantur enim *Saliae* etiam virgines. — *multi Damalis meri*] Ex eiusmodi locis intelligitur, quam late patuerit genitivi, quem qualitatis grammatici vocant, apud Romanos usus, neque apud poetas solum sed etiam apud Ciceronem ad Fam. IX, 26: »homo non multi cibi sed multi ioci.« Ovid. Met. XIV, 252. — *Bassum*] Quis fuerit Bassus nescimus; natura autem loci fert, ut eum in talibus compotationibus modestum fuisse credamus et abstinentem. — *amystide*] ἄμυστις. συνεχὴς πόσις, ἀπὸ τοῦ ἀμυστὶ πίνειν. cf. Callim. fr. 11: »Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν ἄμυστιν Ζωροποτεῖν· ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.« Ceterum acute Peerlkampius: »Haec melius alio ordine legentur: Neu desint epulis rosae, Neu vivax apium neu breve lilium; neu multi Damalis meri sq. Mallem etiam, quod in nonnullis libris exstat *Nec multi* cett., idque aliter, quam vulgo fit, interpretor, nempe: et Damalis, quae non multi meri est, nunc propter laetitiam Bassum vincat. Ita Damalis laudatur. Neque video, cur tam strenua potatrix adeo ab omnibus peteretur.« Thraces autem homines vinolenti. cf. Carm. I, 27, 2. — *rosae*] vide ad Carm. II, 3, 13. In insequentibus autem *vivax* et *breve* adiectiva nihil volunt aliud nisi ut grata quaedam florum oppositio efficiatur. — *putres*] molles. — *deponent*] in illa intuenda immobiles manebunt. Unde sumptum sit vocabulum, videbis ex loco Ciceronis de off. III, 25, 6. 7. — *ambitiosior*] Epod. 15, 5; vocabulum h. l. primam amplectendi significationem retinuit. cf. Claudian. in nupt. Honor. et Mar. Fescenn. 4, 18: »Tam iunctis manibus nectite vincula Quam frondens hedera stringitur aesculus, Quam lento premitur palmite populus.«

Carmen XXXVII.

Cum a. u. c. 724 mense Septembri a M. Tullio Cicerone, oratoris filio, nuntius Romam perlatus esset

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens

de capta Alexandria deque voluntaria Antonii et Cleopatrae morte, Horatius hoc carmine ad privatam et publicam laetitiam Romanos evocavit. Exordium carminis ab Alcaeo sumptum esse aperte ostendit hoc de Myrsili, Lesbi tyranni, morte fragmentum (p. 268 Schneidewin.):

Νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν
Πίνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.

Quod quidem exordium ita cohaeret cum reliqua parte carminis, ut, gaudendum esse cum dictum sit, toto deinde carmine cur sit exponatur. Unde miro modo factum est, ut transitione ab exordio ad tractationem rei facta uno tenore sententia ad finem decurrat. Gaudendum igitur est, inquit, privatim et publice, cum infestissima Romano nomini adversaria mortem sibi ipsa conscierit, exitium ac perniciem minata imperio Romano, Caesaris tamen armis et fortuna devicta (stroph. 2. 3. 4). Quae quam magna fuerit quamque timenda, morte etiam comprobavit (str. 6. 7. 8). Ex quo vides, duplicem esse laetitiae de Cleopatrae morte causam, alteram in odio positam quo illa in Romanos fuerit accensa, alteram in magnitudine animi, quo nisi a maiore esset victa, satisfacere ea potuisset odio. Sic ultro efficitur Cleopatrae et Octaviani comparatio duabus imaginibus in medio carmine (str. 5, nam prima stropha ab hac partitione separanda est) collocatis. Propter negligentiam caesurae v. 5. 14 et synaloephen v. 5 inter prima carmina hoc referendum esse non pauci putant. Ego non consentio, quamquam alia etiam insunt quae laudem non mereantur. Cf. Epod. 9.

V. 1. *bibendum*] Potatio et saltatio referendae sunt ad privatam laetitiam, reliqua ad publicam. Ad supplicationes et lectisternia sodales evocare non potuit privatus homo; quare non scripsit *tempus est*, sed *tempus erat*, quibus verbis poeta publicam laetitiam comprobat. — *Saliaribus*] Saliorum dapes per sacros dies lautae esse solebant, inde etiam aliae quae opiparae erant Saliares appellabantur. Similiter Carm. II, 14, 28. — *Caecubum*] generosum vinum; ager est in Latio prope Fundos ad viam Appiam. — *dementes ruinas*] Enallage adiectivi neque ea improbanda, nam quae parantur ruinae a demente muliere, dementes poetica ratione appellantur. — *funus et*] vide ad Carm. I, 2, 9. — *contaminato cum grege*] turba hominum impurorum, foedorum. — *morbo*] est ipsa insana libido, qua animus simul et corpus corrumpitur et deformatur. Quare magna inest acerbitas in nomine *virorum*, cuius omnis vis ac dignitas epithetorum pravitate (*turp. morb.*) tollitur. cf. Tacit. Ann. XV, 37 »nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege denupsisset.« Peerlkamp. comparavit Vellei. Pat. II, 83, ubi Plancus »morbo proditor« appellatur. — *impotens*] impotens est qui libidine et cupiditate captus sibi ipse temperare nequit. — *fortuna dulci*] vide ad Carm. I, 16, 23.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sperare fortunaque dulci
Ebria: sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Caesar ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
Fatale monstrum; quae generosius
Perire quaerens nec muliebriter
Expavit ensem nec latentes
Classe cita reparavit oras;

V. 13. *furorem*] intemperantiam et arrogantiam, qua quidlibet sperare ausa erat. — *lymphatam Mareotico*] cf. Lucan. Phars. I, 495: »turba per urbem Praecipiti lymphata gradu.« Stat. Theb. X, 557: »incertis lymphatam horroribus urbem.« Claudian. in Eutrop. II, 45: »Tum vates sine more rapi, lymphataque passim Pectora terrifici stimulis ignescere Phoebi.« Tacit. Ann. I, 32: »repente *lymphati* destrictis gladiis in centuriones invadunt.« Ac bene Meinekius: »tantum enim abest, inquit, ut ebrietas vano timore impleat, ut spes iubeat esse ratas et ad proelia trudat inermem, ut est in Epist. I, 15, 17. Itaque lymphatam mentem de impotenti reginae fiducia intelligendam apparet, cui recte opponuntur *veri timores*, siquidem vana erat nimia animi fiducia.« At etiam Tacit. Hist. I, 82: »lymphatis caeco pavore animis.« *Mareotico* vino, quod dulce fuit et odoriferum, luxuriosae Antonii et Cleopatrae compotationes significantur. — *ab Italia volantem*] Id enim speraverat insana mulier, fore ut cum Antonio victore victam etiam Italiam suo arbitrio subiiceret. — *accipiter velut*] Hom. Il. XXII, 139. — *Haemoniae*] ab Haemone, antiquo rege, Thessali patre, Thessalia sic nominata. Meinekius coniecit scribendum esse *Paeoniae* vel *Emathiae*; etenim Haemoniam i. e. Thessaliam non nivalem, sed miti coelo subiectam esse; et comparat Ovid. Met. V, 313: »Paeonas nivosos.« Nihil est mutandum, ut ostendit Stat. Achill. I, 476 de Achille: »Quis enim *Haemoniis* sub vallibus alter Creverit effossa reptans *nive*?«

V. 21. *fatale monstrum, quae*] Cleopatra, ut apud Lucan. X, 59: »Dedecus Aegypti, Latii feralis Erinys.« Constructio autem est *πρὸς τὸ σημαινόμενον*, ut Cic. ad Fam. I, 9, 15 »illa furia muliebrium religionum, qui cet.« — *ensem*] Plut. Anton. 79: »*Θεασαμένη τὸν Προκλήϊον ὥρμησε μὲν αὐτὴν παίξαι· προσδραμὼν δὲ ταχὺ αὐτὴν ἐκώλυσεν.*« Sententia ipsa perspicua est; nam »Cleopatra, inquit, generosam mortem servituti ac dedecori praeferens neque ignavia, qua mulieres esse solent, quominus manum sibi inferret prohibita est, neque in remotas regiones fugiens vitam servare studuit.« Nam *latentes orae* sunt remotae. — *reparavit*] Orellius: »Alias sibi parare et assequi studuit regio-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ausa et iacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior,
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

CARMEN XXXVIII.

Persicos odi, puer, apparatus,
Displicent nexae philyra coronae:

nes pro illis, quas amittendas Caesarique relinquendas esse videbat, i. e. pro Aegypto.« Nihil igitur opus est coniecturis: *penetravit, peraravit, remeavit, recreavit, rapere ivit, clade iterare paravit, sollicitare paravit.* Post *oras* non potest poni punctum, absolutae sententiae signum; nam quae insequuntur *ausa* et *fortis* gravem efficiunt antithesin. Per participia et adiectiva participiorum ratione collocata ad finem continuatur oratio. — *asperas*] quae bene non tractantur, quas tractare periculosum est. cf. Carm. I, 23, 9. III, 2, 10. — *Liburnis*] Liburnae, parva et velocia navigia cf. Epod. 1, 1. — *privata deduci*] Nominativus cum infin. ad graecum morem positus est, ubi utrumque verbum *invidens* et *deduci* in eadem persona coniunguntur, Dicitur autem Cleopatra saepe dixisse: *οὐ θριαμβεύσομαι.* — *privata*] regia dignitate amissa.

Carmen XXXVIII.

Ut totum genus lyricum sic habitum carminum a Graecis haud raro adoptavit Horatius; inde huius carminis forma. Nam frequenter lyrici graeci pocillatores etiam alloquebantur, quibus quid sentirent quidve vellent exprimerent. Ex quo genere Anacreontica sunt in Mehlhornii anthologia lyrica tertium p. 52. octavum p. 54: »*Φέρ' ὕδωρ, φέρ' οἶνον, ὦ παῖ, Φέρε δ' ἀνθεμεῦντας ἡμιν Στεφάνους· ἔνεικον, ὡς μὴ Πρὸς Ἔρωτα πυκταλίζω*« Caput autem huius carminis hoc est: ad hilaritatem non opus esse magno apparatu, in conviviis quoque simplicitatem se praeferre splendori. — De tempore quo videatur carmen scriptum esse nihil potest investigari, nisi quod *sera rosa* clare indicatur posterior pars aestatis, qua rosae florere iam desinunt.

V. 1. *Persicos apparatus*] De Persarum luxuria vide Corn. Nepot. Pausan. 3. Xenophon. Cyrop. VIII, 8, 15—19. Herod. IX, 82. Nomen *apparatus* praeter h. l. non facile apud ullum poetam reperietur. — *philyra*] Plin. H. N. XVI, 14: »Inter corticem ac lignum (tiliae arboris) tenues tunicae multiplici membranula, e quibus vincula tiliae vocantur, tenuissimae earum *philyrae*, coronarum lemniscis celebres.« De his Becker Gall. T. II, p. 216: »An Denkmälern findet man häufig Kränze, wo Blatt über Blatt liegt oder Rose an Rose sitzt, und es ist wohl möglich, dass an solchen die Blätter oder Rosen auf ein Band oder einen Streifen Bast, philyra, geheftet waren: sie würden dann mit Recht sutiles heissen.« Ovid. Fast. V, 335 sqq.: »Tempora sutilibus cinguntur tota coronis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
Vite bibentem.

Et latet iniecta splendida mensa rosa: Ebrius incinctis philyra conviva capillis Saltat.« — *allabores*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *sedulus*] *Nihil allabores sedulus curo* dictum est pro *non curo quidquam sedulus allabores*, negatione, quae in *nihil* latet, ad verbum relata; *non curo* autem idem est quod *nolo*, cf. Carm. III, 5, 20. Episi. II, 2, 182. Bentleius ex coniect. »*sedulus cura*« (imperat.); Peerlkampius: »nihil allabores: *sedulum curae neque te*«; Horkelius: »*cur? o neque*«. — *ministrum*] nam pocillatores quoque sertis redimiebantur. — *arta vite*] umbrosa, densa.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER SECUNDUS.

Carmen I.

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos
Ludumque fortunae gravesque
Principum amicitias et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,

Carmen I.

C. Asinius Pollio a. u. c. 679 natus magnis ingenii animique virtutibus instructus civilibus bellis egregiam sibi belli pacisque gloriam paravit. Nam cum a. 714 consul esset creatus, pacem inter Antonium et Octavianum Brundusinam conciliavit, et insequenti anno victis Parthinis, Illyrica gente, triumphum impetravit. Deinde bello abstinuit omnemque laudem in litteris bonisque artibus quaesivit. Iam eloquentia civibus adfuit, civilium rerum peritia senatum adiuvit, tragoediis amicos delectavit. Primus Romae publicam bibliothecam et scriptorum privatas recitationes mutuaque amicorum iudicia instituit. Iam scimus scripsisse Asinium historiarum bellorum civilium libros XVII; ac videtur partem eius operis amicis recitasse. Inter quos cum adesset Horatius praestantia operis tantopere motus est, ut suum et de opere et de viro iudicium hoc carmine proderet. — Quo anno scriptum sit carmen, pro certo non potest affirmari; quamquam veri simillimum videtur, civilia bella composita quidem esse sed animis nondum reconciliatis ignem sub cineribus latuisse; itaque refertur ad a. u. c. 725.

V. 1. *Metello*] Q. Caecilio Metello Celere L. Afranio Coss. a. u. c. 694. — *civicum*] antiquior forma adiectivi et prope nobilior. cf. Carm. III. 24, 26. Epist. I, 3, 23. — *bellique*] Vv. 1—8 significantur origines rationesque bellorum civilium; particula *que* triplice tres efficiuntur partes, quae ipsae intercedentibus *et* particulis iterum dividuntur. Nam genitivus *belli* non ad causas magis quam ad *vitia* et *modos* referendus est, ut bellum unde ortum sit, quid sit in eo peccatum, et quomodo gestum versu secundo indicatum habeamus. Accedit *ludus Fortunae*, quo homines iactantur, neque sunt minoris momenti *principum amicitiae*, quae rempublicam quam iuvare debebant turbarunt ideoque *graves* appellantur. — *arma*] Haec quoque principum sunt, ita ut foedera eorum et arma aeque perniciosa fuisse dicantur. — *cruoribus*] plur. num. de

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne moestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae:
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.

magnitudine caedis. cf. Virg. Aen. IV, 687. — *aleae*] Animis nondum pacatis odium leviter tectum in scriptorem a partium studio non prorsus alienum facile incenditur. — *per ignes*] Per cineres facile erumpit incendium et comburit eum qui nimia fiducia per eos procedit. Summa igitur cautione opus est.

V. 9. cf. Sat. I, 10, 42. Virg. Buc. 8, 10. Suadet ut a tragoediis scribendis in scenamque committendis parumper vacare velit. — *publicas res*] cf. Cic. de orat. I, 11 »sine multa pertractatione omnium rerum publicarum.« — *ordinare*] est temporum et causarum rationibus componere. — *Cecropio cothurno*] Cothurnus tragoedorum, soccus comoedorum. Tota autem res scenica apud Athenienses originem cepit et incrementa. — *insigne*] Aptissimo loco et quasi sponte sua ad reliquas Pollionis laudes fertur; sunt autem petitae ex eloquentia, prudentia civili, bellica virtute. — *consulenti*] absolute positum, deliberanti. Liv XXI, 16. Virg. Aen. XI, 335. Senatorum est consulere; qui optime suadet, is consulentibus praesidio est. — *moe-*

dativo cf. Carm. I, 15, 21. — *Iam nunc*] Videtur Pollio ab initio operis descripsisse magnitudinem imperii Romani, splendidas Pompeii Caesarisque de exteris nationibus reportatas victorias, quibus totus orbis terrarum subiectus est praeter virtutem Romanam. Ea autem significatur atrocitate Catonis. Cuius nomine poetae animus facile fertur in Africam, cum praesertim maior quoque Cato Karthaginem delendam esse perpetuo olim censuisset. Verum aemula illa sublata ingentis imperii vires inter se discordes ad domestica bella ruebant. Haec igitur sunt, quae tribus strophis usque ad v. 28 exponuntur. Anaphora autem *iam nunc, iam, iam, iam* vegetam describendi rationem Pollionis collustrat ad magnamque expectationem movendam aptissima est. — *cornuum*] vide ad Carm. I, 1, 23. Pugnae interesse sibi videntur, qui Pollionem legentem audiunt. — *fugaces*] Equorum natura fugax est, neque ruerent ii in adversam aciem, nisi frenorum et calcarium vi pellerentur. — *vultus*] Compara quae de Pompeianis equitibus in

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.
Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges aut quae flumina lugubris

Plut. Caes. 45: »οἱ γὰρ ἡνείχοντο τῶν ὑσσῶν ἀναφερομένων οὐδ' ἐτόλμων ἐν ὀφθαλμοῖς τὸν αἴδηρον ὁρῶντες, ἀλλ' ἀπεστρέφοντο καὶ συνεκαλύπτοντο φειδόμενοι τῶν προσώπων.«

V. 21. *Audire*] Non concionantes quidem, sed inter pugnandum clamantes, se suosque milites ad fortiter pugnandum stimulantes, hostem provocantes. — *non indecoro*] vide ad Carm. I, 1, 19. — *cuncta terrarum*] cf. Carm. IV, 12, 19. Tacit. Hist. V, 10 »cuncta camporum.« De re Vellei. II, 56 »Caesar omnium victor regressus in urbem quinque egit triumphos, Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africum, Hispaniensem.« Haec quoque bene referuntur ad verbum *audire*; nam victorias quoque legentem Pollionem poeta audivit. Quare Bentleii coniectura *videre* ut simplicissima ita maxime otiosa est. Cf. Hom. Od. IX, 166: »ἐλεύσσομεν καπνόν τ' αὐτῶν τε φθογγήν.« Splendidi autem *ἀντίθεσις* est inter terrarum orbem et unum Catonem. — *Iuno*] patrona Africae et Karthaginis, irata Romanis, Aeneae posteris. Carm. III, 3, 32. Virg. Aen. I, 15. — *Deorum quisquis*] Tenendum est cum regione vel gente victa etiam deos patrios quodam modo vinci; quare qui urbem aliquam oppugnabant, ii deos, ne cum his sibi res esset, evocare solebant; et dii urbes ad exitium destinatas relinquere dicebantur; Virgil. Aen. II, 351. De coniunctione hac *Iuno et quisquis* conferas Ovid. Met. I, 262.

V. 29. *pinguior*] cf. Virg. Georg. I, 491. Aeschyl. Sept. 587: »Ἔγωγε μὲν δὴ τήνδε πιαρῶ χθόνα.« Horatius unde originem publicae calamitatis duxerit, multis locis ostendit; ut Carm. I, 35, 33. III, 5, 7. III, 6, 7. 45. III, 24, 25 sqq. cet. Posteri luebant quae impie et iniuste maiores fecerant; atque etiam bellum Iugurthinum semina posuerat belli inter Marium et Sullam gesti. — In insequentibus duabus strophis animadverte aequabilitatem membrorum; quae sunt quattuor, quorum primum et tertium negantem particulam (*quis non — quod non*), alterum et quartum verba habent negantia (*ignara — caret*). — *Hesperiae*] adiectivum est, non substantivum. Inditum hoc nomen est *Italiae*, Graecis occidentem versus sitae (Carm. III. 6, 8. IV, 5, 38. I, 28, 26): h. l. significatur remota occidentis solis regio. cf. ad. I, 36, 4. — *Medi*] Hi significant nihil aliud nisi remotissimam orientis regionem, quare *ἀντίθεσιν* noli praetermittere inter Medos et Hesperiam. — *Dau-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

Carmen II.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae

niae] Latinae, *συνεκδοχικῶς*, Carm. IV, 6, 27. Similis locus est Carm. III, 6, 34. II, 12, 2. Ceterum cf. Flor. IV, 2: »Commissum est bellum civile intra Italiam, inde se in Galliam Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit; hinc in Aegyptum subito transiluit; inde respexit Asiam; inde Africae incubuit; postremo in Hispaniam regyravit et ibi aliquando defecit.«

V. 35. *decoloravere*] Seneca Quaest. Nat. II, 41: »Decoloratur id, cuius color vitiatur, non mutatur; coloratur id, cuius alia fit quam fuit facies.« Ceterum praepositio *de* in compp. saepe intendit notionem, ut in *debacchari* Carm. III, 3, 55; *desaevire* Epist. I, 3, 13; *decertare* Carm. I, 3, 14; *deproeliari* Carm. I, 9, 11; *delitigare* A. P. 94; *denarrare* Sat. II, 3, 315; *deperire* Epist. II, 1, 40; *deproperare* Carm. II, 7, 24; *depugnare* Epist. II, 1, 184. — *iocis*] Sic poetae poemata sua levioris generis saepe vocant, itaque rei nomen ad carmen transfertur. — Vehementia doloris cum longius abreptum se sentiat neque suum esse intellexerit tantas calamitates aut describere aut deflere, subito desinit. Musa est procax, quae aliena sibi arrogat; Horatii Musa iocosa est. cf. Carm. III, 3, 69. I, 6, 17. — *neniae*] Cic. de leg. II, 24: »Honoratorum virorum laudes in concione memorentur easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur, cui nomen nenia.« Cf. Carm. II, 20, 21. Deinde neniae appellantur cantus quibus nutrices infantes sopiunt (Epist. I, 1, 62. cf. Carm. III, 28, 16). Omnino sic appellantur carmina lugubria, qualia Simonides Ceo insula oriundus composuit. — *Dionaeo*] Dione mater Veneris. Hom. Il. V, 370. — *antro*] cf. Carm. III, 4, 40. III, 25, 4. II, 19, 1. Poetae Veneris antra ingressi non bella sed amores canunt. — *leviore plectro*] Argumenti levitas ad lyram transfertur et ad plectrum; scilicet in levi re graviter pulsare fides non decet. Contrarium est Carm. IV, 2, 33. cf. Ovid. Met. X, 150. 152. — *modos*] carmina, Weisen. Carm. II, 12, 4. 9, 9. III, 9, 10. 3, 72. IV, 6, 43.

Carmen II.

Cum divitiae ipsae non habeant cur expetantur, is summa laude dignus est qui bonis suis optime utitur neque summum bonum in magnitudine rerum ponendum esse putat. Nam cupiditas animi nullis finibus coercetur, et is vere rex est, is vere dives est qui sibi, non aliis imperat. — Scriptum est carmen ad C. Salustium Crispum, quem C. Sa-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Iustius, Romanarum rerum scriptor, sororis nepotem in nomen adsciverat. Qui cum adolescentulus magnis divitiis non bene usus esset (Sat. I, 2, 48), virili aetate laudem sapientiae et liberalitatis coniunxit; idem in Centronum Alpino tractu metalla aeris habuit. Adhortationis vel vituperationis in carmine nihil inest. Versibus 5 et 17 facile efficitur, ut compositum hoc credamus anno fere 730; Phraates enim restitutus est a. 730, et Proculeii fratres post a. 732, quo anno Fannii Caepionis et Licinii Murenae coniuratio contra Augustum detecta est (vide infra ad carmen X), commemorare Horatium vix decuit. Oeconomia carminis ea est, ut qua ratione altera stropha contra primam, eadem quarta contra tertiam et sexta contra quintam ponatur.

V. 1. *color*] Hic est qui allicit hominum animos; in metallis neque argento neque auro color est; ad lucem protractis cum colore et splendore pretium accrescit. — *avaris terris*] Metalla non sine magno labore aperiuntur; reluctatur quasi terra, unde *avara* appellatur. cf. Carm. III, 3, 49. — *lamnae*] per syncopen pro *laminae*; cf. Carm. I, 36, 8. IV, 13, 20. Epod. 9, 1. Sat. I, 1, 49. I, 2, 113. I, 9, 7. I, 3, 53. Carm. II, 16, 2. Epist. I, 9, 6. 15, 36. Laminam autem cum contemptu dixit et opposuit argento facto. — *nisi*] Hypothetica haec enuntiatio coniungenda est cum vocativo: *qui es inimicus, nisi*. Simillimi loci Carm. II, 3, 4 sq. Sat. I, 2, 74. — *Proculeius*] C. Proculeius Varro Murena, eques Romanus, frater Terentiae Maecenatis, rarissimae pietatis erga fratres fuit. adeo ut bona sua cum illis, qui bello civili omnia amisissent, aequis partibus divideret. — *animi paterni*] Genitivus graeco more positus poetam magis decet quam latinae praepositionis usus: cf. Carm. IV, 13, 21. — *extento aevo*] Aevum saepe apud Horatium id est temporis spatium, quod mortalibus datum est ad vivendum. Sic Carm. II, 9, 13. III, 11, 36. Epist. I, 20, 26. *Aevum extendere* est vitae annos augere, ut si quis vivat extento aevo, is etiam post mortem vivat. Ovid. Met. I, 662: »Sed nocet esse deos, praeclusaque ianua leti *Aeternum* nostros luctus *extendit in aevum*.«

V. 7. *metuente solvi*] Quanto sic nervosius dixit quam si voluisset *metuente ne solvatur!* Exempla vide haec: Carm. I, 8, 8. III, 11, 10. III, 24, 56. IV, 5, 20. Sat. I, 4, 23. Epist. I, 5, 2. I, 16, 60. I, 19, 27. II, 1, 114. — *regnes*] Claudian. de IV. cons. Honor. 261: »tunc omnia iure tenebis, Quum poteris rex esse tui.« — *domando spiritum*] Gerundium ideo non mutavit in passivam formam gerundivi, ne quid ponderis activum verbum amitteret. cf. Carm. I, 2, 29. Poetae quo clarius rem describant, exemplis solent uti; atque id ita quoque fit, ut cum alteram partem sententiae simplicem omnique ornatu carentem posuerint, alteri exempla substituant; quod hic

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit virtus populumque falsis
Dedocet uti

Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

factum vides et Carm. II, 10, 5 sqq. Praeterea autem animadverte amplificationem, *si Lib. remot. Gad. iungas et uterque Poen. serv. uni*; eadem res ex diversis partibus collustrata animum magis movet. In quo loco *et* part. consecutivam quam dicimus facultatem nacta est; quare prosa oratio sic: »si Lybiam remotis Gadibus iungas, *ita ut* Karthaginienses et Hispanienses Poeni tibi uni serviant.« Karthago ditissima olim urbs fuit propter mercaturam, Africa ipsa feracissima frugum, deinde Hispania metallorum opibus celebrata; coniunctae avidissimi hominis animum explere poterant. Gaditani a Tyriis conditi sunt, aliae coloniae a Karthaginiensibus in Hispaniam deductae. Plin. H. N. III, 1: »Oram eam universam originis *Poenorum* existimavit M. Agrippa. In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos et Persas et Phoenices Celtasque et *Poenos* tradit.« Senec. consol. ad Helv. 6: »Tyrii Africam incolunt, *Poeni* Hispaniam.« Tuta igitur est codd. auctoritas nec tentanda coniecturis *uterque pontus*, *uterque Phoebus*, *uterque finis*.

V. 13. »Cupiditas enim in dies crescit neque unquam restinguitur, et, quod est turpissimum, quo ducit, id ne bonum quidem est vere.« Sic cohaerent quae sequuntur. — *indulgens*]=indulgendo; qui participii usus apud Graecos frequentissimus. De imagine lege Ovidii Fast. I, 215 sq.: »Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.« cf. Epist. II, 2, 147. — *venis*] de intima parte cuiusque rei. Cic. Catil. I, 13, 31. — *albo corpore*] adiectivum προληπτικῶς positum. — *Phraaten*] Vide ad Carm. I, 26. — *beatorum*] »Recte sine dubio e codd. receptum est *beatorum*, pro *beatum*, cuius genitivi praeter *deum* et *nummum* nullum apud Horatium vestigium est.« Meinekius. — *dissidens plebi*] Verba pugnandi, certandi, similia cur a poetis saepe cum dativo coniungantur (Carm. II, 6, 15. Sat. I, 2, 73. Ovid. Met. I, 19), intelligitur ex iis quae supra scripta sunt ad v. 6. cf. ad Carm. I, 3, 13. — *vocibus*] quibus populus Phraaten et similes beatos praedicat. cf. Sat. I, 1, 65. — *propriam*] perpetuam. Sat. II, 6, 5. Epist. I, 17, 5. II, 2, 172. — *laurum*] quoniam etiam de cupiditatibus triumphatur. — *irretorto*] Sapiens divitias maximas placido animo praeterire et ita potest videre, ut ne oculum quidem retorqueat. cf. Cic. Cat. II, 1, 2. Plat. de legg. 9, 854. C »τὰς τῶν κακῶν ξυνουσίας φεῦγε ἀμεταστρεπτί.« — *acervos*] auri. Sat. I, 1, 44.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen III.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,
Seu moestus omni tempore vixeris
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

Carmen III.

Cic. de off. I, 26 sic scripsit: »In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium arrogantiamque magno opere fugiamus; nam ut adversas res sic secundas immoderate ferre levitatis est: praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate, item de C. Laelio accepimus.« Hanc doctrinam poetica ratione Horatius illustrat; non cedendum esse incertae fortunae, qua homines modo tollantur, modo deprimantur. Humano generi nihil certius esse morte; quare qui vita sapientissime fruatur eum saluti suae optime consulere; vitae autem sapientem usum nasci ex animi tranquillitate. Similes sunt loci I, 7, 17. II, 10, 21 sqq. II, 16, 25 sqq. Dividitur hoc carmen in duas partes; superior (v. 1—16) quid sit faciendum suadet, inferior (17—28) cur ita sit faciendum docet. Caput autem cernitur in scena quam exhibet media carminis stropha. Dellius, cuius nomen v. 4 legimus, is videtur fuisse, qui cum a Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ab Antonio transiisset ad Caesarem (Vell. Pat. II, 84), a Messalla Corvino *desultor bellorum civilium* vocatus est. Is fortasse cum Horatio in Macedonia militavit, deinde in omnibus castris fortunae favorem quaesivit. Videntur viri docti iure suspicari, hoc carmen ante a. 723, quo Dellius ad Octavianum transiit, non potuisse scribi; porro veri simile est post a. 725 finitis iam civilibus bellis esse compositum, cum Dellius quam quaesivisset fortunam nondum assecutus intemperantiam animi etiam aleret.

V. 1. *arduis*] periculosis. Carm. I, 3, 37. — *aequam*] Aequus est locus, in quo neque exstat quidquam neque recedit: sic animus aequus nunquam turbatus, semper idem, ad omnia paratus non committit, ut aliquando dicendum sit: non putaram (Cic. de off. I, 13). Hor. Carm. III. 29, 32. Epist. I, 17, 24. Cic. Rosc. Am. 50. — *non secus*] itidem. Carm. III, 25, 8. — *insolenti laetitia*] προληπτικῶς. Carm. I, 16, 21. II, 4, 2. — *moriture*] cui moriendum est (I, 28, 6), sive moestam sive hilarem vitam egeris. Vide ad II, 2, 2 sq. cf. Ovid. Trist. V, 5, 61: »Caesar dis *accessure*, *sed* olim Aequarint Pylios *cum* tua fata dies.« — *gramine*] Describitur convivium rusticum in remoto prato habitum; in quo pingendo diutius poeta commoratur, quo fortius ad hilaritatem vitae homines evocet. Ad totum locum cf. Epod. 2, 23 sqq. — *interiore nota Falerni*] Deteriora vina quae aetatem non ferebant, de cupa vel dolio potabantur; meliora in amphoras et lagenas diffundebantur; amphorae vitreae vel luteae cortice et pice claudebantur vel gypsabantur; inscribebantur nomina consulum, ut quibus annis vina nata essent posset videri; vitreis pittacia nominibus inscripta addebantur. Petron. 34: »quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo:

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis? Quid obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo?
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmptis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,

Falernum. Opimianum. Annorum centum.« Tum amphorae in apotheca in summa parte aedium sita, ubi fumus colligebatur, collocari solebant, quo celerius vina mitescerent. Cellae autem vinariae in terram depressae erant et frigoris causa, si fieri poterat, septentriones spectabant. Unde quae *nota sit* intelligitur; *interior* adi. ab amphora ad notam translatum significat vetustius vinum, quod ab ostio magis erat remotum. *Falernum* autem vinum generosissimum praeter Caecubum, Massicum, Setinum, cf. I, 20, 10. Carm. III, 8, 9 sqq. III, 21, 7. Tibull. II, 1, 27: »Nunc mihi *fumosos veteris* proferte *Falernos Consulis.*« — *bearis*] beatum feceris; Carm. IV, 8, 29. Epist. I, 18, 75. II, 2, 121.

V. 10. *amant*] Sic Graeci quoque φιλοῦσι, pro vulgato *solent*. Carm. III, 16, 10. Sat. I, 4, 87. I, 10, 60. II, 3, 20. — *Ramis? quid*] Sic in antiquissimis codd., et recte quidem. *Quo* part. praecedens accipienda ut Epist. I, 5, 12, et bene Porphyrio ad v. 11: »subaudiendum: si ea (lympha) non utimur.« cf. Ovidii Met. XIII, 516: »*Quo* ferrea *resto*, *quidve* moror? *Quo* me *servas*, annosa senectus?« Cic. pro Sest. 13 »quid hoc homine facias? aut quo civem importunum, aut quo potius hostem tam sceleratum reserves?« — *trepidare*] significat celerem aliquem motum, cuius non in terrore solum sed in aliis quibuscunque rebus inesse potest causa. Carm. II, 4, 23. IV, 11, 11. Epist. I, 10, 21. — *vina et unguenta*] In conviviis Romani coronis ornati erant et unguentis pretiosissimis uncti. Carm. II, 11, 13 sqq. III, 14, 17. — *Flores*] »Bei den Griechen wurden mannigfaltige Blumen zu Kränzen gewunden. Anders war es bei den Römern, welche ausser dem Grün der Blätter, namentlich vom Epheu, der Myrte, dem apium nur wenige Gartenblumen und hauptsächlich Veilchen und Rosen zu Kränzen gebrauchten.« Becker Gallus T. II. p. 214. Luxuria autem eo processit, ut nardinis etiam foliis uterentur. — *res*] vitae condicio, qua otio frui conceditur. — *aetas*] iuventus; nam morosa senectus haec spernit. Carm. I, 9, 17. — *soror. fila*] Parcarum; quarum quae fuerit potestas, ex his vide locis: Carm. II, 6, 9. 16, 39. 17, 16. C. S. 25. Epod. 13, 15. Ausonius epist. 12, 45 graece expressit: »dum res et aetas et Sororum *Νήματα πορφύρεα πλέκονται.*«

V. 17. Incipit altera pars carminis, cuius sunt tres partes: »relinquendae sunt divitiae studiose conquisitae (17—20); amittenda nobilitas, qua superbire solent (21—24); nam mors omnibus communis omnes pares reddet (25—28). Quod inde efficitur praeceptum, id facile intelligitur. cf. Carm. II, 16, 21. Epist. II, 2, 177. — *flavus Tiberis*] vide ad I, 2, 13. Villa ad aquam sita maiorem habet amoenitatem. — *lavit*] Hac forma *lavere* in lyricis ubique utitur Horatius: Carm. III, 12, 2. 7. 4, 61. IV, 6, 26. Epod. 16, 28. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exsilium impositura cumbae.

Carmen IV.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu! Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;
Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,

heres] Carm. II, 14, 25. IV, 7, 19. Sat. II, 3, 145—151. Epist. II, 2, 190 sq. — *moreris*] Nam »commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit.« Cic. de senect. 23. cf. Ovid. Met. X, 32. — *urna*] Omnium hominum sortes in urnam coniectae ab Necessitate versantur; cuius exsilit sors, ei moriendum est. Carm. III, 1, 16. cf. Stat. Silv. II, 1: »ibimus omnes, Ibimus, immensis urnam quatit Aeacus umbris.« — *exsilium*] quoniam in terram, humani generis patriam, non conceditur reditus. — *cumbae*] Charontis.

Carmen IV.

Festive irridet Horatius amicum, quem graeco nomine Xanthiae Phocensis tegit, de amore ancillae. Festivitas ubique conspicua; grandia exempla Achillis, Aiacis, Agamemnonis, regium quod fingitur genus, maligne laudata fides, integritas, lucri contemptio in hoc genere certe rarissima quid poeta voluerit aperte produnt. Scilicet una vera est pulchritudo, in extrema stropha laudata. Carmen scriptum est a. u. 729; id quod intelligitur ex v. 23 sq.

V. 2. *insolentem*] cf. A. P. 122. — *prius*] iam ante te; tu primus non es. — *Briseis*] Hom. Il. II, 609. IX, 342. — *Tecmessa*] Teuthrantis, Phrygii regis, filia, ab Aiace capta. Soph. Ai. 210 *παῖδα Φρυγίου Τελεύταντος* eam vocat. — *arsit*] vide ad Carm. IV, 9, 13. — *virgine rapta*] Cassandra. Hom. Od. XI, 420.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus et penates
Moeret iniquos.

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

Carmen V.

Nondum subacta ferre iugum valet

— *Thessalo victore*] non solus Achilles aut Neoptolemus; sed Thessali pro cunctis Graecis, quia nisi Thessalorum Achillis, Neoptolemi, Myrmidonum ope Troia non potuit capi. — *Hector*] Hom. Il. XXII, 507. XXIV, 243. — V. 11. Duplex est antitheton *fessis leviora* et *Pergama Graiis*. — *Graiis*] de Graecis antiquis, praecipue heroica aetate, ut Epod. 10, 12. Ovid. Met. XIII, 218. 241. Corn. Nep. Hannib. 3; inde hoc nomine saepissime usus est Virgilius in Aeneide. Deinde *Graii* appellantur poetico nomine, cum antiqua eorum virtus, nobilitas, poesis praedicantur, ut Carm. II, 16, 38. IV, 8, 4. Epist. II, 1, 19. A. P. 323. In lyricis carminibus alterum nomen *Graeci* non reperitur, nisi quod adi. *Graecus* est Carm. I, 20, 2. III, 24, 57. — *nescias an*] fortasse. Inclinat ad affirmationem. — *beati*] divites. — *Phyllidis flavae*] Et nomen ipsum et epitheton iuventutem mulierculae indicant; flava est ut folia arborum recentia; sic Chloë flava est Carm. III, 9, 19, Ganymedes IV, 4, 4. Phyllis autem (*φύλλον*) idem significat quod Chloë (*χλόη*): prima ex cortice excrescentia folia. — *moeret regium genus*] quod sua servitute contaminatum sensit, non quod amisit Nam genus amittere quis potest? — *dilectam*] Sic omnes Codd. Cruquiani; dicit autem hoc; crede illam, quam adamasti, non esse de scelesta plebe. In aliis MSS. *delectam*. — *integer*] amore non captus, cuius iudicium non est amore corruptum. cf. Carm. III, 7, 22. — *fuge suspicari*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *trepidavit*] cfr. ad IV, 11, 11.

Carmen V.

Se ipsum consolatur de dura arrogantia puellae ardenter amatae

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.
Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas et illi quos tibi dempserit
Apponet annos: iam proterva
Fronte petet Lalage maritum,
Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges,
Quem si puellarum insereres choro,

sed fugientis: atque eo utitur consolationis genere quo vulpes in fabula. Quae cum altius pendentem uvam saliendo deripere non potuisset, tandem sibi ipsa persuasit immaturam eam esse necdum ad edendum satis mitem; dum maturescat, alias esse petendas. De Lalage vide ad Carm. I, 19.

V. 1—19. Metaphora sumpta a vacca nondum adulta, in antiquitate usitata, a nostris moribus aliena. cf. Carm. III, 11, 9 sq. — *comparis*] ad idem iugum vincti, iugalis. cf. Carm. I, 33, 11. — *solantis*] levantis, exstinguentis. — V. 11. *Auctumnus*] hic personae formam induit, ut Epod. 2, 18; ineunte auctumno uvae, olim virides, variant, sensim transeunt in purpureum colorem, quod est maturitatis primum indicium. Cum uvis et fructibus etiam Auctumnus colorem quasi mutat, quare et ipse *varius purpureo colore* dicitur h. e. qui varius est transeundo a viridi colore in purpureum. cf. Ovid. Met. III, 482 sqq. Tria substantiva cum suis adiectivis artificiose disposuit hoc schemate

lividos Auctumnus racemos Purpureo varius colore

cf. Carm. I, 9, 21 sq. III, 11, 26 sq. II, 15, 14 sq. — *lividos*] subnigros. — *ferox aetas*] tempus indomitum, quod tardari nequit — *Pholoë*] idem nomen Carm. I, 33, 7. III, 15, 7; *fugax* eadem quae I, 33, 6 *aspera*. — *Cnidiusve*] *Ve* particula Gyges quoque cum Lalage comparatur; nam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

Carmen VI.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda:

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque!

sic inter se respondent: *quantum non — non — ve. — mire*] Adverbium coniunge cum *falleret*. — *solutis crinibus*] Alebant capillum pueri ingenui, imprimis delicati. cf. Epod 11, 28. — *ambiguo vultu*] cuius vultu non intelligitur, sitne puer an puella. Ovid. Met. IX, 711 sq. Sic apud Statium Achill. I, 336 Achilles inter Deïdamiam et sorores: »fallitque tuentes Ambiguus tenuique latens discrimine sexus.«

Carmen VI.

Septimii nomen, quod in hoc carmine legitur, est etiam in Epist. I, 9 et in fragmento epistolae Augusti ad Horatium datae. Vide Vit. Hor. p. 11. Viris doctis admodum probabile visum est tribus locis eundem hominem indicari. Quod cum libenter concedatur de Septimio Horatiano, dubitatio tamen restat de tertio illo in epistola Augusti; nisi forte credas Augusti epistolam diu post Horatii nonam scriptam esse. Sed admodum incerta res est, nisi quod ex fine carminis recte tibi videris concludere Septimium hunc Horatio multo fuisse iuniorem. De hoc carmine recte observatum est, secundo versu id spatium significari, quod est inter a. 728 et a. 734. Nam cum a. 725 Romani primum Cantabros vicissent, hi a. 728 iugum excutere studuissent et anno demum 734 devincerentur, Horatius certe *Cantabros indoctos iuga ferre Romana* ante a. 728 quo primum rebellarunt non potuit appellare. Compositum igitur videtur a. 729 v. 730; nam noli credere Horatium Sabinam villam nondum accepisse, id quod aliis placuit. Tiburis et Tarenti desiderium etiam exprimitur diu postquam Sabinum accepit. Carm. III, 4, 21 sqq. Epist. I, 7, 44.

V. 1. *aditure*] qui adire paratus es, qui mecum, si opus sit, libenti animo adeas. Tribus exemplis utitur poeta; Gadibus, qui extremus est Europae locus; Cantabro, quae natio est ferocissima (Carm. II, 11, 1. III, 8, 22. IV, 14, 41. Epist. I, 12, 26); Syrtibus propter tempestates et scopulos maxime periculosis (Carm. I, 22, 5. Epod. 9, 31). — *Maura unda*] vide ad Carm. I, 1, 28. — *Argeo*] graeca adiectivi forma, in lyricis saepius obvia; Ovid. Am. III, 6, 45: »Tiburis Argei pomifera arva.« Hor. Carm. I, 1, 34. II, 20, 13. Ceterum vide ad Carm. I, 7, 13. I, 18, 2. Virg. Aen. VII, 670 sqq. — *senectae*] Tertius casus est, non secundus. — *maris*] Tres genitivi *maris, viarum, militiae* ad nomen *lasso*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Baca Venafro;

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

non magis referendi sunt quam ad alterum *modus*. cf. Epist. I, 11, 6. *Militia* autem mare et vias complectitur, quippe duplex est militia, maritima et terrestris. Sic Carm. I, 1, 23 *castra et tubae sonitus bellaque*; ut a partibus ad totam rem ascendatur. — *Parcae iniquae*] vide ad Carm. II, 3, 15.

V. 10. *pellitis ovibus*] Varr. R. r. II, 2: »similiter faciendum in ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit vel lavari ac parari.« Plin. H. N. VIII, 48: »Lana laudatissima Apula, et quae in Italia graeci pecoris appellatur, alibi Italica.« — *regnata Laconi*] Ne a neutrorum quidem verborum formis passivis abstinent poetae. cf. Carm. III, 29, 27. *Phalantus* autem dux fuit Partheniarum. — *ridet*] placet. Eadem metaphora γελᾶν Graeci quoque de rebus inanimatis utuntur quasi vitam habentibus et faciem. Sic *renidere* II, 5, 19. II, 18, 2. De producta extrema syllaba cf. ad III, 5, 17. II, 13, 16. — *Hymetto*] Ex more antiquo pro *melli Hymettio*. Solent enim veteres, cum hominum vel rerum facultates virtutesve inter se componunt, alterius facultatem componere cum altero ipso homine vel re. Sic Cic. de orat. II, 1, 4: »nostrorum hominum prudentiam Graecis anteferre.« Cf. Carm. I, 1, 33. III, 6, 46. Hom. Il. XVII, 51; et infra *certat baca Venafro*. — *decedunt*] Decedit is, qui primo loco quem adhuc obtinuit ab altero praestantiore victus cedit. cf. Epist. II, 2, 213. — *Venafrum*] Minturnis et Fregellis et Liri fluvio vicinum; *viride* est totum Venafrum propter frequentia ibi oliveta. Venafranum oleum optimum erat. Sat. II, 4, 69. — *Iuppiter*] Carm. I, 12, 15.

V. 18. *amicus Aulon*] Aulon ex testimoniis Acronis scholiastae, commentatoris Cruq. et Servii ad Virg. Aen. III, 553 *mons* fuit Calabriae. Contra *Orellius*: »Est recessus depressior regionis Tarentinae prope Saturum, hodie *Melone*.« — *fertili Baccho*] Sic melius quam *fertilis Baccho*, quod pedestrem orationem sapit. Est autem dativus, non ablativus. cf. III, 16, 34. Bentleii coniectura *apricus Aulon Fertilis Baccho* elegantissima quidem est, sed non necessaria: nam propterea quod Aulon fertili Baccho amicus est, generosa ibi nascuntur vina. Martial. XIII, 125: »nobilis et lanis et felix vitibus Aulon Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.« — *invidet*] Regio vita animique affectionibus carens poetice vitam accipit et cum vita studium et voluntatem. Sic Stat. Silv. II, 2, 5: »Prelis non invidet uva Fa-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

Carmen VII.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque coelo,
Pompei meorum prime sodalium?

lernis«; quem locum etiam propter λιόστηια compares. — *beatae arces*] Adi. *beatae* non ad arces solum sed ad *locum* quoque referendum. Vide ad Carm. I, 2, 1. *Locus* autem est ager Tarentinus; *arces* Aulonem montem significant. Sic *arx* vel *arces* de monte C. S. 65. Virg. Georg. II, 535. Ovid. Met. I, 467. — *vatis amici*] Tacit. dial. 9: »Quis Saleium nostrum, *egregium poetam* vel si hoc honorificentius est praeclarissimum *vatem*, deducit aut salutat?« Poeta artifex est, vates sacer et Musis amicus. cf. Carm. IV, 6, 44. Ceterum haec tristicula sententia vetare videtur, ne carmen cum Peerlkamp. iam a. 714 vel cum Rittero a. 718 scriptum putes.

Carmen VII.

Pompeius Varus, olim Horatii commilito, quocum coniunctus et mala et bona communia habuerat, post cladem Philippensem aliam atque eam quam Horatius inierat viam ingressus cum Sexto Pompeio, ut verisimile est, bellum continuaverat. Hoc mortuo (a. 719) Antonium potius quam Octavianum secutus iterum adversam belli fortunam expertus esse videtur. Tum demum, nescimus quo intercedente, Romam reversus dulcissimum amicum Horatium recuperavit. Hic felici rei exitu laetatus amicitiae tenerrimos sensus hoc carmine prodit. Habet carmen septem strophas, ex quibus tres primae amicorum in castris et bello coniunctam vitam et fortunam, media quarta post cladem seiunctionem et diversa itinera, reliquae tres post seiunctionem alteram coniunctionem eiusque laetitiam mira arte et dulcedine describunt. Scriptum autem est non ante a. 724, quoniam et Pompeius *longa* militia fessus dicitur et Horatium Sabinam villam (v. 19) iam habuisse probabile est.

V. 1 sqq. *tempus in ultimum*] in extremum periculum. Temporis nomen non dierum solum et annorum seriem, sed quaecunque diebus et annis aut agenda sunt hominibus aut patienda comprehendit. cf. IV, 9, 36. Epist. II, 2, 46. Verbis quodam modo ludere videtur Horatius *deducte — duce*; deinde consulto dictum *in ultimum tempus*. Duxerat eos Brutus in condiciones remotas a patria et civitate; inde: quis te redonavit *Quiritem*? quae verba mirantis sunt de insperato amici reditu. — *Quiritem*] capite non iam deminutum; fuit autem triplex capitis deminutio. Singularis numerus nominis Quiritium non legitur nisi apud poetas. cf. Epist. I, 6, 7. — *Pompei*] duas tantum efficit syllabas per synaloephen. Sic Carm. I, 35, 17. 37, 5. *prime*] i. e. quem maxime amavi, non, ut alii: quocum a prima pueritia con-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre;
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.
Ergo obligatam redde Iovi dapem.

iunctus fui. Sodales autem h. l. sunt quibuscum olim militavit. — *Saepe*] Inter itinera et praesidia haud raro militantibus accidere potuit, ut quid facerent nescientes quavis arte diem conficere studerent. Ad vv. 7. 8 conferas Carm. II. 3, 13 et quae ad eum locum notata sunt. Nam Malobathrum Syrium i. e. Indicum (Carm. II, 11, 16. I, 31, 12) unguentum est ex cognomine frutice expressum.

V. 9. Siquidem conviviorum grata est memoria, non ingrata tamen est simul perpessorum malorum; quas contrarias res vide ut poeta diversis strophis distraxerit. — *relicta*] Pessima est eorum sententia, qui timiditatis et ignaviae turpem quandam confessionem in hoc loco odorati sunt. Quid enim? Si ea vera esset sententia, quomodo tandem idem Horatius Epist. I, 20, 23 eo progredi potuisset iactantiae et arrogantiae, ut primis se olim placuisse belli ducibus palam gloriaretur? Sed hoc dicit: »tu mihi comes eras apud Philippos, ibi tu mecum sensisti cladem et fugam«, quam Brutum ipsum, antequam mortem sibi daret, amicis vehementer suasisse scimus. Ceterum in hoc quoque loco festivitas quaedam bene notanda est, et iocosa comparatio Archilochi, Alcaei, Anacreontis, qui idem de se confiteri non dubitarunt. Docti Romani, qui hos versus legebant, ultro inciderunt in Graecorum poetarum similes locos. — *Turpe solum tetigere mento*] cum virtute iam nihil efficeretur et magna pars fortissimorum commilitonum in iisque Brutus interfecti essent in humumque prostrati minas et iram etiam vultu ostenderent. cf. Salust. Cat. 61. *Turpe* solum poetice dicitur, quoniam in eo macula cladis et turpitudinis concepta est. Ludibrio autem eos laedere, quibuscum ipse pugnaverat, ab Horatii animo alienum est.

V. 13. *Mercurius*] Se per hostes a Mercurio sublatum ait i. e. se abiecta spe arma posuisse et ad poesim confugisse, amicum in bellum esse retractum. Carm. III, 4, 26 salutem se Musarum tutelae debere dicit; Mercurius autem non minus custos est poetarum, Mercurialium virorum (Carm. II, 17, 29). — *paventem*] propter volatum per altas nubes, qui contra humanam naturam est. cf. IV, 4, 9. Praeterea notandum est fictionem hanc esse Homericam. II. III, 380. V, 23. 344. XX, 325. In sequentibus duobus versibus imago est a naufragio petita, ita tamen, ut tacite significetur Pompeium prope invitum ad continuandum bellum tractum fuisse. — *Ergo*] Sententia sic cohaeret: Ex quibus fluctibus cum tu quoque nunc ereptus sis, primum diis gratias redde

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria exple, funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius

debitas, deinde mecum vitae et amicitiae fruere gaudiis. *Ergo* particula subito quodam et lyrico motu ad initium carminis quasi reducit amici animum. — *obligatam*] Qui ex magnis periculis deorum beneficio eripitur, is propter id ipsum, si quidem est grato animo, voti quasi reus est. cf. Carm. II, 8, 5. — *lauru*] Altera ablativi forma *lauro* apud Horatium est Carm. III, 30, 16. Ne hoc quidem sine εἰρωνείᾳ; uterque in bello laurum i. e. gloriam sibi parare studuerat sed frustra. Horatius autem aliam in pace et otio litterarum studiis invenerat. — *nec parce*] vide ad Carm. I, 11, 2.

V. 21. *Oblivioso*] quod aegritudinum curarum malorum oblivionem affert et demissum animum erigit. — *levia*] non »in tuum honorem detersa ac polita«, nam decet semper ciboria esse levia. — *Ciboria*] Poculi genus cuius superior pars lata, inferior angusta erat, in modum fabae Aegyptiae, quae colocasia s. cyamus vocabatur. Fuit autem hoc genus capacius; et in tali convivio laetitia cernitur in abundantia quoque et vinorum et unguentorum: inde *conchae* quoque grandiores. Asyndeton *exple, funde* ad animum festinantis neque moram patientis accommodatum; huic rei congruum est subsequens verbum *deproperare*. Simplex verbum eadem significatione Carm. III, 24, 51. Epod. 12, 22. Epist. I, 3, 28, quod cum sua natura accusativum obiecti non patiatur, tamen ad exemplum graeci verbi σπεύδειν ad festinandi notionem alteram agendi adsciscit. Festinationis vero notio addita particula *de* etiam augetur. — *udo*] Virg. Georg. IV, 121 »virides apio ripae.« Apio palustri in nectendis coronis saepissime utebantur. cf. Carm. I, 36, 16. IV, 11, 3. Inde apud Theocrit. 7, 68 »πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.« — *curatve*] Particulae *que, ve, ne* saepe non ei vocabulo adhaerere videntur quod superioribus addendum est. Quod ne casu vel metri ratione factum credas, sic tibi persuade, poetas transposita particula et maiorem vim vel pondus aliquod addidisse ei vocabulo cui illa adhaeret, et speciem aliquam effecisse constructionis ἀπὸ κοινοῦ, nimirum ut unum vocabulum utrimque traheretur. Exempla sunt: Carm. I, 30, 6. II, 17, 16. II, 19, 32. Sat. I, 4, 115. II, 1, 68. I, 6, 43. 44. II, 3, 182. Sat. I, 8, 2. I, 2, 63. Epod. 2, 50. Sat. II, 3, 139. 180.

V. 25. *Venus*] iactus Venereus. Solebant veteres in lautis conviviis magistros s. reges bibendi creare talorum sorte. Talorum autem quattuor latera longiora punctis notata erant, ita ut unum latus unum haberet punctum, alterum huic oppositum sex puncta ostenderet, in reliquisque duobus tria essent et quattuor puncta. Ludebatur talis quattuor; Venus erat iactus, cum quattuor tali iacti quattuor diversos numeros, canis i. e. pessimus iactus, cum omnes unum punctum ostendebant. In reliquis iactibus valebat punctorum numerus. A talis differebant tesserae, quae sex numeros in sex lateribus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

Carmen VIII.

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui,
Crederem. Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo iuvenumque prodis
Publica cura.

habebant longitudine paribus. — *Edonis*] Thraciae populo; quorum exemplo utitur, quoniam Thraces Bacchi sacris et orgiis dediti erant. Ad quam rem verbum *bacchari* accommodatum est.

Carmen VIII.

Festiva expostulatio cum Barine pulcherrima quidem sed nimis perfida puella. Quo anno hoc egregium carmen scriptum sit, dici non potest. Simillimum est carmen Ovidii Am. III, 3, 1:

Esse deos, i, crede; fidem iurata fefellit,
Et facies illi, quae fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum periura capillos,
Tam longos, postquam numina lusit, habet etc.

Et v. 11. Scilicet aeterno falsum iurare puellis
Di quoque concedunt.

V. 1. In prima stropha vide quam artificiose verba collocata sint ad ostendendam impunitatem peierantis sed pulchrae puellae, quae ne minima quidem poena periurii a diis in alios homines severis afficitur. Nam non temere haec vocabula *ulla, unquam, dente, uno, ungui* in versuum terminis posita sunt; atque consilium poetae conspicuum est in verbo *crederem* in fronte strophae posito et totam apodosim efficiente. — *iuris peierati*] Audacius a poeta dictum pro *periurii*. — *uno turpior ungui*] *Uno* referendum etiam ad *dente*. Vide ad Carm. I, 2, 1. Intelligenda scabritia unguium, cuius medicamenta multa apud Plinium in Hist. Nat. reperiuntur. In qua re tenendum est, haud parvam curam puellas in conservandis dentibus et unguibus posuisse; unde haec praecepta Ovidii A. A. III, 276: »Exiguo signet gestu quodcunque loquetur, Cui digiti pingues et *scaber unguis* erunt«; et v. 279: »*Si niger* aut ingens aut non erit ordine natus *Dens* tibi, ridendo maxima damna feres.« — *obligasti*] vide ad Carm. II, 7, 17. Sententia haec est: Tantum abest, ut perfidiae et periurii poenam luas, ut quo saepius peieraveris eo pulchrior evadas omniumque iuvenum animi invictis illecebris trahantur. Quare tibi non nocet peierasse, sed prodest fallere fidem cum iureiurando. Artificium poetae conspicuum etiam in locis, quae occupant verba *obligasti, perfidum, enitescis, pulchrior, prodis*. — *cineres*] Per suorum mortuorum cineres iurare haud insolitum apud antiquos fuit; Cicer. pro Quintio 31: »obsecravit per fratris sui

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum coelo gelidaque divos
Morte carentes.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

Adde quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova, nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

mortui cinerem.« Tibull. II, 6, 29: »per immaturae tuae precor ossa sororis«; nocturnum coelum et sidera ab amantibus in testimonium vocabantur. — *gelidaque divos morte carentes*] *θεοὺς ἀθανάτους*, quorum potestate improbos aliquando castigari certissimum est.

V. 14. *Nymphae*] in comitatu Veneris. cf. Carm. I, 30, 6. Nymphae ideo *simplices* appellatae videntur, quod cum sua natura ab omni fraude alienae sint, in hac re sibi parum constantes dominae crudelem naturam induunt. — *cruenta*] cos cruenta dicitur, quia sagittae cote acutae vulnera quasi et sanguinem edunt.

V, 17. »Sed non diis solis perfidia tua placet, sed etiam hominibus; quare turba amantium in dies tibi augetur.« vv. 17—20 omnis amantium turba in duas partes dividitur, in eos qui nondum quam sit perfida sunt experti, et in eos qui quamquam illud sunt experti tamen non abstinent. — *servitus*] Omnis pubes, quae crescit, tibi crescit et crescit tibi nova servitus. — *iuvencis*] Inest in hoc verbo imago nobis inusitata, antiquis poetis ad rerum naturam propius accedentibus usitatissima. Inde etiam *aura*. Virg. Georg. III, 250. vide ad Carm. II, 5, 1. — *senes parci*] Scilicet hi timent ne filii nepotesve tibi dediti rem perdant. — *virgines*] Hoc et *puellarum* nomine eae quoque nominantur qui viro iam nupserunt. Vide ad Carm. III, 14, 10. 22, 2. — *miserae*] *προληπτικῶς* positum adiectivum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen IX.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque, nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et foliis viduantur orni.

Carmen IX.

C. Valgius Rufus inter viros ea aetate ingenio doctrinaque eminentes non minima laude floruit (Horat. Sat. I, 10, 82. Tibull. IV, 1, 180: »Valgius, aeterno propior non alter Homero«); nam praeter rhetorica et grammatica studia et scripsit opus de usu herbarum ad Augustum, et tentavit elegias et epica carmina. Et vix dubitandum est, quin idem Valgius fuerit, qui a. 742 senex ad summum honorem consulatus pervenerit. Qui cum Myste, puero dilecto, mortuo nimio se traderet dolori neque quid amisisset lugubribus carminibus lugere unquam desineret, luctui quoque et dolori modum esse ponendum ab Horatio amice monetur. Id cur necessarium sit, docetur exemplis primum ex natura rerum, deinde ex mythis petitis; quorum auctoritas quo efficacior fiat, adiungitur adhortatio, ut aliud sibi Valgius canendi argumentum quaerat ad vitamque animum reducat. Quare caput carminis est in erigendo animo et compescendo dolore. De tempore quo hoc carmen scriptum sit interpretes inter se non consentiunt; nam quamquam ex v. 19 intelligitur non ante annum 727 hoc componi potuisse, quoniam eo anno Octavianus Augusti nomine ornatus est, incertum relinquitur, quid *Niphates* significet, quid *Medum flumen*, quid *Geloni*. Quare alii usque ad a. 734 ascendunt, alii veri similius annum 729 v. 730 designatum vident. Exitus carminis accommodatus est ad locum Virg. Georg. III, 31 sqq., quem Virgilius iam anno 724 scribere potuit.

V. 1. *hispidos*] προληπτικῶς. Ceterum duabus primis strophis quattuor exempla continentur, quibus ostenditur, non semper naturam vexari tristitia temporum; illa autem aequabili particularum (*non — aut — nec — aut*) dispositione inter se coniunguntur; quartum tamen bipartitum est, quod ne in duo diversa distrahatur vetat particula *et* v. 8. Artem poetae admirare etiam in collocatione verborum; in initio primae sententiae posita sunt *non semper*, in fronte alterius *tu semper*; in terminis tertiae habes iterum *at non semper*, contra quae magna cum vi quarta sententia incipit ab imperativo *desine*. — *mare Caspium*] de quo Pomponius Mela III, 5: »Mare Caspium omne atrox, saevum, sine portubus, procellis undique expositum.« — *inaequales*] ob effectum dictae. — *stat*] vide Carm. I, 9, 1. — *Gargani*] montis Apuliae, silvis tecti. Epist. II, 1, 202. — *laborant*] Poetis tota natura vivit; quare arbores pati, sentire iis videntur; inde aptissima verba *laborant* et *viduantur*. — *urges*] quo verbo saepissime et libenter Horatius utitur, ut rem aliquam altera re propinqua vel teneri vel prope teneri indicet, sive moveri possunt res sive non possunt. Itaque *urgere* dicuntur adstantes, adhaerentes, tenentes, premientes, prope se-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente Solem.

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos, nec impubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten

dentes, persequentes, instantes, alii. cf. Sat. I, 3, 135. 69. A. P. 453. Carm. I, 24, 6. I, 15, 23. Epist. I, 14, 26. Carm. I, 5, 2. Sat. II, 6, 29. Carm. II, 10, 2. Quo fit ut de quacunque vi ex propinquo loco non corporibus solum sed animis etiam illata saepe usurpetur. — *flebilibus modis*] cf. ad Carm. II, 1, 40. Modi non tam poetarum quam tibicinum et fidicinum sunt, sonos tamen ad carminum sensus temperantium. cf. Cic. Tusc. I, 44. — *Vespero*] »Stella Veneris ἑωσφόρος seu ψωσφόρος a Graecis, Lucifer a Latinis appellatur, cum solem antegreditur orientem; eadem ἕσπερος, id est vesperus, dicitur, cum solem occidentem subsequitur.« Lambinus. Fuit quem offenderet quod Hesperus et Lucifer, quorum adspectus nisi longo interiecto temporis spatio cogitari non potest, unius eiusdemque diei spatio apparere dicuntur. At non tenentur poetae certis immutabilibusque mathematicorum legibus; fulgida stella placuit; hoc satis excusat rationem, qua poeta ea usus est. Ceterum in uno antiquo codice legitur *rapido fugiente sole*.

V. 13. »At quam diversum est exemplum Nestoris aut Priami qui amatis filiis orbati luctui non semper indulserunt, sed quantumvis senes animum tamen erexerunt ad vitamque et negotia redierunt. Quodsi senes tam firmi erant, quid tibi sit faciendum vides.« — Hanc inter Valgium virili aetate florentem et inter senes imbecillos oppositionem etiam auget muliercularum mollium commemoratio; quam consulto interposuisse poetam inde perspicitur. — *Antilochum*] Odyss. III, 109 sqq. IV, 107. — *senex*] cf. Hom. Il. I, 250. Cic. Cat. mai. c. 10. — *Troilon*] cf. Virg. Aen. I, 474. — *Phrygiae*] Troianae, ut Cassandra, Polyxena, aliae. — *mollium querelarum*] Genitivus positus est ad exemplum graecae linguae (cf. Hom. Il. I, 210), cum latine dicatur desinere aliquam rem et aliqua re. Hor. Carm. II, 13, 38. II, 11, 5. Sat. II, 6, 84. Virg. Aen. X, 441. XI, 280. 126. — *cantemus*] Observanda est duplex verbi *cantandi* coniunctio; nam primum inde suspensus est accusativus (*tropaea — Niphaten*), deinde infinitivus (*Medum — volvere, Gelonos — equitare*). cf. v. *ames* Carm. I, 2, 49 sq. — *rigidum*] glacie adstrictum, nive tectum. Niphates mons est in Armenia, quamquam ex male intellecto loco Virgiliano a posterioribus poetis latinis flumen habitus est, veluti a Lucano, Silio Italico. Lucan. 3, 245: »volventem saxa Niphaten.« Sil. Ital. 13, 775: »Pellaeo ponte Niphaten Adstrinxit.« — *Medumque*] Flumina quoque et tota regio poetis sentire videntur quae accolae patiuntur; populi virtute fracta Medus quoque flumen, olim de accolarum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Carmen X.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque dum procellas

fortitudine superbiens et magnifice fluens, animum reprimit et tristitiam minore aquarum copia quam volvit quasi prodit. — *Medumque flumen*] Medus in Araxen influit prope Persepolin. Ceterum ipsum nomen pro adiectivo habitum. cf. Carm. IV, 4, 38. A. P. 18. Aliter II, 6, 10. Sed quum parvum et obscurum flumen ab hoc loco alienum videatur, rectius fortasse intelligitur *Euphrates*, celebratissimus Medorum sive Parthorum fluvius, de quo Virgil. Aen. VIII, 726 similiter: »Euphrates ibat iam mollior undis.« — *Gelonos*] Scythas, intra certos fines repressos. — *equitare*] cf. Carm. I, 2, 51; aptissimum verbum ad ferocissimam gentem quae equitatu maxime valuit. Cf. Epist. II, 1, 250 sqq. Flor. IV, 12, 20: »Sarmatae patentibus *campis* (Steppen) *inequitant*.«

Carmen X.

Argumentum huius carminis ex eo genere est quod frequentissimum est apud hunc poetam; agitur enim iterum de continentia animi, in qua quantam ille ingenii ubertatem probaverit iusta admiratione amplectimur. Quam Graeci iam philosophi statuerunt doctrinam (*μέτρον ἄριστον*, Cleobulus; *μέτρῳ χρῶ*, Pittacus; *εὐτυχῶν μὲν μέτριος ἴσθι, δυστυχῶν δὲ φρόνιμος*, Periander; *μηδὲν ἄγαν*, Chilon; quibuscum compara haec Theognidis: v. 609 (Welck.) »*Τόλμα, Κύρνε, κακοῖσιν, ἐπὶ κἀσθλοῖσιν ἔχαιρες*,« et v. 675 »*Μηδὲν ἄγαν ἄσχαλλε, ταρασσομένων πολιητέων, Κύρνε, μέσην δ' ἔρχευ τὴν ὁδὸν, ὥσπερ ἐγώ*.«) eandem doctrinam sic tractat Horatius, ut carmen aperiat viamque sibi muniat frequenti illa allegoria, qua humana vita cum navigatione comparatur; tum argumentum ponit v. 5 non nude aut exiliter, sed poetico ornatu quasi vestitum. Nam quod dicit, hoc est v. 5—8: »qui auream mediocritatem diligit, is liber est ab extremis vitiis; vitiosa autem sunt et ea quae iusto sunt minora et ea quae modum excedunt.« Illud cum per se pateat, hoc quod vitiosum esse non omnes intelligant tribus exemplis v. 9—12 illustratur. Iam versu 12 superior pars carminis, quod totum viginti quattuor habet versus, finem habet; altera pars, item duodecim versus complectens, de alia quidem virtute agit sed ea cognata et quae radices quasi agat in mediocritate. Qui mediocri rerum condicione est contentus, is ad quamcunque fortunae vicissitudinem paratus est. Quae res sic illustratur. »Cui de praestantia mediocritatis persuasum est, is cum adversis rebus utitur, sperat secundas; cum secundis, metuit adversas, neque unquam subita rerum mutatione opprimitur, cum omnia in hac terra mutabilia esse sciat.« Sed exemplo ex natura rerum sumpto ostenditur (vv. 15. 16), ne hominum quidem vitam continuis procellis agitari (v. 17); cuius doctrinae veritas egregie augetur vv. 18—20 altero Apollinis exemplo, qui interdum hilaris ac mitis non semper pestiferum arcum tendit. Extrema strophа poeta redit ad primae inferioris partis strophae sententiam, sed ita redit, ut imagine quoque navigationis iterata ad totius carminis initium

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cautus horrescis nimium premendo
Littus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.

per orbem reveniat. In carmine observa praecepta et exempla certo ordine inter se excipere; dicendi genus ad rem accommodatum, placidum et tranquillum. A. Terentius Varro Murena, etiam Licinius Murena dictus, filius fuisse videtur L. Licinii Murenae, cuius causam Cicero egerat. Hic cum bellis civilibus paterna bona amisisset, summam fratris (vel fratris patruelis, ut alii putant) Proculeii (vide Carm. II, 2, 5) benevolentiam expertus est. Ab Augusto magni aestimatus Salassios in Alpibus habitantes superavit et a. 731 consul creatus est. Anno autem insequenti inita cum Fannio Caepione coniuratione capitis damnatus est. — Quo anno carmen scriptum sit dici nequit. Fluctuant interpretes inter a. 724. 728. 731.

V. 1. *Rectius*] quam si contrariam rationem sequaris. — *nimium premendo*] Sic coniungenda esse vocabula caesura ostendit. — *iniquum*] propter vada et scopulos. — *tutus*] In hoc adiectivo et in altero *sobrius* summa sententiae vis posita est; nam hoc est, quod mediocritate paratur, et quod tuti sumus a molestiis inopiae et quod non superbimus nimiis fortunae beneficiis. cf. Carm. I, 37, 11. Praeterea nolim praetermittas artem in positione verbi *caret* conspicuam; deinde versus 6 et 7 miro modo ita compositos vides, ut iisdem locis collocata verba eundem ambitum habentia easdem efficiant caesuras. Omnia praeclarae huius strophae vocabula tanta arte disposita sunt, ut ne unum quidem sine communi omnium detrimento loco possit moveri. — *et celsae*] Notandus usus particularum; alterum exemplum *et* particula adiicitur, tertium non minus diversum particula *que*. Quod satis apud hunc poetam frequens est in rebus *tripartitis*, quem ipsum numerum in deliciis habuit Horatius. cf. Carm. I, 1, 23. I, 14, 4 sqq. I, 18, 14 sqq. I, 24, 6. I, 28, 1. I, 29, 1—5. I, 35, 33 sq. II, 2, 21 sq. II, 3, 17 sq. II, 6, 7 sq. II, 8, 9—12. II, 11, 14—17. II, 12, 5 sqq. II, 14, 3 sq. 17 sqq. II, 19, 25 sq. II, 20, 9—12. Non nomina solum sed etiam sententiae hac ratione copulantur. Sic hoc loco et I, 29, 1—5 et II, 20, 9—12. Quare non est probanda altera lectio *excelsae*. Et cf. Claudian. in Rufin. I, 22: »Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.« — *ingens*] cf. Carm. II, 3, 9. Ad totam sententiam compara Herod. VII, 10: »*ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει· ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει τὰ βέλεα· φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.*« Alii non bene pro *saepius* ex parva auctoritate praetulerunt *saevius*. — *fulgura*] »*Fulgur* proprie est splendor fulminis. Sed ex auctoritate codicum et Hieronymi quater sic afferentis v. *fulgura* retinendum: nam *fulgur* idem saepe notare ac *fulmen* apud Virgilium, Plinium, Tacitum cet. adeo notum est, ut exem-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iuppiter, idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

plis id probare minime hic necesse sit.« *Bentl.*

V. 13. Inde ab hoc loco usque ad finem oratio sententiarum plena et brevior et nervosior est quam in superiore parte. Quae simillima sunt et inter se proxima, ea ne minimo quidem externo vinculo vinciuntur, immo vero brevitas dicendi augetur figura asyndeti, quo bene usus est versu 13. — *praeparatum*] Senec. ep. 18: »In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparat, et contra iniurias fortunae inter beneficia firmatur.« — *informes*] Epitheta eiusmodi ex personificatione quam dicimus nascuntur. — *olim*] adverbium hoc cum factum sit ex pronomine ollus (= ille), diversum a praesenti tempus ostendit, nihil aliud. Inde triplex eius est usus; primum de infinito tempore quo quid factum est aut fieri solet usurpatur, ut frequenter reperiatur in fabellis et exemplis: Hor. Carm. IV, 4, 5. Epod. 3, 1. Sat. I, 1, 25. II, 6, 79. Epist. I, 3, 18. I, 10, 42. II, 2, 197; deinde cum praesenti tempori aut praeteritum opponatur aut futurum, utrumque hoc adverbio indicatur; praeteritum saepissime: Carm. I, 10, 9. III, 11, 5. IV, 9, 9. Epod. 14, 7. Sat. I, 3, 35. 46. I, 4, 57 cet., futurum: praeter hunc de quo agitur locum Sat. I, 4, 137. I, 6, 85. II, 5, 27. — *quondam*] Adverbium hoc est adiectivi *quidam*; quo cum res significetur, quae qualis sit accurate non definitur, efficitur ut *quondam* adverbio non magis certum temporis momentum ostendatur. Quare eius usus non minus late patet quam *olim* adverbii; de infinito tempore, ut sit *interdum*: hoc nostro loco, tum Virg. Aen. II, 367. Georg. IV, 261; de futuro tempore: Hor. Sat. II, 2, 82. Virg. Aen. VI, 877; de praeterito saepissime. — *cithara*] Sic scribendum ex optimis codicibus, non *citharae*. cf. Carm. IV, 15, 1 sq. Gratissima haec est imago, qua Apollo pulsa lyra Musam ad canendum excitat. Quam voluerit Horatius Musam, supervacaneum est quaerere; sed ne dubites, vide quid legatur A. P. 406. Ad rem legendus est Homerus Il. I, 43 sq. et 601 sqq. — *atque*] Ne in ultimo loco versus posita particula offendaris, vide Carm. III, 11, 18. Epist. I, 18, 41. — *idem*] cf. supra v. 16. — *vento nimium secundo*] quoniam navicula eo potest agi, ubi vadis et scopulis circumdata et summis periculis opposita est. Haec autem velorum contrahendorum imago latinis poetis est usitatissima.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XI.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere nec trepides in usum
Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis neque uno Luna rubens nitet

Carmen XI.

»Dum quae remota sunt spectas, cave ne proxima perdas; dum futura curas, ne praesenti vitae usu priveris; omnino noli quod tuum non est quaerendo haud necessarios tibi parare labores, immo quos tua tibi obiecit sors eos tu sapienter imminuere stude ac lenire.« Medium carmen (vv. 11. 12) summam sententiam aperit. Ab initio quieto et tranquillo surgit sensim oratio usque ad medium carmen; inde interrogationes et omnia dicendi natura calidiorem animum produnt, qui non contentus quam vera sint illa praecepta intellexisse statim usum eorum et fructum cupidissime petit. Carmen *Peerlkampio* adeo displicuit, ut Horatio indignum haberet, *Meinekio* contra orationis castitate, imaginum venustate sensuumque veritate prae ceteris commendatur. — Quis fuerit Quintius Hirpinus nescimus; eundem hunc esse ad quem est Epistola I, 16 alii aiunt alii negant. Quo fere tempore carmen sit scriptum, eius vestigia latent in Cantabrorum et Scytharum commemoratione et canis Horatii capillis (cf. v. 15 et Vit. Hor. p. 16 not. 63); utraque res annos ostendit 728—730.

V. 1. *Cantaber et Scythes*] Cantabri occidenti, Scythae orienti soli subiecti, a media Italia longissime remoti. — *Hirpine Quinti*] inverso nominum ordine, ut Carm. II, 2, 3. — *Hadria divisus obiecto*] Haec ad Scythas solos sunt apta; quo tamen alterum mare obstare Cantabris haud difficulter intelligitur. — *remittas*] Compositum verbum pro simplici positum, ut aiunt; sed non temere id factum est. Sic enim quae animo fiunt oculis quasi subiiciuntur, et lumen aliquod accedit orationi. Inde frequens eius particulae *re* apud Horatium usus. — *nec trepides*] Carm. I, 9, 15. I, 11, 3. Cetera sic inter se excipiunt: »nec trepides aevi pauca in usum poscentis.« Qui *in usum trepidare* coniungunt, latino exemplo destituti in auxilium vocant locum Sophocl. Oed. R. 980: »εἰς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νυμφεύματα,« atque interpretantur *anxie providere usui*. Sed cf. Tacit. Hist. IV, 60: »absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque *in usum* necessitas vertit.« cf. ad Carm. II, 9, 17. Virg. Aen. XII, 589 »trepidae rerum.« Sil. XII, 13 »trepidique salutis.« — *aevi*] cf. ad Carm. II, 2, 5. — *levis*] Carm. I, 2, 38. Iuvenile corpus imprimis molle est ac tenerum, senile aridum et siccum; quae quam sint opposita, poeta artificiose indicavit altero epitheto in initio, altero in fine versus posito. — *facilemque somnum*] qui facile obrepit nec vigiliis interrumpitur. Sic Carm. III, 21, 4; quocum conferas Carm. II, 16, 15.

V. 9. Sed nihil est quod perpetuum sit aut vicissitudini non obiectum: quid tuus animus aeternitatem quaerit rerum, cui par esse nequit? — *rubens*] de splendore si-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vultu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna dic age cum lyra
Maturet in comptum Lacaenae
More comas religata nodum.

derum, ut Propert. 1, 10, 8: »Et mediis coelo Luna ruberet equis.« — *quid aeternis*] Constructio ἀπὸ κοινοῦ, frequentissima apud Horatium; *aeternis consiliis fatigas* et *aet. cons. minorem* — *vel hac*] prima quaque quae offertur, quam videre iam sibi videtur poeta. Platanus autem et pinus nominantur propter densam et amplam quae earum ramis diffunditur umbram. — *sic temere*] His verbis eadem negligentia exprimitur quae illo pronomine *hac*; ut fors tulerit, dum nil paramus, nil curamus; Graeci οὕτως. — *rosa*] sertis roseis. De singulari numero vide ad Carm. I, 5, 1. — *dum licet*] cf. Carm. II, 3, 15. — *Assyriaque nardo*] vide ad Carm. II, 7, 7. IV, 12, 16; de nardo locus est gravissimus apud Plinium H. N. XIII, 3: »Haec est materia luxus e cunctis maxime supervacui. Margaritae enim gemmaeque ad heredem tamen transeunt, vestes prorogant tempus: unguenta illico exspirant ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes. Exceduntque quadragenos denarios librae. Tanti emitur voluptas aliena.« Ceterum Acron.: »notandum, quod *nardum* genere feminino posuerit;« Porphyr.: »adnotandum, hic nardum feminino genere dici.« cf. Epod. 5, 39. 13, 9, ubi neutrum genus legitur. *Hauthalii* ad Acron. (vol. I. p. 197) sententia, feminino genere aquam nardinam, neutro unguentum indicari, vix cuiquam placebit, nam etiam apud Ovid. A. A. III, 443 »Nec coma vel fallat liquido nitidissima nardo« scribendum et unguentum liquidum intelligendum est. Aromata Indica per Assyriam, Mesopotamiam et Syriam deportabantur.

V. 17. *curas edaces*] Carm. I, 18, 4. — *puer*] servus, minister. — *restinguet*] temperabit; sed positum est verbum ad ardorem nobilissimi Falerni propius accedens. Cf. Iuven. 10, 27: »lato Setinum (vinum) ardebit in auro.« — *devium*] habitans in devia domo, non vulgare. — *in comptum Lac.*] Ordo verborum est: comas religata in comptum nodum more Lacaenae, i. e. capillis Lacaenarum more in simplicem nodum religatis. Non opus est ornare eam splendide capillos, sed veniat »simplex munditiis.« cf. Carm. III, 14, 17—24 et ad Carm. I, 33, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XII.

Nolis longa ferae bella Numantiae
Nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharae modis
Nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu

Carmen XII.

Et re et consilio hoc carmen comparari potest cum sexto primi libri. Nam cum ostenditur, gravibus rebus, bellis et heroum praeclaris facinoribus non aptam esse lyram, Caesaris autem res gestas melius ab ipso Maecenate pedestri oratione describi posse quam a poeta tantae materiae haudquaquam pari, promittit Horatius sua carmina Maecenati non defutura, sed celebratura esse venustatem Licymniae et gratas rixas amantium. — Septem strophārum media (v. 13—17) quasi totius carminis fastigium est. In ceteris quoque strophis raram artem admiramur; nam cum bella militum et virtutes Caesaris in priore parte virtutibus Licymniae et bellis puellarum per chiasmi figuram opponantur, orbis quasi a bello ad bellum describitur; deinde uti a bellis per mythica facta ad Caesarem per tres strophas ascenditur, sic a Licymniae laudibus per mythicos Achaemenem et Mygdonem totidem descenditur ad muliebria bella. *Licymnia* Horatii amica, ut nonnullis placuit, esse non potest; obstat totius carminis ratio et natura; nec magis assentior aliis, qui libertam esse voluerunt a Maecenate amatam; obstare videtur et gravitas Maecenatis et festus dies Dianae (v. 20), a cuius choro prohibebantur libertae. Est igitur ipsa *Terentia*, Maecenatis uxor. Sed malim sponsam quam in matrimonium iam ductam. Nam a dignitate matronae abhorret ultima stropha. Cum verisimile sit, non diu ante a. 732 Terentiam Maecenati nupsisse, suspicor a. 730 vel 731 carmen scriptum esse; neque impedimento est nomen Caesaris (v. 10); nam etiam in carminibus post a. 727 scriptis, quo anno Octavianus *Augusti* nomen accepit, Caesaris nomen reperitur; cf. III, 14. IV, 2. IV, 5. IV, 15.

V. 2. *durum*] Sic in optimis, ut videtur, codicibus et editionibus; et recte quidem, nam durus Hannibal haudquaquam invenustam oppositionem efficit v. *mollibus*, sed exquisitam et gratam. Deinde *dirus*, quod hic quoque alii libri praebent, aliis locis magis aptum est quam huic, ut Carm. IV, 4, 42, ubi omnes Orelliani codices, in quibus hic est *durus*, alterum *dirus* concordes tenent. Sequamur igitur codices tertio quoque loco, Carm. III, 6, 36 *dirum* lectionem sua auctoritate sustinentes. Neque huic rationi desunt veteres editiones. Hic (III, 6, 36) igitur est locus quem significasse videtur Quintil. VIII, 2, 9: »Quo nihil inveniri possit significantius; ut Horatius *acrem tibiam, Hannibalemque dirum*.« — *Siculum mare* etc.] in his poeta significat Duillium eiusque victoriam navalem. Eadem tangitur Carm. III, 6, 34 iisdem prope verbis. Ad v. *purpureus* cf. Ovid. Met. XII, 111. Virg. Aen. IX, 349.

V. 5 sqq. *Lapithas*] cf. ad Carm. I, 18, 8 sq. Duo afferuntur exempla, Centauromachia et Gigantomachia; quae cum non opponantur inter se, nihil mutandum videtur. Alii contra codd. *domitosve*. De Hylaeo cf. Virg. Georg. II, 456. Ovid. Met. XII, 378. — *Herculea manu*] Iuppiter enim ad certamen contra Gigantes Herculem socium sibi assumpsit. *Telluris iuvenes* graece sunt γηγενεῖς. — *unde*] De persona hoc dictum, ut graecum ὅθεν. Cuius rei exempla

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris; tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;
Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare ioco nec dare brachia

haec apud Horatium: Carm. I, 12, 17. I, 28, 28. III, 11, 38. Sat. I, 2, 58. 78. II, 6, 21. Deinde verba *unde periculum* ita dicta sunt, ut in pedestri oratione participium aliquod desideretur, veluti *motum*. Quamquam apud optimos etiam scriptores pedestres ea nominum per praepositiones coniunctio haud ita rara est ut vulgo creditur; nam dicitur latine: homo de plebe, bellum a Volscis, ex sermone rumor, versus de Philocteta: quae omnia huic Horatiano simillima sunt. — *contremuit*] verbum intransitivum cum accusativo coniunctum. Sic Virg. Aen. III, 648.

V. 9. *tuque*] *que* partic. opponendi facultatem habet post negans verbum et est utique referenda ad v. 1 *nolis*; cfr. Carm. I, 2, 45. 27, 16. II, 20, 4. IV, 15, 25. — *pedestribus*] Inter scriptores qui supersunt Horatius primus hoc v. usus esse dicitur ad Graecorum imitationem, πεζὸς λόγος. Locus communis, quem Orellius vidit, a natura carminis mirum quantum discrepat, nec spernendum est illud, quod *Servius* ad Virg. Georg. II, 42 tradit: »Constat Maecenatem fuisse literarum peritum et plura composuisse carmina; nam etiam Augusti Caesaris gesta descripsit, quod testatur Horatius dicens *tuque pedestribus dices historiis proelia Caesaris* cet.« Neque illud sufficit, quod *Ritterus* excogitavit, dicere Horatium de re quae fieri *possit*, non de ea, quae *fiat*. Maecenatem scribendi consilium cepisse, certum est. — *ductaque*] *que* part. coniungit victorias et triumphos. — *per vias*] quas sequi solebat pompa triumphalis a Campo Martio per portam triumphalem et sacram viam ad aedem Iovis optimi maximi in Capitolio. cf. Carm. IV, 2, 35. Epod. 7, 7 sq. — *regum colla*] Pro regibus eam corporis partem bene posuit quae in hoc periculo praecipue agebatur; quippe colla captivorum ducum catenis onerata erant, mox secabantur vel laqueo frangebantur. — *minacium*] Hoc aptius ad rem quam quod in aliis legitur codicibus *minantium*. cf. IV, 3, 8. Epist. II, 1, 191.

V. 13. *Licymniae*] Poetae Latini cum vero nomini fictum subiicerent, eam legem observarunt, ut formam nominis quam accuratissime redderent syllabarum et numero et natura. — *lucidum fulgentes*] In eiusmodi elocutionibus (cf. Carm. I, 22, 23. II, 19, 6. III, 3, 17. III, 27, 67. Sat. I, 8, 41) neutra adiectivorum genera usurpantur, si non solum qualis res sit indicandum est, sed exprimitur simul quid ipsa re quasi efficiatur. Sic h. l. oculi tantopere fulgent ut lucere videantur. — *bene*] i. e. plane. Sic Sat. I, 3, 61. Cic. Tusc. II, 19. Coniunge *bene fidum*, ut apud Ovid. Trist. I, 6, 13: »rebus male fidus acerbis.« — *dedecuit*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.
Num tu quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos,
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet?

Carmen XIII.

Ille et nefasto te posuit die,

De perfecto vide ad Carm. I, 1, 4. — *Dianae celebris die*] Dianae dies festus erat Idibus Augusti, quo die choros ducere non licuit nisi ingenuis virginibus. cf. ad Carm. IV, 6, 31.

V. 21. *Achaemenes*] primus dicitur fuisse Persarum rex; unde Achaemenidarum gens originem duxit. — *Mygdonias*] Phrygia magna a Mygdone Mygdonia appellata est. cf. Hom. Il. III, 185. Hor. Carm. III, 16, 41. — *permutare*] vide ad Carm. I, 17, 1. — *crine*] pro crinibus. In quibus cum haud exigua pars pulchritudinis cernatur, poetice omnis venustas corporis assumitur. — *Arabum*] cf. Carm. I, 29, 1. — *detorquet*] de caesura vide ad Carm. I, 18, 16. — *poscente magis*] Iam eo quidem conspicitur Licymniae facilis saevitia, quod oscula negat, quantumvis si sibi eripiantur maiorem etiam ex iis percipiat voluptatem quam sponsus, qui frustra poposcit. Scilicet ante negata sua sponte offert. Caesurae vis prohibet quominus — id quod alii fecerunt — *magis* a *poscente* separetur et ad *gaudeat* pertrahatur. — *occupet*] Cum infinitivo hoc verbum coniunctum, ut Graecum *φθάνειν*. cf. Hor. Epist. I, 6, 32. I, 7, 66. Liv. I, 30. I, 14. Ceterum in asyndeto inest quaedam gradatio. Coniunctivus *occupet* optimorum codicum auctoritate et orationis concinnitate commendatur; alii *occupat* scripserunt ad particulam *dum* non sine molestia redeuntes.

Carmen XIII.

Olim cum Horatius in agro suo Sabino ambularet vel in prato sederet, cadente arbore paene oppressus est. Qua pietate erat, in hac re non incertum casum sed divinam manum vidit; quare quid tunc sensisset praeclaro hoc carmine explicavit. Summa carminis sententia cernitur in praestantia poesis, quae, cum hominibus omnibus incerta fata imminent, id tamen habet consolationis, ut qui eam colant etiam apud inferos magna se fructuros laude et veneratione sciant. Quod quomodo in duas partes dividatur, vides; alteram de caecis humani generis fatis ab initio usque ad medium versum (v. 20), alteram de consolatione poeticae facultatis a medio usque ad ultimum versum descripsit Horatius. Utramque partem ex calamitate, qua paene est oppressus, ut ex communi quasi fonte ducit (v. 1. 21). — Ex reliquis locis, quibus periculi illius

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi:
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha
Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis

mentio fit, satis probabiliter intelligi potest, quonam id anno factum videatur. cf. Carm. II, 17. III, 4. III. 8. Hoc enim carmine (III, 8) invitat Maecenatem ut ad se veniat Kalendis Martiis, quo ipso die anni superioris cadente arbore paene exstinctus sit. Ex rerum autem quas ibi intexuit commemoratione concludi posse videtur, scriptum illud esse a. 730. Nam Cantabri a. 728 et 729 devicti sunt, Augustus ex Hispania reversus a. 730 Iani templum clausit; deinde bella inter Phraatem et Teridatem bene commemorantur, quoniam a. 729 Teridates a Phraate pulsus ad Augustum in Hispaniam confugerat; tum Daci a. 725 et 726 ita erant victi, ut M. Crassus a. 726 de iis triumpharet; Scythae denique legatos ad Augustum in Hispaniam miserant a. 729, de qua re *Orosius* VI, 21: »hunc (Augustum) apud Hispaniam supplex cum gentilitio munere Eous Indus et Scytha Boreus oravit. Cantabrico bello per quinque annos acto totaque Hispania in aeternam pacem cum quadam respiratione lassitudinis reclinata ac reposita Caesar Romam rediit.« Cfr. Sueton. Aug. c. 21. Ante a. 729 non licuit scribere Cantabros *sera domitos* esse *catena*, quibus verbis expeditio Statilii Tauri a. u. 724 in Cantabros facta celebrari non potuit, uti Rittero visum est cum Lachmanno ad Frank. Fast. Hor. p. 240. Ita efficitur, ut C. III, 8 a. 730 scriptum credamus, hoc de quo nunc agitur a. 729 vel ipsis Kalendis Martiis vel paucis diebus post compositum esse, eodem anno Maecenatem aegrotasse (C. II, 17). De Cantabris lege Livium XXVIII, 12.

V. 1. Exsecratio arboris et eius qui eam plantavit per tres strophas continuatur, cuius demonstrativa pars ipsa tripartita tribus pronominibus *ille* indicatur, relativa additur v. 10; quattuor singulae partes iterum in duas dividuntur; ut hunc habeamus ordinem verborum: *ille*, quicunque primum te posuit, *et* nefasto die te *posuit et* sacrilega manu *produxit*, *ille* tam nefarius haud dubie fuit, ut *et* parenti *et* hospiti, quibus sanctius nihil est, manum inferre non dubitaverit, etiam eo progressus est malitiae, ut *et* venena tractare *et* quaecunque nefanda sunt perpetrare ausus sit *ille*, qui *te*, triste lignum, quod casurum eras in domini caput immerentis, meo agro statuit. — *venena Colcha*] quibus usa olim est Medea venefica. Epod. 17, 35. — *caducum*] casurum. Virg. Aen. X, 622. Ovid. Met. IX, 651.

V. 13. Talia, inquit Horatius, cum facta sunt, docemur quam hominibus nihil sit certum, nihil securum; undique pericula imminent, et maxime unde non metuuntur. — *in*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cautum est in horas: navita Bosporum
Poenus perhorrescit neque ultra
Caeca timet aliunde fata,
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum
Sedesque discretas piorum et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus

horas] Nam quaque hora unde periculum impendeat nesciunt. — *Bosporum*] aestuosum fretum Byzantinum. cf. Carm. III, 4, 30. — *navita Poenus*] Phoenices significantur, non Karthaginienses; illi autem navigatione et mercatura nobiles. Lachmannus ex coniect. *Thynus*, quem secuti sunt Hauptius et Meinekius; cf. ad Carm. III, 7, 3. — *timet*] Ultima syllaba caesura et arsi producitur; quapropter opus non est coniecturis *timetque, timetve*, praesertim cum veri simile videatur, syllabas *at, et* in eiusmodi formis antiquis temporibus longas fuisse; cf. ad Carm. I, 3, 36. II, 6, 14. III, 5, 17. 16, 26. Sat. II, 2, 47. I, 5, 90. II, 3, 147. II, 1, 82. — *sagittas et celerem fugam*] Parthi fugientes in insequentes hostes sagittas tendunt, fugientes magis metuuntur quam impetum facientes. cf. Virg. Georg. III, 31. Statius Silv. I, 4, 78 »arcuque horrenda fugaci Armenia. — *Italum robur*] Adiectivum Italum non minus ad catenas referendum; de qua re vide ad Carm. II, 6, 21. *robur* i. e. Romanos milites robustos et fortissimos. cf. Liv. IV, 46, 6: »duces legatique et quod circa signa *roboris* de exercitu fuit.« Caes. b. c. III, 87, 5. Tacit. Hist. I, 87: »Addiderat plerosque e praetorianis, vires et *robur* exercitus.« Liv. VII, 7: »octo cohortes, lecta *robora* virorum, scribuntur.« Hi qui contra hostem *stant*, ponuntur contra *fugam* Parthorum. Alii minus recte carcerem roboreum (Sall. Cat. 55) his verbis significari voluerunt. — *rapuit rapietque*] cum fieri aliquid quovis et continuo tempore dicendum est, verbi tempora praeteritum vel praesens et futurum coniunguntur. Sic apud Horatium Carm. IV, 2, 38. Epist. I, 2, 43. Virg. Aen. VI, 617. Liv. XXV, 38. Plin. Epist. II, 1 »vivit vivetque«, Vell. Paterc. II, 66 »vivit vivetque.« Liv. IX, 19. Lucil. apud Quintil. I, 6, 8 »fervit aqua et fervet; fervit nunc, fervet ad annum.«

V. 21. *furvae*] atrae; vocabulum illud antiquum et sublime. Apud inferos autem omnia atra. — *Proserpinae*] Prima syllaba h. v. ab aliis producitur. Cf. Carm. I, 28, 20. Sat. II, 5, 110. — *Aeacum*] cf. Plat. Gorg. 524. A.: »οἵτοι οὖν ἐπειδὰν τελευτήσωσι, διχάσουσιν ἐν τῷ λειμῶνι, ἐν τῇ τριόδῳ, ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδώ, ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς τάρταρον· καὶ τοὺς μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Ῥαδάμανθυς κρινεῖ, τοὺς δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακός. — *Sappho*] Vulgaris accusativi forma. Fuit autem Sappho Lesbia, Aeolia. cf. Carm. IV, 9, 12. — *puellis*] quod amori suo nollent obtemperare. — *plenius*] ob maiorem rerum dignitatem et gravitatem Alcaei; cf. Carm. I, 32, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbrae dicere; sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
Aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono,
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

— *plectro*] vide ad Carm. II, 1, 40. De Alcaeo Quintilianus X, 1, 63: »Alcaeus in parte operis *aureo plectro* merito donatur, qua tyrannos insectatus multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens et plerumque Homero similis: sed in lusus et amores descendit, maioribus tamen aptior.« Et ipsa Sappho apud Ovid. Heroid. 15, 19: »Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque, Laudis habet, quamvis grandius ille sonat.« De versu 27 compara Indicem metrorum. — *sacro silentio*] Sacra silentio agebantur; poetarum cantus eodem quo sacra silentio digni. In ceteris graece coniunge: mirantur dicere pro *admirantur cum dicant*. Brevitas in eloquendo poetis aptior. — *bibit aure*] de cupiditate audiendi, ne quod verbum perdatur. Sic Ovid. Trist. III, 5, 14: »auribus illa bibi.«

V. 33. *Quid mirum, ubi*] Umbras virtute poetarum delectari non est mirandum, cum beluae ipsae carminum blanditiis mulceantur. — *demittit aures*] Cerberus perpetua vigilantia aures arrectas habet; carmina efficiunt ut quid sit suum paulisper oblitus aures demittat. Sic quae angues in Eumenidum capillis perpetuo motu aguntur, ne unquam mala sceleratorum conscientia placetur, eae etiam dulcedine cantus *recreantur* i. e. desistunt a movendo et stimulando; qua re indicatur, etiam malos paulisper criminum et poenarum oblivisci et recreari. Ceterum Cerberus vulgo triceps habetur, apud Hesiodum *πεντηκοντακάρηνος* est. Simillimus locus est Hor. Carm. III, 11, 17—29. Sic haec cum insequenti Promethei et Tantali exemplis facillime congruunt. — *laborum decipitur*] Graece haec coniuncta sunt ad similitudinem verborum obliviscendi et cessandi: ea enim inest huic verbo generalis notio: sua sponte oblivisci ut qui obliviscatur ipse vix sentiat. cf. ad Carm. II, 9, 17. — *Orion*] magnus dum vixit venator. Solent autem umbrae quae in vita erant studia apud inferos persequi. Sic Hom. Od. XI, 571. cf. Virg. Aen. VI, 561 sqq. Ovid. Met. IV, 445. Hor. Carm. III, 4, 71. — *angues, lyncas*] Solent haec nomina feminino genere usurpari; non dubium tamen quin Horatius masculinum posuerit, quod Priscianus diserte ex h. l. affert. Optimi etiam codices masculinum genus tuentur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XIV.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni nec pietas moram
Rugis et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti;
Non, si trecenis quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus
Quicunque terrae munere vescimur

Carmen XIV.

Quis Postumus fuerit, ad quem hoc carmen Horatius scripsit, nescimus. Infirmis enim rationibus ducuntur, qui eundem esse Postumum putant, ad quem Propertius libr. III (IV) eleg. 12 scripsit; is a. 732 Augustum in Asiam et Syriam secutus est, Aelia Galla uxore Romae relicta. Utut est, hoc certum videtur, poetam non voluisse vituperare amicum, sed expromere suas ipsius animi cogitationes. Conqueritur enim de brevitate vitae, de necessitate moriendi, de inanitate inferorum. Omnia tamen a solita animi hilaritate Horatii magnopere recedunt et tristitiam quandam sapiunt, quam semper ab animo suo excludere ne huic quidem contigit. — Media stropha huius quoque carminis ostendit caput rei, quod sic illustratum videbis: Neque innocentia vitae (1—4) neque sacrorum multitudine a communi humani generis sorte te vindicabis (4—12); nam aliqua ratione mors obeunda est (13—16). Ad inferos detrudimur (17—20), relinquimus omnia quaecunque in hac terra cara habemus (21—24), iisque potientur post nostrum discessum heredes carissima nobis quaeque profundentes (25—28). — Quonam anno haec poeta scripserit dici nequit.

V. 1. Quo animo fuerit poeta cum haec scriberet, prima statim querula prodit vocula *eheu*; neque aliena ab hoc animo anadiplosis est *Postume, Postume.* — *labuntur*] ut ipsi vix sentiamus, imagine de labentibus aquis, quarum motum oculorum acie vix cernas, petita. Iisdem prope verbis Ovidius Fast. VI, 771: »Tempora labuntur tacitisque senescimus annis.« — *rugis*] animadverte tres partes particulis *et, que* coniunctas. — *quotquot eunt dies*] poetice pro *quotidie. Ire* autem de temporum aequabili motu frequens verbum. Carm. IV, 5, 7. Epist. II, 2, 55. — *trecenis*] Liv. XXII, 10 »bubus Iovi trecentis fieri votum est.« In plurima parte optimorum codd. scriptum est *tricenis*, quod metrum non fert. — *illacrimabilem*] cf. Carm. II, 3, 24. — *ter amplum*] Ad comparationem hoc epitheton factum; nam cum ter amplus Geryon dometur, quomodo nos effugiemus? Geryon, Chrysaoris et Calirrhoës filius, ingentis magnitudinis monstrum, ab Hercule olim superatus; qui ut a Graecis τριχάρηνος, τριασώματος sic latine ab Horatio *ter amplus*, ab aliis ter geminus, tricorpor, tripectorus appellatur. — *Tityon*] vid. Hom. Od. XI, 576. cf. Virg. Aen. VI, 595. Is Terrae fuit filius. Hor. Carm. III, 4, 77. III, 11, 21. IV, 6, 2. — *terrae munere*] In hac mortalitatis significatione imitatus est poeta Homerum, quem vide Il. VI, 142. XIII,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
Frustra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:

Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum quas colis arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus et mero

322. Od. VIII, 222. Et Simonides ap. Schneidewin. del. p. 380: »εὐρυέδους ὅσοι χαρπὸν ἀνύμεθα χθονός. — *enaviganda*] De caesura h. v. vide Indicem metrorum. *Enavigare* proprie navigando exire, h. l. navigando traiicere.

V. 13. Frustra homines consilio et prudentia mortem vitare student; obeunda semel est. Illud autem studium duplex est, aut cum quae vitae subita parant pericula iis abstinemus (Mars — fluctus Hadriae), aut cum cavemus ne malo coelo et febribus sanitas corporis perdatur (v. 15. 16). Sic poeta coniunxit quaecunque extra nos posita infestum impetum quasi faciunt in sanitatem et vitam; reliqua quibus ipsi mortem acceleramus, non potuit commemorare; scilicet haec saepe sunt, propter quae illis frustra caremus. — *carebimus*] Bene Meinekius: »Non debebat hoc in corruptelae suspicionem vocare Peerlkampius, qui Waddelii coniecturam probat *frustra a cruento Marte cavebimus*. Debebat certe *frustra cruento a Marte cavebimus*. At verbo *carere* sic ut hoc loco usus est Horatius etiam Epist. I, 1, 42.« cf. Carm. II, 10, 7. — *fractisque*] Scopulis franguntur fluctus, inde raucus fragor. Vide tamen quam egregie etiam verborum sonum ad rerum duritiem composuerit Horatius. — *corporibus*] Dativus obnoxius est potestati utriusque vicini verbi. De austro et auctumno cf. Iuven. 4, 56: »iam letifero cedente pruinis Auctumno.« Plin. H. N. II, 47: »noxius auster et magis siccus, fortassis quia humidus frigidior est.« Hor. Sat. II, 6, 18. — *flum. lang. errans*] languide fluens. Compara de Cocyto Virg. Georg. IV, 478. Aen. VI, 132. — *Danai genus*] cf. Carm. III, 11, 22 sq. — *Sisyphus*] Hom. Od. XI, 592. — *damnatus longi laboris*] Qui genitivi casus natura quae sit perspexerit, eum haec non offendent. Nam *damnare* cum haud procul absit ab *aestimando*, nisi quod illud poenam, hoc pretium habet, nihil est quod quominus illud quoque genitivum quasi pretii adsciscat possit impedire.

V. 21. *Linquenda*] cf. Carm. II, 3, 17. — *cupressos*] quae *invisae* di-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore coenis.

Carmen XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu platanusque caelebs

cuntur quia *funebres* sunt, Epod. 5, 17, et *ferales*, Virg. Aen. VI, 216. Cupressus enim Plutoni sacra ante domum funestam, circa rogum, ad sepulcrum ponebatur. — *brevem*] cf. Carm. II, 3, 13. — *dignior*] sc. quam tu. Sed inest tristis quaedam et acerba ironia in hoc epitheto, cum ipse bene viderit, quo remedio haec vitae brevitas optime possit sanari. — *superbo*] Sic ex optimis codicibus scribendum. Reliquae lectiones *superbum*, *superbus*, *superbis* merae sunt coniecturae eorum qui vino duplex epitheton (superbo — potiore) invideront. Sed confer supra v. 18. Cocytum, tum lupam Carm. III, 27, 2. De tetra vini profusione in epulis heluonum cf. Cic. Philipp. II, 41: »natabant pavimenta vino, madebant parietes.« Petron. 38: »plus vini sub mensam effundebatur, quam aliquis in cella habet.« Vitruv. VII, 4, 5: »In conviviis Graecorum hibernaculorum et quod poculis et pytismatis effunditur, simul cadit siccescitque.« — *Pontificum pot. coenis*] potiore quam esse solet in lautis pontificum epulis: quae in proverbium videntur abiisse. Neque aliter Carm. I, 37, 2 *Saliares dapes*.

Carmen XV.

Continet hoc carmen iudicium Horatii de nimia suae aetatis privata luxuria, publica parsimonia. Nam cum privati homines amplissima aedificia exstruerent, cum tam fastidiosi essent Romani ut naturam locorum spernentes terram vellent ubi esset mare, mare ubi esset terra, cum tota Italia luxui et mollitiei serviret neque rari agri satis frumenti ederent, tum tanta eorundem hominum in publicis aedificiis erat parsimonia, ut deorum templa a maioribus magnifice erecta aut vetustate corruerent aut incendiis vastata iacerent. Sic iam Cicero pro Flacco 12: »Haec ratio ac magnitudo animi in maioribus nostris fuit, ut cum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent.« Tacit. Ann. III, 53 in litteris Tiberii ad senatum: »Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscuas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostiles gentes transferuntur?« — De anno huius carminis natali consentiens prope virorum doctorum sententia est; a. 726 scriptum existimant, quoniam eo anno Octavianus censuram agens templa vetustate collapsa aut incendiis deleta refecit ac splendide ornavit; quam rem ultima stropha ab Horatio putant tangi.

V. 2. *moles*] de magnis aedificiis; cf. Carm. III, 29, 10. — *regiae*] Regium quod regis, regale quod rege dignum est. Apud poetas tamen et eos scriptores qui post Augusti erant aetatem *regius* adiect. alterius locum occupavit. — *stagna*] ingentes piscinae, in quibus potuit navigari. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Evincet ulmos. Tum violaria et
Myrtus et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori;
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum; nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton,
Nec fortuitum spernere cespitem

platanusque caelebs] grata ea quidem, non utilis. Cur *caelebs* appelletur ulmorum ostendit oppositio; ulmi vitibus maritantur, non platani. Quas quam insane coluerint Romani, elucet exemplo Hortensii oratoris, qui platano quam in Tusculana villa posuerat vinum ipse suffudit. — *copia narium*] Est metonymia, qua nares dicuntur earum rerum loco, quibus nares delectantur. Sic Aelian. V. H III, 1: *καὶ ἔστιν ὁ φθαλμῶν παγήγυρις.* — *olivetis*] Est ablativus loci; ubi olim oliveta erant, ibi nunc violaria sunt. Quintil. VIII, 3, 8: »An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas et anemonas, fontes surgentes, quam ubi plena messis aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum tonsasque myrtos quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim?«

V. 10. *ictus*] Adiectivo *fervidos* cautum satis est, ne quis *ictus*, qui solis sunt, perperam intelligeret et cum nonnullis codd. scribere vellet *aestus*. Stat. Silv. I, 2, 154 »Excludunt radios silvis demissa vetustis Frigora.« Quibusdam lauri generibus opere topiario umbracula et tecta ambulacra formabantur; nam magna in formandis arboribus a naturaque revocandis ars fuit Romanorum. — *intonsi*] Catonis Censorini; anno demum 454 u. c. tonsores ex Sicilia Romam venerunt. — *auspiciis*] Auspicium summorum belli pacisque magistratuum ius fuit deos interrogandi, id quod antequam publice aliquid ageretur semper fiebat. Quare qui auspicia habebant, in agendo praeibant suoque quasi exemplo reliquos trahebant.

V. 13. *census*] cf. Sat. II, 3, 324. Epist. I, 1, 43. I, 7, 56. — *commune*] *τὸ κοινόν*, respublica, aerarium. — *metata*] passive. cf. Sat. II, 2, 114. — *decempedis*] perticae X. pedum, quae *privatae* dicuntur, quod porticus non publice, sed a privatis hominibus exstruuntur. Nam privatis quoque domibus porticus addebantur, septentriones versus ad vitandos radios solis, meridiem versus ad minuenda frigora per hiemem et ad apricandum. Animadvertenda est artificiosa substantivorum et adiectivorum collocatio hoc schemate:

decempedis metata privatis opacam porticus Arcton

cf. ad I, 9, 21. II, 4, 11; praeterea *metata porticus* primam, *opacam Arcton* ultimam versuum sedem occupant. — *fortuitum*] ubivis obvium.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

Carmen XVI.

Otium divos rogat in patente
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis;

Notandum, eius vocabuli litteram *i* a poetis et produci et corripi, nisi forte in paucis locis, quibus *i* littera corripi videtur, per synaeresin trisyllabum est vocabulum. — *cespitem*] in quo prostrati cubarent homines; alii minus recte de tuguriorum culminibus, ut apud Virg. Buc. 1, 68. — *oppida*] aedificia publica, muros et quae statim nominantur deorum templa. — *novo saxo*] nimirum si collapsa essent.

Carmen XVI.

Omnes homines otium et securitatem vitae quaerunt, sed, ubi non inveniant, extra se ipsos (v. 1—7); verum autem otium neque summis honoribus neque divitiis paratur (7—12), sed mediocritate et moderatione animi a cupiditatibus vacui (13—16). Quare quid beatam vitam aliunde quaerimus, cum in nobismet ipsis posita sit (17—20)? Nam in animis nostris si quae insunt culpae et curae, eas ubique nobiscum feremus (21—24). Quamobrem cum ne summae quidem divitiae otium possint gignere, quid his curis laboramus? Cur non quae adsunt gaudia iis fruimur, quae mala, iis patientia et risu medicinam quandam adhibemus? Nam in vita hominum non omnia possunt ex voto cedere (25—29); sed alia aliis bona fato data sunt. Quod quam verum sit exemplis illustratur. Sic procedit sententiarum series, quae ita comparatae sunt, ut prima et ultima binas habeant strophas, reliquae singulas. Caput carminis reperitur in fine prioris partis (v. 19. 20). — Scriptum est carmen ad Pompeium Grosphum, equitem Romanum Siciliensem, de quo Epist. I, 12, 22. Quo anno haec Horatius scripserit nequit dici, nisi quod ex v. 37 intelligis habuisse poetam tum Sabinum praedium; itaque scriptum est post a. 722.

V. 1. *Otium*] Huius vocabuli notio cum latissima sit, quid singulis locis significet ex sententiarum omni et coniunctione et discrepantia quasi eruatur oportet. Nam cum eum vitae statum indicet, quo quid faciamus quid non faciamus in nostro omnino iudicio vel arbitrio positum est, quo nullis ne minimis quidem curis aut animi aut corporis vel trahimur ad certam rem vel distrahimur, contrarium hoc vocabulum est negotiis et privatis et publicis, bello, motibus et naturae et animi, curis, perturbationibus. Quo magno notionis ambitu quam mirifice in hoc carmine Horatius usus sit nolo praetermittatur. Homines, inquit, otium quaerunt externum, neque illud consequuntur, quia internum animi otium neque cognoverunt neque petunt, quia cupiditatibus agitantur neque ipsos se infestissimos sibi adversarios esse sentiunt. Sic sensim a corporis otio ad animi transitur v. 7. — *patente*] Verrius Flaccus ap. Charis. p. 101: »Eorum nominum, quae *ns* finiuntur casu nominativo, ablativus in *e* dirigendus est.« cf. Carm. I, 2, 2. I, 25, 17 et ad Carm. II, 19, 5. — *Aegaeo*] Poetarum more non uni-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Quid brevi fortes iaculamur aevo

versum mare nominavit, sed exemplum satis celebratum. cf. Carm. III, 29, 63. — *certa sidera*] nam »ducant instabiles sidera certa rates« Tibull. I, 9, 10. — *Thrace*] Graeca forma in carminibus (cf. III, 25, 11), latina in epistolis usus est (Ep. I, 3, 3. 16, 13). — *Medi*] Parthi. cf. Carm. I, 29, 4.

V. 9. *consularis lictor*] homines quidem obstantes a lictoribus summoventur, non curae in animo etiam consulis habitantes. — *laqueata tecta*] non totius domus, sed cubiculorum et tricliniorum; de quorum ornatu haec lege *Beckeri* (Gallus T. I. p. 98 sq.): »Die Decken (der Zimmer) wurden anfänglich nur durch über die Balken gelegte Bretter gebildet. Um ihnen indess ein zierlicheres Aussehen zu geben, machte man gleichsam einen Rost von Balken, so dass vertiefte Felder entstanden, lacus, lacunar, laquear. Diese Lacunarien erhielten mannigfachen Schmuck in Stucco, und wurden auch wie in Tempeln vergoldet und mit Elfenbein ausgelegt. Nachher verkleidete man auch die Felder, und malte die Decke.« cf. Cic. de legg. II, 1: »Magnificasque villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno.« — *curas*] Theogn. 729. B. »*Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι.*« — *circum*] Tmesis. — *vivitur parvo bene, cui*] Ex dativo *cui* ad *vivitur* verbum eliciendum *ei*; deinde *cui* non magis ad *splendet* referendum quam ad *aufert*. Describitur autem is qui paucis quae habet est contentus. *Salino* enim et *tenui mensa* ea significantur quae necessaria sunt remoto omni luxu apparatus et condimentorum. cf. Sat. I, 3, 13. Claudian. in Rufin. I, 215 »Vivitur exiguo melius.« Pers. 3, 25: »rure paterno Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum.« — *splendet*] i. e. pretium habet; nam quod pretium habet quasi splendet, et quod splendet solet magni aestimari. cf. Carm. II, 2, 4. — *leves somnos*] vide ad Carm. II, 11, 8. — *timor aut cupido*] solent haec coniuncta esse cum magnis divitiis, timor ne auferantur opes, cupido vel cupiditas ut augeantur. — *sordidus*] Cupido apud Horatium masculino semper genere; Carm. III, 16, 39. III, 24, 51. Sat. I, 1, 61. Epist. I, 1, 33. Ceterum vide ad Carm. I, 28. p. 99.

V. 17. *fortes*] i. e. omni virium contentione, qua ad colligendas res opus esse videtur, cum simus homines *ὀλιγοχρόνιοι* (brevi aevo). — *mutamus*] vide ad Carm. I, 17, 1. cf. II, 12, 23. III, 1, 47. Epod. 9, 28.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus,
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae

Sat. II, 7, 109. Epist. I, 7, 36. — *patriae exsul*] Ovid. Met. IX, 409: »exsul mentisque domusque.« cf. ibid. VI, 189; neque haec aliena sunt a vi et natura genitivi, praecipue graeci. — *se*] cum suis curis et cupiditatibus, quas secum habet ubique. Sic accedit insequens strophe. — *aeratas naves*] Simillimus locus est Carm. III, 1, 37 sqq. cf. Sat. II, 7, 111—115. Epist. I, 11, 27. I, 14, 15 sq. — *quod ultra est*] i. e. ultra praesens, futurum. — *oderit*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *lento*] quieto (gleichgültig); quo risu sapiens ostendit se rebus adversis non perturbari. Quare non bene alii praetulerunt *laeto*, Bentleius *leni*. — *Achillem*] cui ancipite fato destinatum erat, ut vitam haberet aut brevem et nobilem aut longam et ignobilem; quare cum illam praetulisset, *μινυνθάδιος* factus est (Hom. Il. I, 352. IX, 410 sqq.). — *Tithono*] Laomedontis filio, cui precibus Aurorae coniugis Iuppiter motus longissimam vitam dedit; ad quam cum oblita esset Aurora petere ut perpetua iuventus adderetur, Tithonus crescentibus annis tantopere exaruit (v. 30 *minuit*), ut in cicadam tandem misericordia Iovis mutaretur. cf. I, 28, 8. Quae exempla aptissima sunt ad ostendendum, non omnibus data omnia, aliis alia esse negata. Ab exemplis interposita generali sententia ad amici suamque rem transit. — *te*] Anaphora *te, tibi, te* praeclare facit, ut quam multa fato data sint Grospho videamus; ubi de se loquitur, semel *mihi* posuit. — *circum*] vide ad Carm. I, 2, 34. Imitatus esse videtur Stat. Silv. IV, 5, 17: »Non mille balant lanigeri greges Nec vacca dulci mugit adultero cet.« — *bis tinctae*] *Becker* Gall. T. II, p. 96: »Da die übrige Kleidung durchaus weiss sein musste, so liess

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vestiunt lanae; mihi parva rura et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere vulgus.

Carmen XVII.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque

man es wenigstens bei der lacerna (ein offener Mantel, der gewöhnlich wohl über der rechten Schulter durch eine fibula zusammengeheftet wurde) nicht an bunten Farben fehlen.« ibid. p. 98: »Namentlich war auch hier der zweimal gefärbte Purpur, *δίβαφος*, als besonders kostbar beliebt, wiewohl sein Geruch so wenig angenehm war, dass Martial. IV, 4 unter einer Menge von foedis odoribus auch nennt: quod bis murice vellus inquinatum .... Eine solche lacerna kam zuweilen, wie Martial. VIII, 10 erzählt, 10000 Sest. (2000 fr.).« cf. Epod. 12, 21. Epist. II, 2, 181. — *tenuem*] subtilem et ingeniosum. cf. A. P. 46. — *malignum*] iniquum iis, qui aliqua laude excelluut. — *non mendax*] cf. Carm. Saec. 25.

Carmen XVII.

Cum Maecenas perpetuis febribus laboraret — de qua re Plinius H. N. VII, 51: »Quibusdam perpetua febris est sicut C. Maecenati. Eidem triennio supremo nullo horae momento contigit somnus« —, sensim tanta eius animum occupasse videtur tristitia, ut cum tunc ipsum ex gravi impetu convaluisset, restituta valetudine non iam gauderet, sed ne redeunti morbo mox succumberet continuo angore premeretur. Qua animi affectione quid tristius potuit esse optimo amico, Horatio? Quare hic illum admonet ne vitae spem abiicere velit; utrique longiorem vitam divino consilio esse destinatam; cuius rei luculentum testimonium utrumque accepisse, alterum in salute ex morbo restituta, in capite a cadente arbore servato alterum. Quibus deorum beneficiis quid aliud ostendi nisi coniuncta esse utriusque fata? Anno videtur hoc carmen esse scriptum eodem quo huius libri 13, ad quod vide. Facile intelligitur, totum hoc tenerrimae amicitiae testimonium in duas dividi aequales partes, quarum quasi praenuntius est versus 2.

V. 1. *exanimas*] moerore afficis. Sat. I, 4, 127. Cic. pro Mil. c. 34, 93. — *decus columenque*] eadem haec ornamenta quae Carm. I, 1, 2. — *partem animae*] cf. Carm. I, 3, 8, ubi vide. — *carus aeque*] atque nunc sum. Quo verbo, quid sit quidve valeat totum se debere ait Maecenati. cf. Epist. I, 3, 29. Epod.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec si resurgat centimanus Gyas
Divellet unquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

Seu Libra seu me Scorpios adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae,

I, 5. — *ibimus, ibimus*] in reduplicatione (*ἀναδίπλωσις*) mira quaedam vis inest affirmationis et veritatis. — *utcunque*] ad exemplum particulae *ut* haec quoque accepit temporis significationem: quandocunque. — *carpere*] Sat. I, 5, 95. Virg. Georg. III, 142. IV, 311. — *Chimaerae*] »Non est tanta vis, quae me possit separare a te.« In quo loco ut summam vim poetice describeret, Chimaeram, ignivomum monstrum, et centimanum Gyan, Terrae et Coeli filium (Carm. I, 27, 24. III, 4, 69), intulit. cf. Virg. Aen. VI, 285. Hom. Il. VI, 179 sqq. Tibull. III, 4, 86: »nec flammam volvens ore Chimaera fero.« — *resurgat*] si fieri possit ut resurgat. Nam in Tartaro prostratus iacet. — *Iustitiae*] *Δίκης*, Iovis et Themidis filiae. Quae quod Parcis additur, id ideo factum est, ut non solum fata id ita velle sed recte etiam velle ostendatur. Nam Iustitia Parcarum soror est. — *placitumque*] De part. *que* vide ad Carm. II, 7, 25. — *Seu Libra* cet.] Horatium quam non deditus sit mathematicorum ineptiis carmine I, 11 ostendit. Quare hic quoque bene constans: quaecunque est, inquit, genitura mea, quodcunque astrum natali mea hora regnavit, hoc certum est, consentire nostra sidera, i. e. natura et moribus nos arctissime esse coniunctos. Credebantur autem alia sidera prospera et salutaria (*ἀγαθοποιοὶ ἀστέρες*), alia noxia et infesta (*κακοποιοὶ ἀστέρες*); illorum coniuncta potestate horum inimica vis aut superabatur aut non superabatur; utrorumque temperata vi ratio genesis efficiebatur, cuius observatio a mathematicis institui et horoscopus dici solebat. Inde intelliguntur verba *adspicit* et *pars violent. nat. horae*. Nam etiamsi sidera inter se adspicere dicebantur, tamen non minus etiam adspiciebant nascentem hominem. Praesens tempus *adspicit* durantem etiam per vitam sideris potestatem exprimit. Libra, Iuppiter, Venus, Luna *ἀγαθοποιοί*, Scorpio, Capricornus, Saturnus, Mars *κακοποιοὶ* habebantur. In quam rem conferas nostratis Schilleri tragoediam de Wallensteinii ducis morte I, 1. Imitatus hunc locum est Persius 5, 45: »Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo Consentire dies et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum, Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una, Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat astrum.«

V. 19. *tyrannus Hesp. undae*] Capricorni imperio subiecta erat omnis pars Europae occidentalis; quare in mari occidentali tempestates movebat. — *Saturno*] Dativus coniungendus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit volucrisque Fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum;
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

Carmen XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,

est et cum v. *refulgens* et cum v. *eripuit*. — *volucrisque Fati*] cf. Sat. II, 1, 58. — *cum*] Lachmannus e coniect. *cui*, eumque secuti sunt Hauptius et Meinekius. — *ter crepuit sonum*] Quid his verbis significetur prope nescimus. Videtur tamen eadem esse res, quam supra iam Carm. I, 20, 4 sqq. indicatam legimus. Similiter Propert. III (IV), 10, 4: »Et manibus faustos ter crepuere sonos.« — *Faunus*] Carm. III, 8, 7 Baccho se salutem debere ait; in quo tamen discrimine nolim offendas, nam Faunus agrestis deus poetam ruris amatorem (Epist. I, 10, 2) tutatus est. Praeterea *Faunus* Romanis idem fuit qui *Pan* Arcadum; itaque *Mercurii* filius est et *Mercurialium virorum* custos. De hypothetica quam dicunt forma cf. Carm. III, 16, 3 sqq. Cic. ad fam. XII, 10 »Praeclare viceramus, nisi fugientem Lepidus recepisset Antonium.« — *Mercurialium*] poetarum, qui in Mercurii tutela sunt. cf. Carm. II, 7, 13. — *reddere victimas*] Iam cum benevolentiam deorum uterque expertus sit, imprimis gratias reddendas esse diis bonamque spem in posterum concipiendam. Quali tamen discrimine ipse a Maecenatis dignitate absit, votorum diversitate modeste et praeclare indicavit. Deinde cum voti etiam reus sit Maecenas, recte concludamus haud ita multo post restitutam valetudinem carmen scriptum esse.

Carmen XVIII.

In initio huius carminis eam invenimus sententiam, quae decimum sextum huius libri clausit. »Ego, inquit poeta, magnas quibus inhiare solent homines opes neque habeo neque peto, et tamen ob ingenii facultates animique pietatem magnorum et divitum hominum mihi conciliavi amicitiam; quos ut maiora mihi darent, si vellem, facile possem permovere. Sed nihil cupio, et si quaeris cur nihil cupiam: quia video non perpetuam esse hanc vitam (v. 15 sq.). Nam profecto stultissimi ii sunt, quos usque ad extremam vitae horam magna molien-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.
At fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso nec potentem amicum
Largiora flagito
Satis beatus unicis Sabinis.

tes videmus, suamque ut expleant cupiditatem crudeliter saevientes in egenos homines, suo arbitrio expositos (v. 28). Qua stultitia quae maior potest esse hominibus aequa lege mortis necessitati subiectis? Nam quis est sive prudentissimus (v. 35) sive ditissimus (v. 37), qui morti se possit subtrahere? Omnes moriemur; sed veniet mors avaris terrori, solatio pauperibus (v. 38—40).« Fundamentum quo quasi nititur carmen sententia illa est frequens apud Horatium de certamine quod est inter magnitudinem consiliorum et vitae brevitatem hominum. — Iam habuisse tum Horatium Sabinam villam ex versu 14 certum est; incertum num eodem tempore hoc scriptum sit, quo libri III carmen 24, an antea.

V. 1. *ebur*] De eburneis et aureis lacunaribus vide ad Carm. II, 16, 11. — *trabes Hymettiae*] sunt trabes i. e. epistylia ex marmore Hymettio facta. Hymettium ex candidis marmoribus praeter Pentelicum, Parium, Lunense (Italicum, *Cararischer*) pretiosissimum; varii coloris nobilissima erant Numidicum (quod Horatius verbis *col. ultima recisas Africa* significavit) flavum, hodie *giallo antico* nominatum (Epist. I, 10, 19), Phrygium, rubris maculis et venis mixtum, etiam appellatum Synnadicum et Mygdonicum, Laconicum vel Taenarium, viride; Carystium, viridibus maculis et venis mixtum. — *Attali*] vide ad Carm. I, 1, 12. Nihil dicit amplius poeta, nisi hoc: se non, quod multis aliis contigit, nescio qua arte vel casu magnas opes hereditate accepisse. — *Laconicas*] Purpurarum pretiosissima genera Tyria et Laconica. cf. Epist. I, 10, 26, supra p. 149. — *trahunt*] i. e. mihi clientium uxores lanam neque carpunt, neque nent, cum non habeam clientes. Trahere autem in hac arte proprium verbum. — *honestae*] nobiles; quo epitheto patroni auctoritas augetur. *Clienta* etiam est apud Plautum Mil. gl. III, 1 (789): »habeo eccillam meam cluentam.«

V. 9. *fides et ingeni vena*] Eadem poeta Carm. I, 17, 13 aliis verbis coniunxit. cf. A. P. 409. — *dives*] Generalis sententia est nec referenda ad Augustum, uti Rittero placuit; non decuit urbanum poetae animum, simpliciter sic transire imperatorem contraque eum mox ponere *potentem amicum*, Maecenatem, quem indicari *Sabina praedia* docent. cfr. v. 31. — *lacesso*] Concinnitatis causa huic etiam verbo duos accusativos addidit ad exemplum verbi *flagitandi*. — *locas*] redemptoribus et operis ad exstruenda magnifica aedificia. cf. Plin. H. N. XXXVI, 6: »primum marmoreos parietes habuit scena M. Scauri aedilis, non facile dixerim sectos an solidis glebis positos.« — *sub ipsum funus*] i. e. paulo ante funus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Truditur dies die
Novaeque pergunt interire lunae.
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus et sepulcri
Immemor struis domos
Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere littora
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et uxor et vir sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata

cf. Carm. I, 9, 19. — *Baiis*] Baiae balneorum celebritate nobilissimae et coeli temperie amoenissimae, Epist. I, 1, 83; inde plurimae et pulcherrimae villae totum sinum Baianum cinxerunt, cum non aegroti solum sed omnes qui delicatam vitam quaererent huc solerent convenire. — *summovere*] cf. Senec. Tranq. anim. c. 3: »incipiamus aedificia alia ponere, alia subvertere, et mare summovere et aquas contra difficultates locorum ducere.« — *cont. ripa*] cf. Carm. III, 1, 33. III. 24, 3. Stat. Silv. II, 2, 54 sqq.:

Mons erat hic, ubi plana vides; haec lustra fuerunt,
Quae nunc tecta subis; ubi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit; domuit possessor cet.

Quid, quod] Frequenti hac elocutione apud oratores maior aliqua res et gravior ad commovendos animos legentium addi solet. Quare h. l. poeta »non, inquit, mare solum et aquam loco moves, sed homines etiam inopes parva sede pellis;« qua impudenti rapacitate quid est turpius? — *clientium*] Quod ne fieret cautum erat in XII tabulis, in quibus haec erant: »*patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto*;« et in lege Numae »*qui terminum exarasit, ipsus et boveis sacrei sunto.*« Sed lege Sal. Iugurth. c. 41. — *salis*] Habet h. v. significationem superbiae et arrogantiae.

V. 27. *deos sordidosque natos*] Nam nihil reliqui est praeter hos; deos penates et lares relinquere pietas vetuit, natos natura. — *sordidos*] misere tectos vel vestitos. Martial. I, 49, 28: »focum infante cinctum sordido.« — *Nulla certior* cet.] Ordo verborum hic est: Nulla tamen aula certior divitem herum manet fine destinata rapacis Orci.« In quo loco *finis dest. rap. Orci* dictum est pro *fine quam rapax Orcus destinavit*; quod quidem ut bene diceretur effecit Orci nomen, qui et finem facit et ipse finis est. De feminino genere v. *finis* cf. Epod. 17, 36. Virg. Aen. II, 554 »Haec finis Priami fatorum.« Propert. I, 16, 21: »nullane finis erit nostro concessa dolori.« Alii ablativum *destinata* iungunt cum supplenda voce *aulâ*, non cum *fine*, ut sit: nulla aula certior manet herum aulâ destinatâ i. e. quam aula destinata fine Orci; quae constructio nimis artificiosa videtur. *Aula* autem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum atque Tantali
Genus coërcet, hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

Carmen XIX.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,

est *domus Plutonia*. cf. Carm. I, 4, 17. Hauptius et Meinekius ex paucis codd. et Servio ad Virg. receperunt *sede*, Peerlkampius ex coni. *lege*, ut sit *quam quae illi destinata est lege Orci rapacis. — aequa tellus*] cf. Carm. I, 4, 13. Epist. II, 2, 178. — *satelles Orci*] Charon. — *hic*] Orcus, non Charon. — *levare*] Infinitivum coniunge cum *vocatus* pro *ut levet*; sed ille modus quo brevior eo est nervosior. — *audit*] Mira brevitate hoc quoque dictum; nam audire non vocatus non potest. Sed cum mors vocata veniat et non vocata, ac semper miseriarum quies sit, zeugma hoc ausus est Horatius.

Carmen XIX.

Ex dithyramborum genere est hoc carmen, simile Carm. III. 25. Fingit autem poeta, cum forte in abditis silvis carmina meditans vagaretur, in Bacchum se eiusque turbam Nympharum et Satyrorum incidisse. Tum et horror et laetitia simul animum occupant; sentit homo ingentem vim numinis, quo pectus subito impletur. Divino furore percitus non potest facere quin sacros sensus animi profundat, quin dei, cuius numine plenus est, laudes alta voce canat. Quo furore divino factum est, ut quam apud Horatium ubique conspicuam habeamus certam carminis oeconomiam non reperiamus aliam, nisi quod a minore miraculo ad maiora adscendat totiusque rerum naturae victorem ac dominum Bacchum celebret, terram, homines, mare, gigantes, inferorum monstra huic uni parere clamet. De elocutione haec Ianius: »In tam excelsis sensibus elocutionis etiam qua illi efferuntur summa et aptissima dignitas est. Est enim talis, quae deceat furorem enthusiasmi, ab uno sensu ad alterum, ut flamma per taedas, continuo ardore properantem, nulli diu immorantem.« — Quo tempore scriptum sit carmen nihil est unde efficiatur; acute tamen nuper suspicatus est Goebelius, Horatium recentem a spectata vel relecta Euripidea fabula Bacch. hunc hymnum scripsisse in eoque, quos inter spectandum vel legendum concepisset sensus, expressisse; tam multa in h. c. reperiuntur, quae proxime ad Euripidis et verba et sententias accedant.

V. 1. *Bacchum*] Is deus auctor est poesis furore plenae (Epist. II, 2,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nymphasque discentes et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur. Evoe parce Liber,
Parce gravi metuende thyrso.

Fas pervicaces est mihi Thyiadas
Vinique fontem lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella;

Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem tectaque Penthei

77 sq.); quare mysticos hymnos docere dicitur comites. — *in remotis rupibus*] Nam fugit urbes et vulgarium hominum coetus; inde graece ὄρειος appellatur. — *Nymphae et Satyri*] comites Bacchi, iique aptissimi. cf. Soph. Antig. 1128 sq. — *acutas*] Satyri pedibus erant caprinis et auribus acutis. Inde intelligitur acutas non esse arrectas aures; potius attentio animi et auscultatio inest in aurium praecipua commemoratione. — *Evoe*] εὐοῖ, bacchantium exclamatio, qua illico a deo correptum se indicat; deinde metu i. e. horrore impletur propter terribilem, laetitia propter benignam numinis maiestatem. — *recenti*] etiam tunc, cum ex silvis redux quae viderit narrat. Immortalium praesentia mortalibus semper horribilis, cf. Virg. Aen. IV, 279. Hom. Il. XX, 131. De forma *recenti* vide ad Carm. II, 16, 1 et Bentl. ad Carm. I, 25, 17: »respuit metri ratio, ut *recente* reponatur; verum hoc nomen est, non participium.« — *turbidum laetatur*] vide ad Carm. II, 12, 14. — *parce*] Ἀναδίπλωσις est enixe precantis; et precatur quidem, ne nimio furore, quem mortale pectus capere non possit, in insaniam bacchantium agatur. — *thyrso*] thyrsus hasta pampinis et hedera cincta.

V. 9. *Fas*] Quo nomine cum vulgo significetur quod iustum, pium, licitum est, hic indicatur poetam in se nunc necessitatem et facultatem sentire deum et sacra rite canendi. Sic apud Virgilium Aen. VII, 692. — *pervicaces*] cf. Carm. III, 3, 70. Bacchae non desistunt ab exsultando et furendo; quae furendi notio in Thyiadum nomine latet. Factum est enim illud a graeco verbo θύειν, furere. — *Vinique fontem*] Ubicunque terra thyrso pulsabatur a Baccho vel a bacchantibus mulieribus, vinum, lac, mella fluebant. Eurip. Bacch. 142: »ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι.« ibid. 704: »Θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν ἐς πέτραν, ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νότις· Ἄλλη δὲ νάρθηχ' ἐς πέδον καθῆκε γῆς, Καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἴνου θεός. Ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν, Ἀκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα Γάλακτος ἕσμοὺς εἶχον· ἐκ δὲ κισσίνων Θύρσων γλυκεῖα μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.« cf. Plat. Ion. p. 534 A. — *lactis et*] *Et* part. postposita. cf. ad Carm. I, 2, 9. Ceterum tria illa summae abundantiae et ubertatis terrae signa sunt. — *iterare*] nihil est nisi referre, narrare. Sic Plaut. Cas. V, 2, 5: »Operam date, dum mea facta itero; est operae auribus percipere.«

V. 13. *beatae coniugis*] Ariadnae, Minois filiae, in coelum relatae. — *honorem*] ornamentum, coronam in-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Disiecta non leni ruina
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;
Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.

ter stellas positam. Fuit autem corona aurea, opus Vulcani, a Baccho Ariadnae data. Ovid. Met. VIII, 176 sqq. Ovid. Her. VI, 115: »Bacchi coniux redimita corona Praeradiat stellis signa minora suis.« — *Penthei*] Ovid. Met. III, 512 sqq. 690. Eurip. Bacch. 605: »ἤσθηθ', ὡς ἔοικε, Βακχίου Διανάξαντος δῶμα Πενθέως.« — *Lycurgi*] Hom. Il. VI, 130 sqq. Ab Homero diversa apud alios est fabula. Nam cum omnes per totum regnum vites excidi iussisset, a deo in furorem coniectus filium Dryantem interfecisse sibique falce crura amputavisse traditur. — *flectis amnes*] Hydaspen et Orontem fluvios thyrso retro vertisse et sicco pede transisse Bacchus dicebatur. — *mare barbarum*] Indicum est; ad quod ut *flectendi* verbum posset referri, debuit generalem *domandi* et *regendi* notionem accipere. — *uvidus*] Sic *vino madidus* et *madere* dicebant Romani. — *nodo coërcere*] cf. Carm. III, 14, 22; Ovid. Met. I, 477 »Vitta coërcebat positos sine lege capillos.« — *Bistonidum*] Thraciarum mulierum; nam inter Thraciae gentes Bistones quoque nominantur; Thracia autem orgiorum et mysteriorum prima sedes. — *sine fraude*] impune. cf. Carm. Saec. 41. Qui serpentes tractat, eorum innocentiae fidem habet; quodsi morsu laeditur, fraudem sentit. Ceterum constat Bacchas tortis serpentibus ipsas sese cinxisse.

V. 21. *Gigantum*] Cum in campis Phlegraeis dii cum gigantibus ancipiti proelio diu certassent, ferunt Terram Iovi dixisse, gigantes non posse vinci, nisi a diis duo semidei certaminis socii essent arcessiti. Quare Baccho et Hercule in auxilium deorum vocatis gigantes victi sunt. De Hercule vide Carm. II, 12, 6. Bacchus in leonis formam mutatus fortiter pugnasse dicitur. cf. Carm. III, 4, 53. — *per arduum*] de ima terrae sede arduum coelum ascendere gigantes conabantur. — *Rhoetum*] unum ex gigantibus. — *horribilique*] vide ad Carm. I, 2, 1. — *choreis*] Cum tua natura mitior esset tuque aptior habereris iocis et choreis quam bello, illo tamen certamine utrique rei, et paci et bello, aeque aptum te praebuisti. — *mediusque*] De transposita quam dicunt particula *que* vide ad Carm. II, 7, 25. *Medius* autem *pacis et belli* appellatur deus sua natura neutri parti deditus, sed, ut tempus fert, modo bellicosus modo pacis amans. cf. Epist. I, 18, 9. Ovid. Met. V, 564.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum leniter atterens
Caudam et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

Carmen XX.

Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera

Non dissimilis est locus Stat. Theb. V, 85: »Sol operum *medius*.« Cf. Sil. XVI, 222: »vobis ad foedera versis Pacator *mediusque* Syphax.« Ceterum fuerunt, quibus tota haec stropha aut ab Horatio abiudicanda aut acriter reprehendenda videretur; aliis, ut fit, pulchra ac venusta visa est. Eurip. Bacch. 417: »ὁ δαίμων ὁ Διὸς παῖς χαίρει μὲν θαλίαισιν· φιλεῖ δ' ὀλβοδότειραν εἰρήναν, κουροτρόφον θεάν.« Tacit. Ann. III, 61: »Mox Liberum patrem, *bello victorem*, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse.«

V. 29. Etiam inferos et inferorum monstra sibi subiecisse dicitur Bacchus, cum Semelen reducturus Orcum intrasset. — *aureo cornu*] Cornu antiquissimum roboris symbolum. Athen. II, 7: »*Καὶ ταύρῳ παρεικάζουσι τὸν Διόνυσον καὶ παρὰλλει διὰ τὸ πρὸς βίαν τρέπεσθαι τοὺς ἐξοινωθέντας.*« Et conferas Carm. III, 21, 18. Hinc Bacchus Graecis est *χρυσοκέρως*, *ταυροκέρως*, *Ταῦρος*. Tibull. II, 1, 3 »Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat.« Propert. III (IV), 17, 19 »Quod superest vitae per te et tua cornua, vivam, Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar.« — *leniter att. caud.*] leni caudae motu adulans. — *trilingui*] Audacter hoc dictum *ore trilingui*, cum tamen antiquis Cerberus aut *triceps* esset aut *centiceps*. cf. II, 13, 34. III, 11, 20. Fuerunt, qui in uno ore hic tres linguas reperirent; praestat tamen consistere in tricipite Cerbero, ut tria ora et tres linguas simul indicata habeamus. cf. Tibull. III, 4, 88: »canis .. Cui tres sunt linguae tergeminumque caput.« Stat. Silv. II, 1. »nec terno latrabit Cerberus ore.« Virg. Aen. VI, 417. — *tetigitque*] vide supra ad v. 28.

Carmen XX.

Poetas non mori sed in cycnos mutatos ad coelum evolare vulgatum iam per Graecos fuit commentum. Atque eo in hoc carmine de se Horatius usus laudem suam poeticam perpetuam fore in omniumque gentium notitiam perventuram vaticinatur. Quae quidem vaticinatio quam eum non fefellit! Similis argumenti est carmen III, 30. In hoc tamen ut in carmine I, 1 ea maxime re gloriatur suumque ingenium ideo praedicare non dubitat, quod Maecenati, vero artis iudici et fautori, quae fecerit carmina grata et accepta viderit. — In carmine nihil inest unde annum quo potissimum scriptum sit efficias. Oratio autem et sententiae per totum carmen poetica quadam audacia plenae singularem animi poetae altitudinem produnt; haud longe recedunt a superioris carminis elatiore genere. Non recte aliis in hoc carmine urbana quaedam iocatio et sermonis festivitas inesse visa est, nam »carmine iocoso hunc librum concludere non poterat, nisi si ineptus iure videri voluisset, neque vero metrum Alcaicum eiusmodi ioco satis convenit.« Orellius. Ioci nihil video, sed iuvenilem quandam superlationem ac paene iactationem video, multum diversam a Carm. III, 30. — Caput carminis cernitur in summa poeti-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vates neque in terris morabor
Longius invidiaque maior
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda.

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Iam Daedaleo ocior Icaro

cae artis laude ac praestantia, nam »coelo Musa beat« (Carm. IV, 8, 28).

V. 2. *biformis*] simul cycnus et poeta. cf. Eurip. fragm. »Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ Καὶ τὰ Σειρήνων ἑρόεντα πέδιλα Ἁρμόζεται· Βάσομαι τ' ἐς αἰθέρα πολὺν Ἀερθείς, Ζηνὶ προσμίξων.« Plat. Rep. X. p. 620. A: »ἰδεῖν μὲν γὰρ ψυχὴν ἔφη τήν ποτε Ὀρφέως γενομένην κύκνου βίον αἱρουμένην· ἰδεῖν δὲ τὴν Θαμύρου ἀηδόνος ἑλομένην ἰδεῖν δὲ καὶ κύκνον μεταβάλλοντα εἰς ἀνθρωπίνου βίου αἵρεσιν καὶ ἄλλα ζῶα μουσικὰ ὡσαύτως.« — *liquidum*] tenuem et clarum, poetae novae naturae magis accommodatum, quam terra. — *invidiaque maior*] cf. Carm. IV, 3, 16. Haec igitur et quae deinde sequuntur *paup. sang. parent.* ad invidiam spectant, quam amicitia Maecenatis poetae contraxit. cf. Sat. I, 6, 46. II, 6, 47 sqq. — *Non ego*] vi ἀναδιπλώσεως clarius indicatur, quam sit vera sententia, se qui a Maecenate ametur non posse mori. — *quem vocas*] ad te, ut tecum sim, tecum habitem, tua amicitia fruar. cf. Carm. II, 18, 10. Inepta est aliorum coniunctio *quem vocas dilecte* (den Du Freund nennst), quamquam grammatica ratio non obstat. cf. Sat. II, 6, 20. Epist. I, 7, 37. I, 16, 59; sed versus obstat, et qui statim accedit alter vocativus, a quo voc. *dilecte* nisi violenter non poterit separari.

V. 9. *Iam iam*] Furore poetico eo fertur, ut iam nunc ipsum in cycnum mutationem sentire sibi videatur; inde haec a nostro pulchri sensu remotior singularum partium descriptio; quae in epica poesi Ovidii haud infrequens lyricum poetam minus decet. Instans tempus duplici particula *iam* exprimitur, ne minima quidem interponitur mora. cf. Epod. 2, 68. — *residunt*] »Pellis aspera fit, residit; dum enim crura humana extenuantur, cycni formam exilem induunt. necesse est ut cutis, quae mollibus ante ac suculentis partibus inducta fuerat, his evanescentibus *subsidat*, ossibus propius admoveatur, quaeque antea pleniore corpore extensa erat, nunc contrahatur, adeoque *aspera* i. e. rugosa evadat.« Sic Mitscherlich. — *supernae*] ultima syllaba correpta ad aliorum poetarum exemplum. Quare Muretum, qui cum codd. aliquot scribere voluit *superna*, non est cur sequaris. — *leves*] non asperae. Saepissime ita vocabula disposuit Horatius in hoc metrorum genere, ut tertii versus extremum vocabulum quarti ultimum spectaret. Exempla omnibus locis frequentia. cf. infra v. 23. 24. II, 7, 27. 28. II, 14, 19. 20. III, 3, 59. 60. III, 4, 7. 8; ibid. 67. 68; 79. 80. III, 5, 39. 40 cet.

V. 13. *Daedaleo ocior Icaro*] Hiatus excusationem facile invenit in caesura. cf. Epod. 5, 100. Virg. Buc. 2, 24. Met. XI, 17. Bentleii coniectura *tutior* probata est Lachmanno, Hauptio, Meinekio, non hiatus vitandi causa, sed quia senten-

Visam gementis littora Bospori
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.
Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.
Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae;
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

tia ita postulare videbatur. At periculi notio ab hoc loco aliena est, cum nihil spectetur nisi celeritas famae. Peerlkampii coniecturam *audacior* Lachm. ad Lucret. p. 161 ita refutavit, ut ostenderet, cum in fine vocabuli sit longa vocalis ante longam vocalem sive diphthongum, quibus in proxima dictione vocalis subiiciatur, syllabas vocabulorum contiguas nunquam commisceri. *Kellero* placuit *notior* ex MSS. non paucis, quod, si quid mutandum, coniecturis certe omnibus praeferri debet. De graeca forma *Daedaleus* (Δαιδάλειος) vide ad Carm. II, 6, 5. — *gementis*] cf. Carm. II, 14, 14. Virg. Aen. V, 806. In hac stropha remotae et barbarae regiones, in insequenti nationes nominantur ex diversis et contrariis coeli tractibus collectae. — *canorus ales*] cycnus canorus, olor mutus. cf. Carm. IV, 2, 25. IV, 3, 20. — *Marsae cohortis*] Marsi fortitudinis fama celebrati. — *peritus Hiber*] Adiectivum προληπτικῶς positum: »Hispanae quoque gentes aliquando carminibus meis delectabuntur.« — *Rhodanique potor*] poetice pro Rhodani accola, Gallus. Sic *fluvium bibere* est ad fluvium habitare: Hom. Il. II, 825. Hor. Carm. III, 10, 1. IV, 15, 21. — *inani funere*] quippe deest corpus sepeliendum. — *neniae*] vide ad Carm. II, 1, 31. — *luctus turpes*] imprimis *praeficarum*, quae sunt mulieres ad lamentandum mortuum conductae. Hae canebant neniam. cf. Art. poet. 431. — *supervacuos honores*] Solebant Romani mortuos, praesertim nobiles et in aliqua re claros, magna pompa efferre; utebantur omnes qui prosequebantur funus atra veste; habebatur in foro posito lecto laudatio funebris a propinquo aliquo, qui mortui publica et privata merita rite celebraret; aderant mimi, qui non solum tragicorum poetarum locos ad mortuum adhiberent et recitarent, sed — id quod vere mirandum — nugas etiam facerent, inter quos archimimus personam defuncti agebat; praeibant imagines maiorum i. e. homines qui personis et idoneis vestimentis maiorum figuras et corpora quantum fieri potuit reddebant (Epod. 8, 11); funus ipsum imponebatur lecto funebri saepe eburneo et aureis vestibus strato; portabatur lectus a proximis vel servis testamento manumissis; funus sequebantur heredes et proximi cum servis testamento manumissis et pileatis. — *supervacuos*] »Inter scriptores qui nobis supersunt hac forma primus usus est Horatius, Cicero semper praefert *supervacaneus*.« Orellius.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N U M
LIBER TERTIUS.

Carmen I.

Odi profanum vulgus et arceo;
Favete linguis; carmina non prius

Carmen I.

Prima stropha huius carminis seriem quandam sex carminum aperit, quibus poeta quid de iis rebus, quae suae aetatis civibus divitiis, mollitie, luxuria, bellorum civilium depravatione corruptis maxime videantur conducere, sentiat, sublimi ratione praecipit. Quibus rebus cum nihil possit esse gravius, sacerdotem se esse dicit Musarum, qui sacra praecepta canat remotisque omnibus profanis vilisque mentis hominibus sacrum sibi colligat conventum, quem apertis auribus et animis bonas doctrinas accepturum speret. Consensum autem et audientiam apud iuventutem praecipue invenire sibi videtur; iuventus enim et potest corrigi et debet, siquidem ex tanta morum corruptela omniumque rerum depravatione salus potest exspectari. Prima illa stropha ob insolitam sublimitatem magnamque quam excitat de canendis carminibus spem non potest esse unius carminis, neque unum se daturum promittit poeta carmen, sed plura *carmina* non prius audita. Scholiastae sex carmina tam arcte inter se coniunxerunt, ut unam oden esse putarent; nam *Acron* ad Carm. 4: »Propterea dixit *descende coelo*, tanquam iam velit Musam transire a verbis Iunonis (in tertio carmine) quae eam velut in coelis habuisse ostenderat.« et *Porphyrion*: »*descende coelo* ad illud pertinet, quod velit iam transire a Iunonis sermonibus, quos in coelo habuisse eam ostenderat.« Hoc primo carmine seriem illam doctrinarum inchoat proposita de restituenda in animis hominum continentia necessitas. In hac terra, inquit Horatius, omnia certis finibus continentur; homines quidem id student efficere, ut alter alterum aut divitiis aut gloria aut fama aut auctoritate superet; attamen ex utraque parte immutatis quasi quibusdam terminis circumscripti sunt: hinc eos coërcet totius mundi dominus ac gubernator Iuppiter optimus maximus, illinc communis omnibus mortalibus moriendi sors omnes colligit. Iam vide, quam egregie hos quibus continentur hominum studia terminos in versibus etiam ad utramque partem poeta collocaverit (cf. v. 6 sq. et v. 14—16). Deinde transgreditur ad ea quae inde efficiuntur. Manifestum est enim, ne summis quidem divitiis veram procreari felicitatem, quae non potest reperiri nisi in animi continentia in eiusque comitibus, perpetua et immota tranquillitate et aequitate; cupiditate et aviditate nihil gigni nisi continuum timorem ac metum. Felix igitur is solus est, qui quam haec sint vera sibi persuasit ideoque iis rebus quae benevolentia deorum ac-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis
Clari Gigantheo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic meliorque fama
Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super impia

cepit contentus non quaerit magnas opes earumque molestias. — Argumentum carminis clare propositum est in septima stropha; qua re novum etiam praebetur documentum sententiae, qua primam stropham cum sex carminibus coniungendam esse supra diximus. Resecta enim hac stropha undecim restant carminis, quarum quae argumentum habet media est. Quod ne casu factum credas, cogita quam saepe Horatius usus sit hoc componendorum carminum artificio.

V. 1. *profanum vulgus*] Profani sunt non initiati sacris; hic significantur omnes qui spreta vera sapientia vilibus artibus dediti sunt. — *favete linguis*] vel tacendo vel bona verba dicendo, ne quid in sacris habendis male fiat. Tibull. II, 2, 2 »quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.« cf. Virg. Aen. V, 71. VI, 258. — *virginibus puerisque*] iuventuti Romanae, quae ne in eandem perniciem, in quam patres decidissent, delaberetur quam maxime cavendum erat. — *greges*] Reges enim sunt ποιμένες λαῶν. — *clari Gigantheo triumpho*] Non est inane epitheton ornandi causa appositum; est potius in hoc loco commendatio aliqua principatus Augusti, qui eodem, quo Iuppiter in coelo regnat, iure victoriae devictis adversariis terrarum imperium tenet. Quod genus commendationis saepius redit in his sex carminibus. — *supercilio*] cf. Hom. Il. I. 528. — *est ut*] ἔστιν ὅτι, ἔστιν ὅπως; accidit ut. Epist. I, 12, 2. — *arbusta*] maxime vineta, etiamsi alia arboreta non excluduntur. Solebant autem vites seri in quincuncem, ut certo inter se ordine exciperent. Inde *ordinare*. — *generosior*] genere nobilior. — *campum*] Martium, ut Carm. I, 8, 3. I, 9, 18. Sat. I, 1, 91. II, 6, 49. Epist. I, 7, 59. I, 11, 4. A. P. 162. Quattuor hominum genera nominantur, primum qui magna habent latifundia, deinde qui excellunt generis nobilitate, tum qui homines novi suis meritis suaque fama nituntur, denique qui multitudine clientium multum inter cives auctoritate valent. — *meliorque*] vide ad Carm. II, 7, 25. — *Necessitas*] cf. Carm. I, 35, 17. — *sortitur*] cf. Carm. II, 3, 26. — *destrictus ensis*] Significatur nota illa apud Ciceronem Tusc. V, 21 narratio de Dionysio et Damocle; inde etiam Siculae dapes,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,
Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax arbore nunc aquas
Culpante nunc torrentia agros
Sidera nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens

apud antiquos tam famosae ut in proverbium prope abirent. Plat. de Rep. 3. p. 404. D.: »Συρακοσίαν δέ, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψων, ὡς ἔοικας, οὐκ αἰνεῖς.« — *avium*] Habebant enim Romani sua aviaria, Graeci ὀρνιθῶνας. Bene dicit *elaborabunt*; sic enim sentitur labor et opera, quam divites superando fastidio ciborum etiam delicatissimorum nequidquam impendunt. — *somnus*] Horatii consuetudo hunc esse ordinem docet: lenis somnus agrestium virorum non fastidit humiles domos cet. Etenim somnus quo recreari videmus agrestes homines, non fastidit parva eorum tuguria aut cespitem sub divo positum. Senec. de provid. 3: »(Maecenati) somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium quaeritur.«

V. 25. *desiderantem*] cf. Carm. III, 16, 42 sqq. Epist. I, 2, 46. I, 10, 44. — *Arcturi*] Indicantur tempestates auctumni; tum enim occidebat Arcturus a. d. IV. Kal. Nov., oriebantur Haedi prid. Non. Octobr. — *fundus*] Poetae agri quoque quasi vivunt: inde grata haec προσωποποιΐα, qua fundus sterilitatem excusaturus ne a mendaciis quidem abstinet nunc hinc nunc illinc causam repetens. Incerta fides agrorum indicatur particula *nunc* ter posita, nam omni prope tempore fundus habet quo excusetur. Epist. I, 7, 87. — *contracta*] cf. ad Carm. II, 15. II, 18, 20. Quidquid, inquit, isti conantur, quascunque etiam altissimas moles exstruunt, comitem habent perpetuam Curam: quam ne navibus quidem aut equorum celeritate possunt effugere, scilicet in animo ubique retentam. — *frequens*] Est adiectivum pro adverbio: *frequenter*; i. e. saepe venit redemptor demittitque caementa, ut contrahatur mare piscesque sentiant. Contrarium est *rarus* Carm. IV, 1, 34. cf. Sat. I, 6, 128. — *caementa*] dicta sunt a caedendo; lapides caesi, quibus opponuntur lapides quadrati. Intelliguntur structurae sub aqua

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem quo dominus neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.
Quodsi dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?

faciendae. cf. Carm. III, 24, 3. — *redemptor*] ἐργολάβος, qui opus aliquod faciendum suo periculo certa quadam mercede pacta conduxit. cfr. Epist. II, 2, 72. — *Timor*] Minae et Cura quasi personae sunt: id verba scandendi, decedendi, sedendi aperte ostendunt. cf. ad Carm. I, 24, 6. — *aerata triremi*] Non necessario intelligenda est navis longa bellico usui destinata: sed quod aerata est triremis, id pertinaciam et fortitudinem Curae, qua divitis et iniusti hominis animus pungitur, vehementer auget. Complectitur Cura quodammodo Timorem et Minas: Timor enim ne quae iniuste et avare correpta sunt bona subito aut abripiantur aut relinqui debeant, et Minae quibus improbi semper stimulantur internae Curae quasi parentes sunt. cf. Carm. II, 16, 21 sqq. — *atra Cura*] cf. Carm. III, 14, 13. IV, 11, 35. Atra dicitur propter tristes cogitationes et acrumnosas imagines quibus animos hominum sibi obnoxiorum implet. — *dolentem*] non corpore, sed animo. — *Phrygius lapis*] marmor Phrygium. Vide ad Carm. II, 18, 3. — *clarior*] adiectivum non cum genitivo coniunctum, sed cum nominativo, a quo ille pendet, ut III, 3, 61. Epod. 10, 12. 14. — *Achaemeniumque*] Bentleius mutandum putavit in Achaemeniumve, eumque multi novum aliquod deliciarum genus addi arbitrantes secuti sunt. Sed errarunt. Vina enim et unguenta in comissationibus semper erant coniuncta. Costum fuit unguentum ex radicibus fruticis et Indici et Arabici et Syriaci; quod cum ex Arabia vel India per Parthos in Italiam transportaretur, Persicum sive ab antiquo Persarum rege, Achaemene (Carm. II, 12, 21. Epod. 13, 8. Herod. VII, 11), Achaemenium appellatum est. Ceterum Plin. H. N. XIII, 1 »Persarum esse debet gentis unguentum. Primum, quod quidem inveniam, castris Darii regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum. Postea voluptas eius a nostris quoque inter laudatissima atque etiam honestissima vitae bona admissa est.« et ibid. c. 2 »regale unguentum appellatum, quoniam Parthorum regibus ita temperatur, constat myrobalano, *costo*, amomo cett... Quando id primum ad Romanos penetraverit, non facile dixerim. Certum est, Antiocho rege Asiaque devictis, urbis a. 565 P. Licinium Crassum, L. Iulium Caesarem censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica; sic enim appellavere.« — *invidendis*] cf. Carm. II, 10, 7. — *atrium*] »Magna et splendida pars aedium, quae prope ad ianuam sita splendidis columnis parietibusque ornari solebat ad excipiendos clien-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Carmen II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta
Vitamque sub divo et trepidis ag

ates, qui ad salutandum patronum convenirent. Epist. I, 5, 31. — *permutem*] vide ad Carm. I, 17, 2.

Carmen II.

Quod ad superius carmen adnotatum est, arto quodam vinculo sex carmina coniuncta teneri, id inde quoque incrementum veritatis capit, quod hoc alterum proprio quodam aditu non aperitur, sed a primo statim versu doctrinas de recuperanda salute patriae producere pergit. Ex iis quae primo carmine proposita sunt de animi continentia facili progressione efficitur, quae sit vera paupertas. Cui quidem restituendum esse honorem quo sit digna, nunc praecipitur; ea enim quasi quoddam remedium est luxuriae restituitque virtutes quae immoderato luxu perditae sunt. Paupertatis enim perpetuae comites sunt principales priscorum Romanorum facultates: fortitudo, quae civem horribilem reddit hostibus animoque auget ad mortem pro patria obeundam parato: civilis virtus, quae summa quaeque gignit virosque aeterno honore summaque veneratione dignos efficit; fides, qua maior non est auxiliatrix ad continendam et sustentandam inter homines societatem. Cui potissimum haec cecinerit Horatius, id hoc quoque carmine, v. 2. 15, aperte proditur.

V. 1. *angustam pauperiem*] Paupertas (cui altera forma *pauperies* versibus magis commoda substituta est) angusta est non premit, sed quia ne xuriem excurrant p ficatur igitur hoc lum, quo cum con tas coniungitur. mum suum ipse te per est; et qui pa potest facere quin c reprimat, angustis ceat. cf. Carm. III, *ce*] libenter, non codd. nonnulli voc runt *amici*; nempe minibus alienissimi tur hic poeta iuvene tem non modo non etiam pro amica ha *stus*] pro participi robustus factus: quo putes, compara h Epod. 1, 35. 16, 3 ubi ad verba *cons* eadem necessitate dum est. — *Parth* et infestissimos non *vitamque*] Particula partes coniungat magis quam casu c eas partes militari quibus iuvenes des tate maxime assues molestiae sunt qua ut milites et sub di moditatibus carente gantur et in perpet sentur. Unde vid *et* v. 5 non posse omitti. — *Illum*] h

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo
Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

nem, qui ad hanc severam disciplinam sese formavit. Sapienter autem poeta gravitatem doctrinae mitigavit exempli et picturae vividissimis coloribus distinctae suavitate et gratia; quae ratio ut aptior est ad lyricum genus ita animos iuvenum spectaculum belli quasi spectantium blandius debuit allicere. Grata haec tabula ad exemplum Troiae a Graecis oppugnatae prope expressa est, cf. Hom. Il. III, 154. XXII, 460 sqq.; efficax suspirantium mulierum descriptio ad incitandam aemulationem. — *hosticis*] hostilibus; poetica forma, ut civicus, genticus. — *suspiret*] Et in suspirandi verbo et in particula *eheu* metuendi notio inest, unde insequens sententia *ne* particulae ope adhaeret. cf. Carm. I, 2, 5. — *agminum*] pugnandi inter acies. Agmina enim apud poetas talium rerum non anxios omnino exercitum saepe significant et aciem. cf. Carm. III, 8, 18. IV, 14, 29. Epod. 17, 9. Sat. II, 1, 14. Iniquum de verborum et rerum in hac imagine ordine iudicium est Klopstockii »über Sprache und Dichtkunst« p. 259 sqq. 265. — *regius*] accipiendum de regis alicuius foederati filio, qui propter sponsam auxilio venit.

V. 13. *mori*] cf. Carm. IV, 9, 51 sq., et Tyrtaeus: »*Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.*« Cic. Phil. 14, 12: »O fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita!« — *fugacem*] cf. Simon. fr.: »*ὁ δ' ἂν θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.*« — *timidoque tergo*] Male in bonis etiam codd. est *timidove*; non separandi sunt poplites a tergo sed coniungendi, ut ignavus miles in fuga totus conspiciatur. Vide etiam ad Carm. I, 2, 1. — *persequitur*] i. e sequitur et consequitur, nam qui persequitur non desinit sequi. — *repulsae nescia*] quia qui virtute praestant neque honores petunt a populo neque aliam veram esse sciunt dignitatem nisi eam quam virtus ipsa tribuat. Qui sic sentiunt, iis honorem neque data munera augent neque negata minuunt. cf. Carm. II, 2, 17. IV, 9, 39 sqq. — *intaminatis*] Inane est corrigendi periculum eorum, qui in codd. scripserunt *incontaminatis*, ut versus 17 hyperme-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Virtus recludens immeritis mori
Coelum negata tentat iter via
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum

Solvat phaselon; saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

ter esset. Illa enim forma, quae nunc hoc tantum loco Horatii reperitur, facta est ex obsoleto verbo *taminare* i. e. tangere. — *recludens*] cf. Simon. fr.: »Οὐδὲ τεθνᾶσι θανόντες, ἐπεί σφ' ἀρετὴ καθύπερθε Κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀΐδεω.« — *negata*] hominibus quales esse solent. cf. Senec. Herc. fur. 439: »Non est ad astra mollis e terris via.« — *udam humum*] nebulis et humido aëre tectam, contra quam cogitandus est perpetua serenitate nitens aether, quem ut dignum suo candore domicilium quaerit virtus. — *Est et*] Compara Simonidis hoc fragmentum Ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας (p. 398 Schneidew.), quod Augustum in ore habuisse narrat Plutarch. Apophth. Augusti 7 et Horatium voluisse exprimere credendum est; quamquam omnino in levissima saepe similitudine verborum imitationes investigare non magis iniquum est quam molestum. — *Cereris sacrum*] Fides in rebus sacris probata exemplo facilis est conclusio et t praestandam in omnibus corruptam fidem. Sac summa religione continebi qui vulgare auderet, lir incontinentis ac nullius fi *gilemve*] Codd. *fragilem* mutandum iam Bentleiu dit. Opponuntur enim i ctum et navis. Cfr. Callin »Λάματερ, μὴ τῆνος ἐμὶ σοι ἀπεχθὴς, Εἴη, μη χος· ἐμοὶ κακογείτονες *Diespiter*] vide ad Carm. *incestum*] impium; sic pius C. S. 42. — *antec* propterea securum; nim nam effugere posse si Poenam autem quasi dea pter claudum pedem vi dicam. Eurip. fragm. »ἡ σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ Στε ψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύ paretur Homerica descrip XIX, 91 sqq. IX, 502 s

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen III.

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,

Carmen III.

Ne huic quidem carmini proprius aditus paratur, sed subita quadam ratione, ut cum superioribus coniunctio appareat, quarta additur virtus constantiae. Ea enim, iustitiae comes, primis statim versibus quasi parens praedicatur invicti animi, qui ne summae quidem potestati — in qua significanda a minore hominum vi per naturalium rerum potestatem ad validissimam ipsius Iovis manum adscenditur — unquam cedit. Constantia virtus est qua qui omni tempore bene merere voluerunt de hominibus, magna sua facinora patrare, aeternam laudem sibi parare viamque ad coelum munire potuerunt. Quorum splendidum exemplum Romulus est, qui qua eminuit virtute invidiam et odium acerbissimi etiam adversarii superavit urbemque Romam condere ac firmare potuit. Iuno enim, non temere provocata sed nativa Romanorum adversaria, quae quidquid voluntate ac potestate potuit efficere in delendam urbem Troiam olim contulerat, quae cum suam maiestatem Minervaeque castitatem prae luxuria ac mollitie contemptam a Troianis vidisset totam sese stirpem eversuram iuraverat, tamen Romuli insigni virtute commota quominus inter deos is recipiatur non amplius vult prohibere neque magis impedire quominus Troianorum posteri ex urbe sua Italiam, ex Italia totam terram subiiciant, dummodo ut imperii parens Romulus quo tendere debeant recte pernoscant neque perfidae Troiae et maiorum falsa vestigia sequantur. Inter Romam et Troiam mare saeviat necesse est, Troia ut renascatur nunquam potest concedi, h. e. cavendum est ne Roma exemplum Troiae sequatur, ne Roma altera quasi evadat Troia, ne Romani cives divitiarum blanditiis deleniti voluptatibusque capti divinam maiestatem et sapientiam spernant. Audacter poeta ipsam Iunonem ad deos de recipiendo in coelum Romulo dicentem fecit, sed non maiore audacia quam felicitate. Vides enim, quanta arte, praemissa generali quadam de constantia doctrina, quid inde commodi redundaverit et redundet in imperium Romanorum deam docentem induxerit: quam egregie ea deorum concio inventa sit, quo consilio Iunonis, non alius dei orationem retulerit. Nihil in hac oratione inest degressionis nescio cuius poeticae; latet ibi summa carminis, quam insolita quadam forma inclusam venuste poeta excusavit clausulae simul aptissimam rationem nactus. Admiranda etiam est admodum grata urbanitas, qua vv. 11. 12 Augustus magnorum virorum, quorum laboribus securitas et otium bonorum hominum ab insidiis et dolis malorum hominum et ferarum bestiarum vindicata olim esse traduntur, societati adscribitur cum Romuloque comparatur quasi alter parens imperii. cf. Epist. II, 1, 5 sqq. Si verum est quod dicunt, habuisse olim Iulium Caesarem sedis imperii Troiam transferendae consilium, fieri potuit ut inde poeta hanc carminis formam sumeret. Quid enim magis imperium perdere potuisset? — Non improbabilis est coniectura, Horatium in oratione Iunonis exemplum Ennii secutum esse, cuius fragmenta non inepte sic coniunguntur: »Respondet Iuno Saturnia sancta deorum« et »Romulus in coelo cum dis genitalibus aevum Degat.« Summa igitur carminis cernitur in laude et gloria nominis Romani, in constantia tanquam in fundamento posita, per annorum seriem adaucta, ab Augusto ad summum fastigium elata.

V. 1. *tenacem*] Sic Caes. b. c. I, 83 »tenere uterque propositum videbatur.« Et Ovid. Met. X, 405 »propositique tenax.« Quid in simili re audere potuerit poeta, ostendit locus Epist. I, 13, 11. — *ardor*] de

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet ore nectar.

quavis cupiditate; nobilius certe vocabulum quam furor. Lucret. III, 252: »Sive voluptas est sive est contrarius ardor.« — *iubentium*] Iubet populus, censet senatus. Notandus est additus accusativus obiecti. cf. Sat. II, 3, 141. II, 5, 70. Epist. II, 2, 63. Sall. Iug. 84, 1. — *instantis*] Qui ab altero nunquam recedit, sive ut ipse alteri iniuriam aliquam vel malum inferat, sive ut alterum ad ingratum aliquod opus perficiendum cogat, is instare alteri dicitur, ut Sat. I, 1, 115. Epist. I, 2, 71; absolute hic ponitur et Carm. II, 14, 3. — *mente quatit solida*] Haec quoque verborum coniunctio poetica et audacior est pro *mentem solidam alicuius quatere*. Ablativo autem poeta eam iusti et constantis hominis partem accuratius significat, qua ille illatam vim sentit. *Solida* mens opponitur quasi liquidae, fluctuanti menti eius, qui cum certam voluntatem non sequatur, omni externae potestati obnoxius est. — *dux*] cf. Carm. I, 3, 15. — *fulminantis*] Semel apud Horatium; poeticum vocabulum a serioribus prosae orationis scriptoribus receptum. — *hac arte*] in prosa: hac via, hac ratione, quamquam apud Tacit. Ann. I, 28 similiter: »Accitur centurio Clemens et si alii bonis *artibus* grati in vulgus.« cf. Sat. II, 5, 3; levis quaedam in hac voce significatio inesse videtur Graecae ἀρετῆς. Est enim constantia, virtus. Suo more Horatius a generali sententia per mythica exempla ad suam rem leniter progreditur. In quibus plis memorabilis est quaedam tae constantia; eadem eni ries Carm. IV, 8, extr. et I 1, 5. Neque magnus fuit magnorum virorum, a quib pla peti potuerunt. — *eni* lius quam quod etiam est i *innisus*; qui altiora petunt, tur. cf. Virg. Georg. II, *Quos inter*] Vocabulorum praepositi nominis notionem vitatem auget, praepositio coniungendis notionibus in ipsa notione caret nimiam trahit, orationem concinnio tioremque reddit, rhythmu suum adiuvat. cf. Epod. 2, 3 12, 23. 16, 40. Sat. I, 1, 4 53. 60. 68. 100. Epist. II, *recumbens*] cf. Epist. I, 5, 1. *pureo ore*] vide ad Carm. I — *bibet*] Sic nunc scripsi cu kamp. Ritter. Keller. ex mu misque codd., ne honor, tuo deberetur, vivo iam da quod fieret, si cum aliis Co lio, Haupt. Meinek. *bibit* scr cf. Tacit. Ann. XVI, 47: »D nor principi non ante habet agere inter homines desieri H. N. VII, 45: »deus ille (A coelumque, nescio adeptus meritus.« Tac. Ann. IV, 38 mos quippe mortalium altis pere. Sic Herculem et apud Graecos, Quirinum deum numero additos; m gustum, qui speraverit« H stus ipse ad Tiberium scrip

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit

In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes nec Priami domus

ton. Aug. 71): »benignitas enim mea me ad coelestem gloriam efferet.« Antiquis enim hominum inter deos relatio indicium erat ingentis famae insolitaeque dignitatis. cf. Carm. III, 5, 2. IV, 5, 32. Epist. II, 1, 15. — *Bacche pater*] Epist. II, 1, 5. Pater appellatur, quia eius beneficio terrae insita est vitium procrecandarum vis, hominesque ipsi vini cultura ad cultiorem vitam sensim perducebantur. Inde etiam tigres ab eo domabantur. Cic. de Fin. III, 20, 66: »hi, qui valent opibus atque id facere possunt, ut de Hercule et de Libero accepimus, ad servandum genus hominum natura incitantur.« — *collo*] Singularis pro plurali apud poetas ponitur ad unitatis et concordiae notionem sustentandam. cf. Epod. 2, 64. — *Quirinus*] Lege Ovid. Met. XIV, 805 sqq. — *gratum*] accusativus obiecti est. vide ad Carm. II, 12, 14.

V. 18. *Ilion*] De genere nominis vide ad Carm. I, 10, 14. Malebat tamen Bentleius v. 23 *damnatam* contra librorum auctoritatem, ne quid ambiguitatis relinqueretur. Secuti sunt Meinekius, Hauptius, Linkerus, Ritterus, nulla necessitate coacti: nemo enim *damnatum* cum praecedente vocabulo *pulverem* coniungere velit, id quod cavere voluit Bentleius. *Kellerus* recte codicum auctoritatem servavit: etiam schol. *damnatum* habent. In conduplicatione (*ἀναδιπλώσει*) cohortandi et deterrendi vis inest. — *fatalis iudex*] De Paridis iudicio cf. Virg. Aen. I, 26. Hom. Il. XXIV, 28. Fatalis i. e. fato destinatus ad exitium Troiae ferendum, quia incestus est castaeque (v. 25) deae invisus. *Que* particula addantur nonnunquam quae explicandi causa necessaria videntur. Sic infra v. 59. Carm. I, 7, 30. I, 36, 9. III, 5, 36. — *mulier peregrina*] Dea indignatione plena Helenam non nominat. cf. v. 32. — *vertit*] Paris absolvit perniciem Troiae iam destinatam, ex quo Laomedon deos fefellit. De fraude Laomedontis vide Hom. Il. VII, 452 sq. XXI, 422 sqq. Apertum est, *fraudulentum ducem* v. 24 non esse innocentem Priamum, qui maiorum culpam luit, sed ipsum Laomedontem. — *mercede pacta*] est ablativus instrumenti. Similiter Liv. I, 51: »quod morando spem destituerit.« — *adulterae*] genitivus est, non dativus. *Splendet* enim absolute positum est: floret, superbit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, discere nectaris
Sucos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium

De re cf. Hom. Il. III, 392. — *Hectoreis*] cf. Carm. I, 3, 36. Epist. I, 12, 30. Propert. III, 3, 44: »Teutonicas Roma refringat opes«, in quo loco idem est verbi *refringendi* poeticus usus, frangendo reprimere. — *resedit*] Contrarium residere est surgendo. Ovid. Am. I, 1, 27: »Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat.« — *Troica sacerdos*] Servius ad Virg. Aen. I, 273: »Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.« Id. ad VI, 778: »dicit namque (Ennius) Iliam fuisse filiam Aeneae; quod si est, Aeneas avus est Romuli.« — *redonabo*] h. v. non legitur nisi bis apud Horatium, sed diversa significatione: Carm. II, 7, 3 idem est quod reddere, h. l. impunitum aliquem mittere. Verum in hac quoque notione altera reddendi inclusa est, praesertim quia coniuncta est cum dativo *Marti*. Qui alicui aliquem eripuit, deinde incolumem reddit, is redonat. — *discere*] Sic multi codd. et Porphyrio quos *Kellerus* quoque secutus est; vulgo *ducere*. Sed Martis filius qui admittitur ad convivium deorum, mortalis nectar nondum gustavit; satis est igitur *discere* eum sucos nectaris. — *quietis*] cf. Sat. I, 5, 101.

V. 37. *inter saeviat Ilion*] Nonnunquam poetae inter praepositionem eiusque casum verbum aliquod interponebant; hoc autem loco diaeresis seiuncta quae videntur vocabula tollit simul et coniungit. cf. III, 15, 5. 27, 51. Virg. Bucol. 6, 19. Aen. II, 278. — *exsules*] Romani. — *busto*] Priamus caruit quidem busto, nam discerptus et dilaniatus in littore iacuit (Virg. Aen. II, 557); neque tamen vituperandus Horatius. Totus enim ager Troianus eius quoddam sepulcrum est. — *insultet*] summa in mortuum contumelia; ut apud Hom. Il. IV, 176 et ap. Eurip. El. 327 Aegisthus Agamemnonis *ἐνθρώσκει τάφῳ*. — *Capitolium*] cf. III, 30, 8; certissimum pignus perpetuitatis imperii rerumque Romanarum summum decus. — *ferae*] cf. Epod. 16, 10. — *triumphatis*] Activa vis in hoc verbo non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus.
Aurum irrepertum et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra,
Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores;
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.
Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,

inest nisi apud poetas et qui eos imitabantur seriores scriptores. — *possit*] Locus in fine versus eximius tritissimo vocabulo suam vim restituit. — *horrenda late*] metrica vi haec coniunguntur cfr. Carm. III, 17, 9. Virg. Aen. I, 21. — *medius liquor*] medium mare, quod extremas occidenti soli subiectas regiones coniungit cum oriente. — *spernere fortior*] Adiectivum participii more positum (vide ad Carm. I, 6, 19) condicionem habet a Iunone positam, i. e. si maiorem ostendat fortitudinem in spernendo auro quam in cogendo. Quare verba *humanos in usus* non cum cogendi verbo sunt coniungenda sed cum *rapiente*: humani enim usus profani sunt et ponuntur contra sacrum. — *obstitit*] ἀορίστως; qui a primis temporibus obstitit mundo i. e. orbi terrarum, et nunc quoque obstat, finem ponit. Quare dativus *mundo* praestat genitivo *mundi* paucorum codicum. — *quicunque mundo*] Bentleius: »Illud denique minus placet *quicunque terminus*. Quot enim, obsecro, sunt mundi termini? Legerim potius *Quacunque*, ut mox sequitur *qua parte ignes, qua nebulae*.« Nimis acute; adduntur enim termini ipsis versibus 55 et 56. — *tangat*] rectius quam *tanget*, quod *Kellerus* ex multis sane codd. recepit; non vaticinatur Iuno, sed ut Romani eo perveniant concedit. Insequentibus versibus describuntur zona torrida et frigida. cf. Carm. I, 22, 17 sqq. — *rores*] apud poetas de quocunque liquore.

V. 61. *renascens*] Si Troia renascitur, malis ominibus renascitur,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.
Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hoc iocosae conveniet lyrae:
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

Carmen IV.

Descende coelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,

quoniam Iunonis numen id fieri non patitur. cf. Carm. I, 15, 5. — *victrices*] quae semel iam vicerunt et iterum vincent. — *coniuge me*] Virg. Aen. I, 46. In utroque loco inde gloriam petit et superbiam, quod coniux simul est et soror Iovis; apud utrumque poëtam vv. *coniux* et *soror* gravissima versuum loca occuparunt. cf. Hom. Il. IV, 59 sqq. XVI, 432. — *Phoebo*] Pindar. Olymp. 8, 31: »*Τὸν* (*Αἰακὸν*) *παῖς ὁ Λητοῦς εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν, Ἴλιῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον Τεῦξαι, καλέσαντο συνεργὸν Τείχεος.* cf. Carm. IV, 6, 23 sq. — *ter*] numerus poeticus, ut Virg. Georg. I, 281 sqq. IV, 384. Ovid. Met. X, 452. — *Argivis*] cf. Carm. I, 7, 8 sq. — *non hoc*] cf. Carm. II, 1, 37. Fluctuant codd. inter haec: *non hoc conveniet, non haec conveniet, non haec conveniunt.* Futurum necessarium videtur; vetatur ne longius pergatur; unde haec *quo tendis?* Singularis autem auctoritate optimorum codicum sustentatur. — *tenuare*] vocabulum poeticum; verba in syllabam *are* desinentia propter suavem et gravem sonum plerumque placuerunt poetis.

Carmen IV.

Discrepat hoc carmen a duobus superioribus eo, quod non caret introitu; quo cum quintum et sextum destituta sint, tota haec series in duas aequales partes dividitur. Inter quas hoc maxime discriminis est, quod cum illa parte magis virtutes, quibus Romani nominis gloria innititur, ostenduntur et praedicantur, hac altera poeta docet, quid de necessitate principatus de Augustique praestantia sibi persuaserit. Cui rei brevi in tertio carmine Augusti commemoratione quasi via sternitur. Iam incipit poeta a sublimi invocatione Musae, cuius ope in tanta re quam maxime indigere se sentit. Quam sibi non defuturam bene scit; morem enim dii gerunt iis quibus favent. Quare ad ipsa sacra nemora, ad conventum Musarum admissus esse sibi videtur, et quemadmodum primo carmine Musarum se sacerdotem nominavit, hic cantum suum patriae amoris plenum commendat ut divina ori-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Seu voce nunc mavis acuta
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.
Me fabulosae Vulture in Apulo
Altricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes

gine ortum. Musis enim tota poetae vita dedita fuit, quaecunque huic bona unquam evenerunt illis debentur, pii igitur et sacri vatis carmina divinae voces sunt. Ut poetam sic omnes adiuvant Musae, a quibus coluntur; etiam Augustum, qui non militaribus solum virtutibus eminet sed deditus etiam est leni Musarum potestati, quibus quod imperium sapientia temperatum habet acceptum refert. Nulla enim vera potestas est sine sapientia; vis consilio non temperata invisa diis est neque potest durare. Haec sententia uberius explicatur imagine pugnae, quam coelestis Iuppiter, in quo omnis sapientia est, cum Titanibus pugnavit, rudium et immoderatarum terrestris naturae virium exemplis. Quae cum ita sint, poeta perfecto hoc carmine pietatem celebrat erga deos cum eaque coniunctam sapientiam, iustam eam cuiusvis potestatis moderatricem. In qua re Horatius invocata Musa eo ferebatur, ut a suo exemplo ad Augusti maiorem auctoritatem, ab Augusto ad generalem et exemplorum simplicitate prope liberatam doctrinam sese tolleret; quae quidem ne philosophi magis quam poetae esse videretur, mythicis fabulis passim insertis prudenti consilio cautum est. Vix est quod moneamus, videri Horatium in describenda illa Iovis et Titanum pugna proxime attingere voluisse suam aetatem, qua factionum temeraria cupiditas omni utilitate, quae ex superiorum temporum fatali ratione potuisset capi, pertinaciter contempta cum principatu Augusti, divina prudentia Romanis imposito, impium certamen inire ausa est. De qua re cf. Ovid. Met. I, 200 sqq.

V. 2. *longum*] maius, uberius, ad quod canendum longiore Musae praesentia opus est. Ad insequentes versus compara Carm. I, 1, 32—34, ubi eadem ratione diversa genera lyricae poesis tibia et lyra distinguuntur. — *auditis*] Poeta ipse iam ἔνθεος est. Interrogat autem circumstantes, et eosdem quidem quos Carm. III, 1, 4 cogitaverat. — *amabilis insania*] Oxymoron. Est furor poeticus, ἐνθουσιασμός, μανία. — *videor*] in prosa vulgo: *mihi videor*; ut Carm. II, 1, 21; sed sic etiam Cicero de amic. 12, 41. Divin. in Caecil. 14, 45. — *subeunt*] Latior huius verbi notio non magis auris apta est quam aquis; elegantius est enim quam intrare, nihil aliud. — *fabulosae*] Et strophae et rerum necessitate coniungenda sunt *fabulosae palumbes*, mirae, prodigiosae. Congruunt *me fabulosae* et *puerum palumbes*. — *in Apulo*] Vultur Apuliae mons erat supra Venusiam; parte tamen etiam in Lucaniam procurrebat. Deinde insolitum quidem, sed ferendum est, quod prima syllaba *Apuliae*, quam Horatius aliis locis produxit, v. 10 correpta est, cum v. 9 eadem littera producta sit. Nam praeterquam quod in nominibus propriis Latinis poetis magna admodum libertas fuit, apud unum Horatium triplex huius nomi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Texere, mirum quod foret omnibus
Quicunque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue tenent humilis Forenti,

Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae.

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.

nis metrum est: *Apulus* (— ∪ ∪) Carm. I, 33, 7. III, 4, 9. 5, 9. 16, 26. IV, 14, 26. Epod. 2, 42. Sat. II, 1, 38; *Apulia* (— — ∪ ∪) Epod. 3, 16. Sat. I, 5, 77; *Apulia*, *Apulicus* (∪ — ∪ ∪) Carm. III, 4, 10. 24, 3. Ac ne nimis in ea re haereas, compara illud Homeri Il. V, 31. 455: *Ἄρες, Ἄρες βροτολοιγέ κτλ.* Et dubitatum est, num possit Apulia, quae terra est, *altrix* appellari; sed cf. Claudian. in Prob. et Olybr. cons. 185 »ad loca *nutricis* iam non errantia *Deli*« et Stat. Theb. VII, 147: »altricemque domum.« Scripserunt autem ex coniectura: *limina sedulae, limina Dauniae, limen adulterae, limina providae*, alia. *Kellerus* ex codd. recepit *limina Pulliae*, quod nomen mulierculae, rusticae fortasse nutricis Horatii, fuisse fingitur. Illa autem *Pullia* exorta est ex errore scribarum Italorum, quippe qui vernaculo sermone *Apuliam* in *Pulliam* (*Pugliam*) mutare consueverant. — *fatigatumque*] Locum mutavit particula; vide ad Carm. II, 7, 25. Somnus autem somni cupiditas et desiderium est. — *puerum*] Similis est de Pindaro puero narratio, cui devio et somno oppresso apes mella in labra congessisse dicuntur. Poetarum vita tota Musis sacra est. — *nidum*] Cic. de orat. I, 44: »Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam.« Acherontia hodie *Acerenza*, Banti *Banzi* s. *Vanzi*, Forentum *Forenza*. — *ut*] coniunge cum *mirum*. Epod. 16, 53. — *lauroque*] In lauro et myrto vaticinatio quaedam inest de futura poesi Horatii Apollini et Veneri dicata. — *non sine dis*] Litotes fortior est quam simplex affirmatio; vide ad III, 26, 2. cf. Hom. Il. V, 185.

V. 21. *Sabinos*] ubi erat Horatii villa. Deinde nominantur tria oppida a Romanis vitandi caloris aestivi causa frequentata; inde epitheta etiam sumpta ab Horatio. Confer Epist. I, 2, 2. I, 15, 2. De Baiis vide ad Carm. II, 18, 20. Praeneste hodie est *Palestrina*. — *amicum*] cf. Carm. I, 26, 1. Sacer vates ubique et semper in Musarum tutela est, admittitur ad earum fontes et choros. De Philippensi clade vide Carm. II, 7, 13 sqq., de arbore nefasto die

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et arentes arenas
Littoris Assyrii viator.

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis, almae. Scimus ut impios

posita ideoque *devota* Carm. II, 13. II, 17, 27. — *Palinurus*] promontorium in ora Lucaniae prope Veliam situm, a Palinuro Aeneae gubernatore nominatum Virg. Aen. VI, 338. Incertum est, quod vitae periculum poeta significet; quamquam Comment. Cruq. dicit, Horatium ex bello Philippensi redeuntem ibi periclitatum esse. — *utcunque*] vide ad Carm. II, 17, 11. — *insanientem*] Inanimata etiam natura poetarum excitatis animis vivere videtur; inde ei quoque quaedam quasi voluntas est et cupiditas. cf. Carm. III, 7, 6. De Bosporo vide ad Carm. II, 13, 14. Coniunxit autem Horatius his duabus strophis omnes et maris et terrae terrores, omniaque apud barbaras et occidentis (Britanni, Concani i. e. Hispani) et orientis (Geloni, Scythae) nationes pericula. De Britannis Tacit. Ann. XIV, 30: »Cruore, inquit, captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.« — *arentes*] Sic ex bonis codd. scripsi propter gratam alliterationem; alii *urentes*; cf. Sil. Ital. VI, 140 »arentes arenas«, Ovid. Met. XV, 268: »humus aret arenis.« — *littoris Assyrii*] Cum Assyria non sit regio maritima, sed mediterranea, Syriae littus intelligendum est, ut apud Sil. XI, 41 »madefacta veneno Assyrio vestis« pro Tyrio, et Virg. Georg. II, 465. — *equino sanguine*] Ut Concani sic Geloni lacte concreto aut farre sanguine equino mixto vescebantur. Virg. Georg. III, 461 sqq. — *Scythicum amnem*] Carm. IV, 15, 24. — *altum*] cf. Carm. I, 6, 11. Sat. II, 5, 62. Metro prohibemur, ne coniungamus *altum militia*. Caesaris animus altus est, quia maiorem etiam esse aliquam laudem quam bellicam intellexit. — *abdidit*] Sic maior pars antiquissimorum codicum, et dictum est de finiendis belli laboribus nec habet quidquam ignominiosi aut inhonesti, quod senserunt ii, qui ex aliis codd. praetulerunt *addidit*, ut esset *addidit tanquam novos colonos*. Tertium quod legitur *reddidit* merum glossema est. — *consilium*] trisyllabum per *συνεκφώνησιν*, ut Carm. III, 6, 6. Sat. I, 8, 43. II, 2, 21. II, 8, 1 coll. 75. Virg. Aen. II, 442. — *Scimus ut*] qua ratione; hoc enim differt *ut* part. ab infinitivo cum accusat., quod non tam dicitur scire aliquem factum esse aliquid, quam qua quid ratione factum sit describitur. — *turmam*] C. S. 38. In com-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno et
Nunquam humeris positurus arcum,

pluribus codicibus *turbam*; confusa eadem vocabula sunt v. 47, ubi in nonnullis libris male *turmas*. — *caduco*] Prop. IV, 2, 53 »tela caduca.« Aeschyl. Prom. 358: »Ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ (*Τυφῶνι*) *Ζηνὸς* ἄγρυπνον *βέλος*, *καταβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα*.« Magna vis est in hoc adiectivo; Titanes telis gravi manu Iovis fortiter demissis ad terram, unde coelum petere studebant, prostrati sunt. Iam vide num quid praestet Bentleiana coniectura *corusco*.

V. 45. *inertem*] Carm. I, 34, 9. Grato certamine inter se opponuntur immobilis terra et turbidum mare, deinde terra ab hominibus culta (*urbes*) et inanis Orcus, tum beati quietique dii et discordes semper homines; iisdem autem partibus triplex imperium Iovis describitur. — *fidens brachiis*] Necessario haec coniunguntur ut apud Hom. Il. XII, 135 »*χείρεσσι πεποιθότες*«: in brachiis enim corporum robur inest, quo contra Iovis mentem pugnare audebant. Potuerunt ii quidem aliquamdiu terrorem incutere (*horrida*), sed nihil efficere quod maneret. Sic cohaerent vv. 49—58. — *fratresque*] vide ad Carm. I, 3, 19. Intelligendi sunt fratres Aloidae, Otus et Ephialtes. cf. Virg. Georg. I, 280. Ovid. Met. I, 151 sqq. — *Typhoeus*] *Τυφωεύς*. Virg. Aen. IX, 713. Ovid. Met. V, 321 sq. III, 303. — *Mimas*] apud Hesiodum est Centaurus, apud Euripidem Gigas. — *Porphyrion*] *βασιλεὺς Γιγάντων*. — *statu*] i. e. stabili gradu, ut apud Liv. XXX, 18 »statu movere hostem.« — *Rhoetus*] cf. Carm. II, 19, 23. — *Enceladus*] cf. Virg. Aen. III, 578. — *sonantem*] Clipeus hasta percussus sonum hostibus terribilem edit. — *Palladis*] A Iovis parte stabant omnes dii deaeque; ex quibus nominantur sapientia Minervae, officiosa sedulitas Vulcani (*avidus*), maiestas Iunonis,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.

Vis consili expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum, notus et integrae
Tentator Orion Dianae
Virginea domitus sagitta.

Iniecta monstris Terra dolet suis
Moeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit
Impositam celer ignis Aetnam,

Incontinentis nec Tityi iecur
Reliquit ales nequitiae additus

Apollinis sinceritas et veritas, qua quidquid impurum et improbum est indefessa fortitudine adoritur. Quas deorum facultates poeta rara epithetorum brevitate indicavit. — *Castaliae*] Limpidus fons est in iugo Parnasi, Apollini sacer. — *lavit*] vide ad Carm. II, 3, 18. — *mole sua*] quia nimia est et modum rectum egreditur, si non est temperata consilio. — *testis*] Stropham, quam Buttmannus, Peerlk., Meinek., alii nulla codicum auctoritate adiuti spuriam esse putarunt, Acron, Porphyrio, Comment. Cruq. iam legerunt; atque cavendum est ne eiecta una reliquam quoque carminis partem in eandem cladem abripiat. Peerlkampius ex toto carmine nihil ut Horatianum agnoscit nisi strophas 1. 2. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 19, decem reliquas eiecit. Quae conamina in quantam sive audaciam sive necessitatem criticos novarum rerum cupidos egerint, nuper ostendit Gruppius, qui eo licentiae est progressus, ut nihil prope intentatum relinqueret. — *Gyas*] cf. ad Carm. II, 17, 14. — *Orion*] Apollodor. I, 4, 3: »Ὠρίωνα δὲ Ἄρτεμις ἀπέκτεινεν ἐν Δήλῳ, τοῦτον γηγενῆ λέγουσιν ὑπερμεγέθη τὸ σῶμα.« — *virginea*] cf. Propert. II, 1, 67: »Dolia virgineis (Danaidum) idem ille repleverit urnis.« Lucan. Phars. V, 142: »Virginei patuere doli.« Sic Carm. III, 3, 28 *Hectoreis*. — *integrae*] intactae. — *tentator*] nove dictum. — *Terra*] Γαῖα, mater Gigantum. — *luridum*] Qui color significetur, videbis ex Carm. IV, 13, 10. Epod. 17, 22. — *ignis*] Ne victus quidem Aetnaeque subiectus Typhoeus pugnare desinit; ignem evomit, sed ne eius quidem celeritate quidquam efficiet. — *Tityi*] Hom. Od. XI, 575—580. — *reliquit*] In bonis etiam libris MSS. *relinquit*. Utramque eodem redit. Perfectum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

Carmen V.

Coelo tonantem credidimus Iovem
Regnare; praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium,

praestare videtur propter praecedens idem tempus *peredit*. Supplendum *adhuc*. — *Pirithous*] Lapitharum rex cum Theseo amico Proserpinam ex Orco rapere conatus a Plutone saxis alligatus est. cf. IV, 7, 27 sq. — *trecentae*] permultae; ut in prosa sexcenti. cf. II, 14, 5. Sat. I, 5, 12.

Carmen V.

Quod in praecedente carmine pugna Titanum et Gigantum indicatum est, id huius carminis stropharum quasi agmen ducit. Ut Iuppiter, totius mundi gubernator, in coelo regnat, sic Augustum rerum gestarum magnitudo terrarum dominum fecit. Ab eo igitur sperandum est fore ut Romana dignitas integra restituatur, ut quas morum depravatio Romano nomini inusserit maculas deleat, ut ea reducantur tempora quibus bonorum laus et bona fama pluris habebantur quam corporis salus et vita. En habes sententiam, quam duobus exemplis illustrandam Horatius sibi sumpsit; alterum est eorum militum, qui Crasso primum, deinde Antonio a Parthis victo capti adeo potuerunt oblivisci Romani nominis ac dignitatis, ut inter Parthos habitare, matrimonia inire, arma etiam contra patriam ferre non dedignarentur. Alterum exemplum Reguli est; qui cum istis compositus quantus quantaque laude dignus eminet! Qui cum adversa fortuna a Poenis captus esset, indignum se habuit qui Romani civis nomine ornaretur, nec honestatem semel amissam ullis posse restitui artibus singulari iudicio iudicavit. Huius igitur tanti viri exemplum cum maiore ubertate exornaret, Horatius rectum quo tam multum ille valebat sensum eximie comprobavit. Carmen habet 10 strophas, ex quibus oratio Reguli 6 medias explet; praecedunt quattuor totidemque sequuntur.

V. 1. *tonantem*] τερπικέραυνος Ovid. Fast. II, 130: »Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto, Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.« Lucan. III, 319: »per fulmina tantum Sciret (mortale genus) adhuc coelo solum regnare tonantem.« — *credidimus*] semper et credidimus et credemus. — *praesens*] vide ad Carm. I, 35, 2. — *adiectis*] cum adiecerit; loquitur enim poeta de futura imperii spe. — *coniuge barbara*] Iunge *maritus coni. barb.*, ut Ovid. Her. 4, 134: »fratre marita soror.« *Turpis* est, quia dedecuit cives peregrinam et hostis filiam in matrimonium ducere. cf. Caes. b. c. III, 110. — *vixit*] Locus quem occupavit verbum magnam ei tribuit

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pro curia inversique mores!
Consenuit socerorum in armis

Sub rege Medo Marsus et Apulus
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae
Incolumi Iove et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris et arma
Militibus sine caede, dixit,

Derepta vidi; vidi ego civium

vim. — *hostium*] Iunge cum *socerorum*. — *curia*] ubi senatus habebatur, in quo maiestas populi Romani est. Cic. pro Planc. 29 »stante urbe et curia.« — *armis*] Sic omnes codd. praeter unum, in quo *armis*, quod viri docti ex coniectura restituendum putaverant. At vero quod ii qui capti et in servitutem redacti erant dominorum agros colebant, non fuit dedecori, sed quod arma etiam hostilia in patriam ferebant. Cuius quidem rei exemplum tristissimum edidit Q. Labienus, qui a Bruto ad Parthos ut auxilia peteret missus post cladem Philippensem Parthorum dux fuit adversus Romanos a. u. c. 714. Dio Cass. 48, 24: »οὗτος ὁ Λαβιῆνος ἔπεισε τὸν Πάρθον τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχειρῆσαι.« Vellei. Paterc. II, 78: »Labienus e Brutianis castris profectus ad Parthos, perducto eorum exercitu in Syriam interfectoque legato Antonii concusserat (provincias).« ibid. c. 82: »captivi cuiusdam, sed Romani, consilio et fide servatus est (Antonius).« — *anciliorum et*] pro *ancilium. Et* in bonis codd. deest; sed praestat polysyndeton. Flor. IV. 11, 3: »Antonius patriae, nominis, togae, fascium oblitus.« — *Vestae*] Cic. Cat. IV, 9, 18. — *Iove*] Capitolino. — *Hoc caverat*] Observanda sententiarum iunctura: Illud ipsum erat, quod prohibere olim suo exemplo voluerat Regulus, et tamen factum est. — *trahentis*] Sic omnes codices; neque opus est coniectura *trahenti*. Nam *trahentis* est *qui traheret*, quod ex protasi *si non periret* intelligas. Cfr. graeca coniunctio apud Plat. Criton. p. 48. C. *Trahere* autem solitum est vocabulum de contagione. Sat. I, 2, 59. Ovid. Met. I, 190 sq. — *periret*] Antiquis temporibus in eiusmodi formis syllabas *et, at, it* Latini produxisse videntur, cuius rei vestigia satis frequentia remanserunt; cf. II, 6, 14. II, 13, 16. III, 16, 26. Sat. II, 2, 47. I, 5, 90. II, 3, 187. II, 1, 82. Ita nec Glareani coniectura *perirent*, nec Lachmanni *perires* opus est. — *immiserabilis*] miseratione indigna.

V. 18. *signa*] De rebus et verbis compara Carm. IV, 15, 6 sq. Epist. I, 18, 56. — *derepta*] Omnes fere

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Retorta tergo brachia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis
Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.
Hic unde vitam sumeret inscius
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Karthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!

codices *direpta*, male. — *portasque*] Karthaginis. — *populata*] *Populare* verbum non sine exemplo, ut Liv. III, 6. Virg. Georg. I, 185. Aen. I, 527. — *Flagitio*] Medium carmen ut saepissime fit summam totius sententiam habet. *Damnum* in malo magis exemplo cernendum est quam in impenso pretio. — *lana*] cf. Quintil. I, 1, 5: »Natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.« — *deterioribus*] dativus; nam reponere est reddere. Epist. I, 7, 39. Plin. Epist. VIII, 2, 6: »Cum reputarem quosdam ex debito aliquantum, quosdam aliquid, quosdam nihil reposuisse.« — *si pugnat*] Si ordo rerum invertitur, fortes erunt qui semel capti honestatem amiserunt. — *perfidis credidit*] Egregie inter se opponuntur, ut Carm. III, 27, 25. — *Hic unde*] Sic plurimi codices et recte quidem legunt. *Hic* enim cum indignatione positum refertur ad eum militem quem ante descripsit. Is igitur qui capi se passus est, cum nimia cupiditate vitae conservandae occaecatus fortitudine recte eam servari non cogitaret, suam pacem fecit cum hoste. — *inscius*] Lachmanni coniecturam *anxius* receperunt Hauptius et Meinekius; Bentleius ex bonis codd. *aptius*, et ex coni. *»hinc*, unde vitam sumeret *aptius*, Pacem *et* duello miscuit.« Sed recte iam Comment. Cruq. »qui nesciret vitam viro forti potius de armis sperandam.« — *duello*] Antiquior forma egregia in ore antiqui Reguli. Sed reperitur eadem III, 14, 18. IV, 15, 8. Epist. I, 2, 7. II, 1, 254. II, 2, 98. Festus: »*Duellum* bellum, videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur.« Sic *bis* ex *duis*, *bonus* e

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse vultum,
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato
Interque moerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Carmen VI.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris

duonus. — probrosis] Probra cum dedecore sunt coniuncta; quare quod imperium Romanum a Poenis victum ruinam minatur, eius rei culpa est in ignominiosa civium ignavia. Sibi ipsi irascitur Regulus.

V. 42. *capitis minor*] »Capite deminutus erat qui in hostium potestatem venit« Festus cf. Liv. XXII, 60. Triplex erat capitis deminutio. Dio fragm. 153: »καὶ ὃς τά τε ἄλλα καθάπερ τις Καρχηδόνιος ἀλλ' οὐ Ῥωμαῖος ὢν ἔπραττε, καὶ οὔτε τὴν γυναῖκα ἐς λόγους ἐδέξατο οὔτε ἐς τὴν πόλιν καθάπερ ἐκβληθεὶς ἐσῆλθεν.« — *torvus*] cf. Ovid. Met. V, 92. Virg. Georg. III, 51 *ταυρηδὸν ὑποβλέπειν*. — *tortor*] cf. Cic. de off. I, 13. III, 27. — *reditus*] Plurali numero describitur, saepius Regulum populo prohibente reditum tentavisse. — *longa*] taedii plena — *Venafranos*] in Campania sitos. — *Lacedaemonium*] Carm. II, 6, 11.

Carmen VI.

Argumentum huius carminis cum quinto cognatum est. Nam Augustus qui eo tenderet, ut Romanam dignitatem inter ipsos cives et apud exteras nationes restitueret, pravitatis et corruptionis qua laborabat respublica quasi radices evellere debebat. Diuturna civium discordia fundamenta communis salutis suffossa erant, priscus timor deorum sublatus, templa devastata vel neglecta, integritas domestica vitae turpissi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aedesque labentes deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas;
Hinc omne principium, huc refer exitum:
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

mis flagitiis contaminata. Pietatem cum integritate restituendam censuit Augustus; inde eius in renovandis templis in corrigendisque moribus egregium studium. Quod quam rectum sit Horatius hoc carmine docet. Nam: »quia privati, inquit, commodi amor priscae deorum religionis sedem occupavit, dii omnes calamitates in impiam Italiam miserunt; infestissimi hostes, Parthi, saepius victores impetus nostros malis ominibus illatos gravi clade reiecerunt et Romanus civis, Antonius, barbararum gentium copias (Dacos, Aethiopes) ut contra ipsam patriam duceret ab animo potuit impetrare. Deorum immortalium contemptionem secuta est turpitudo domestica, qua omnes, imprimis mulieres, polluti et corrupti sunt; mala enim semina malos edunt fructus. Quare ante omnia iuventuti consulendum est; reducenda in animos iuvenum prisca pietas prisca disciplinae severitate. Severitate et officio assuefacta fuit ea iuventus, qua quidquid ex rebus Romanis perpetua splendet gloria gestum est, qua Hannibal, Pyrrhus, Antiochus superati sunt. Nostra aetas deterior est; avi nostri perniciei originem posuerunt, patres incrementa attulerunt, quibus nos rursus improbitate ita praestamus, ut nisi nunc ipsum corrigimur a malaque qua incedimus via deflectimus peiorem etiam simus relicturi progeniem.« Vides igitur, hoc quoque carmine efflagitare poetam, ut iuventus rectis et severis doctrinis imbuatur; aliam salutis viam esse nullam. — Restat, ut de tempore horum sex carminum pauca dicam. Quae cum cognatione consilii et loci inter se coniungantur, non possunt esse diversi temporis. Iam cum quartum et quintum ante a. 729 scripta esse non possint, omnia hoc anno iuniora esse nego. Nam ne in sexto quidem quidquam legitur, quod annum 726, quo anno Augustus templa reficere et mores corrigere incepit, aperte prodat aut tribus annis post scriptum esse nequeat.

V. 1. *templa refeceris*] cf. Carm. II, 15, 20. Sat. II, 2, 104. Peerlkampius scribendum putavit *meritus*; non bene. Omnia flagitia et scelera superiorum temporum, quibus bella civilia gesta et templa collapsa sunt, luet haec aetas, etsi ipsa nihil commisit. Antithesis, quae est inter *delicta* et *immeritus*, egregia est et a poeta quaesita. Deinde coniectura *meritus* solita caesurae sedes mutatur. Ceterum cf. Sueton. Aug. 30: »Aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit.« — *Romane*] cf. Sat. I, 4, 85. Virg. Aen. VI, 852. Quintil. VIII, 6, 20: »Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Nam et Livius saepe sic dicit *Romanus proelio victor*, cum Romanos vicisse significat.« Vis quaedam et gravitas inest in singulari omnes Romanos ad unum quasi corpus colligente. — *fumo*] et incendiis et incuria. Nam cum antiqua aedificia non haberent ea tectorum foramina quibus fumus apud nos colligitur et educitur, necessarium erat ut in templis etiam simulacra deorum lavarentur. — *te geris*] Sat. II, 5, 19. — *principium, huc*] vide ad Carm. III, 4, 41. Zeugma in hoc loco non est; nam *princip.* nominativus est. Quod ut intelligas conferas Cic. de off. III, 8, 36. de senect. 12, 39. Terent. Andr. I, 1, 99: »Hinc illae lacrimae.« — *iam bis*] Non bis Monaeses et bis Pacorus, sed semel Monaeses a. 701 M. Crassi et semel Pacorus, Orodis filius, a

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos;
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Motus doceri gaudet Ionicos

714 Didii s. Decidii Saxae exercitum vicit. Quod deinde a. 718 ipse Antonius a Parthis superatus est, id nescio qua verecundia prohibitus non commemoravit. Amicitia Iuli Antonii (Carm. IV, 2) certe eum non prohibuit, qui v. 14 satis perspicue Antonium notaret. Fortasse ne idem homo in duobus malis publicis conspiceretur voluit cavere. Ceterum incertum est, quis fuerit Monaeses. Suspicantur eundem esse cum Surena illo, qui Crassum vicit; Monaesen illum dictum fuisse proprio nomine, Surenam ex Orientis more dignitatis vel magistratus nomen fuisse. Is autem Monaeses, qui apud Plutarchum Anton. c. 37. *ἀνὴρ ἐπιφανὴς καὶ δυνατὸς* appellatur et ad Antonium fugit, deinde a Phraate revocatus est, esse nequit; nam Surena ab Orode, Phraatis patre, interfectus est. — *non auspicatos*] De Crasso Vell. Pat. II, 46: »Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus tribuni plebis frustra retinere conati. Quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo valuissent, utile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset reipublicae.« — *contudit*] Magnam h. v. significat cladem; compara eius usum Epod. 5, 98. Epist. II, 1, 10. I, 8, 5. Sat. II, 7, 16. Carm. IV, 3, 8. — *renidet*] ridet, gaudet. Ovid. Met. VIII, 197. Catull. 39, 1: »Egnatius quod candidos habet dentes, Renidet usquequaque.« De coniunctione cf. Carm. I, 34, 16 et infr. v. 21. Parthorum milites tenuibus torquibus aureis ornati erant. — *Dacus*] Hi ab Octaviano spreti ad Antonium inclinaverant. Virg. Aen. VIII, 704.

V. 17. *fecunda*] De genit. cf. Carm. IV, 4, 58. In reliquis locis apud Horatium genitivus non est additus, sed facile intelligitur; cf. Sat. II, 5, 31. II, 4, 44. II, 3, 287. Carm. III, 23, 6. Epist. I, 5, 19. — *genus*] liberos. — *domos*] rationes domesticas. — *in patriam populumque*] Bentleius, ne otiosa synonyma ingerere videretur Horatius, corrigendum putavit *inque patres populumque*, ut Virg. Aen. IV, 682. IX, 192. al. Sed non est tangenda antiqua formula: cf. Liv. V, 41. Sall. Cat. 52. Ovid. Met. XV, 572. Deinde apud Horatium *que* praepositioni non adhaeret nisi Sat. I, 3, 141. — *Ionicos*] Iones mollitie insignes, inde *Ἰωνικὴ ὄρχησις* lasciva saltatio. — *matura*] quam aetatem modestia et castitas maxime commendat. Peerlkampius: »Exspectasses potius *immatura*, quod multo turpius. Matura etiam male convenit cum sequentibus, ubi eadem virgo dicitur amores

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Matura virgo et fingitur artibus;
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui;
Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis;

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister
Dedecorum pretiosus emptor.

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

incertos meditari *de tenero ungui*. Lego litteris paullum transpositis: *Motus doceri gaudet Ionicos a matre virgo*;« ingeniosa, sed non necessaria coniectura. — *artibus*] Est ablativus. cf. Carm. IV, 13, 21. Eleganter schol. Bland. Cod. ap. Petr. Nann. Miscell. III, 17: »quae motu oculorum, superciliorum, cervicis placet.« Ovid. Am. II, 4: »Illa placet gestu numerosaque brachia ducit Et tenerum molli torquet *ab arte* latus.« — *iam nunc*] cf. Epist. II, 1, 127. A. P. 43. Exspectationem res praecurrit. — *ungui*] ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, i. e. ex imis medullis, penitus, non: a prima pueritia. Plut. de educ. V. p. 3 ed. Did. »ἀγαπῶσαι (sc. matres) ἐξ ὀνύχων τὰ τέκνα.« Anthol. Pal. I, p. 119: »Τὴν δ' ἀπὸ τῆς Ἀσίης ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινουμένην ὀνύχων.« Cic. ad Fam. I, 6, 2 »qui mihi a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis (i. e. intime) es cognitus.« — *institor*] Epod. 17, 20; »Institores, quibus vestiarii dant vestes linteaque circumferenda ac distrahenda.« Gloss. — *navis Hispanae*] Plin. H. N. III, 3: Metallis plumbi, ferri, aeris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet, citerior et specularibus lapidibus, Baetica et minio. Sunt et marmorum lapicidinae.« Indę in Hispaniam frequens mercatura, et Hispani mercatores divites. — *dedecorum*] Varia dedecoris genera. — *aequor*] Primo Punico bello. cf. Carm. II, 12, 3. — *dirum*] vide ad Carm. II, 12, 2. — *Sabellis*] Quorum de severa disciplina vide Virg. Georg. II, 167. Aen. IX, 603 sqq. Ovid. Am. II, 4, 15 *rigidas Sabinas* vocat. Cic. pro Ligar. 11, 32. — *iuga de-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Portare fustes, Sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Carmen VII.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii
Thyna merce beatum
Constantis iuvenem fide,
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum

meret] Cum tota natura quiescit, cum etiam bobus iuga demuntur, severitas matrum iuvenes quieti se dare non sinit. — *agens*] adducens, ut Virg. Bucol. 8, 17. Observa oxymoron *agens abeunte curru*. — *aetas parentum*] Observa admirabili quodam artificio poetae quattuor aetates brevi trium versuum spatio coniungi. Gravissimum illud iudicium egregio modo carminum seriem claudit. cf. Eurip. fr. Alcmaeon. 7: »τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐγγόνους Θεοὶ τρέπουσι.« Solon. 5, 25: »αὐτὶς ἀναίτιοι ἔργα τίνουσιν ἢ παῖδες τούτων ἢ γένος ἐξοπίσω.«

Carmen VII.

Asterien, quae de Gygis, amati iuvenis, longa absentia sollicita erat, consolatur Horatius: neminem in amore constantiorem Gyge esse neque apud eum quidquam valere malas Chloës hospitae artes et illecebras; contra ne ipsa Romae periculis undique cincta fidem frangat magis ait esse timendum; quare eam admonet ut ne aurem praebeat Enipei vicini nocturnis carminibus, ut domum clausam teneat, ut difficilis maneat, dum Gyges revertatur. Graeca nomina licet haud dubie ficta sint, veros tamen et Romanos homines celare videntur; quamquam qui lateant investigare velle inane est studium et supervacaneum. Quo tempore compositum carmen sit nos latet.

V. 1. *quem tibi*] Relativa sententia ob eam causam praecedit ipsum nomen Gygis, quia consolandi rationes paucis verbis comprehensas continet. — *candidi Favonii*] cf. Carm. I, 7, 15. III, 27, 19. — *Thyna*] Thyni Thraces erant, qui in Bithyniam emigrarant, unde Plin. H. N. V, 32: »Tenent omnem oram Thyni, interiora Bithyni.« Utroque tamen nomine poetae certe sine ullo discrimine utebantur; Epist. I, 6, 33. Nobilis ea fuit regio propter multa et magna quae habuit emporia. — *fide*] Est genitivus, ut *acie* apud Caes. b. g. II, 23; dativus est Sat. I, 3, 95. In plurima parte codd. *fidei*, per synaeresin; sed ad Sat. I,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Post insana Caprae sidera frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui sollicitae nuntius hospitae
Suspirare Chloën et miseram tuis
Dicens ignibus uri
Tentat mille vafer modis.
Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias movet.
Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat cave:

3, 95 nulla adnotata est lectionum varietas. In eodem nomine eadem forma apud Ovid. Met. III, 341. VI, 566. VII, 728. 737. — *Oricum*] urbs Epiri, nunc *Orso* vel *Erikho*, colonia Euboeae, cuius portus iam ab Herodoto IX, 93 commemoratus est. — *insana Caprae sidera*] Capra quae olim Iovem nutriverat inter sidera relata locum in sinistro humero Aurigae habet; oriebatur autem una cum pluvialibus Haedis (cf. Carm. III, 1, 28) a. d. IV. Kal. Octobr., occidebat Kal. Ianuar. Sic indicatur pars auctumni cum parte hiemis, bruma. *Insana* propter tempestates, quas in mari movet. Cf. ad Carm. III, 29, 19. Pluralis autem numerus *sidera* Capram ipsam comprehendit cum Haedis.

V. 10. *tuis ignibus*] cf. Carm. I, 27, 16. *Ignes* ut *amores* pro ipso adolescente, qui amatur. Quare facile caremus coniectura Peerlkamp. (ed. 2.) *tui* sc. mariti, Gygis. Ovid. Am. III, 9, 56: »vixisti, dum tuus ignis eram.« — *Proetum*] De hac fabula lege Hom. Il. VI, 155 sqq. — *impulerit maturare*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *Pelea*] Hippolyte Acasti Iolci regis coniux Peleum, quem diu ad amorem frustra tentasset, vim sibi inferre voluisse apud maritum criminata est. Qui hospitem in Pelii montis solitudines abductum somnoque oppressum inter medios Centauros reliquit; neque eorum impetus Peleus nisi deorum misericordia adiutus sustinere potuit. — *movet*] In aliis bonis et antiquis codicibus *monet* legitur. Sed *Wagner* ad Virg. Aen. VII, 641 animadvertit, *moneo rem* non esse latinum; dicebant autem *cantus, preces, mentionem movere*. cf. Virg. Aen. I, 262. VII, 641. Ovid. Met. XIV, 21. *Historiae* autem sunt *μῦθοι*. — *frustra*] Vide ad Carm. III, 13, 6. — *Icari*] non pro Icarii sc. maris; sed sunt ipsius Icari scopuli; ceterum cf. Epod. 17, 54. Gra-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

Carmen VIII.

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores et acerra thuris

tum est oxymoron *surdior audit*. cf. Euripidis Med. 28: »ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος κλύδων ἀκούει: audit quidem, sed non movetur magis quam si non audivisset. Quare reiicienda est codicum non paucorum lectio *spernit*.

V. 20. *quamvis conspicitur*] vide ad Carm. I, 28, 13. — *flectere equum*] In delicata qua tum perdebantur Romani pueri (Carm. III, 24, 54 sqq.) vita magnum haud dubie fuit roboris argumentum in equitandi nandique artibus; quapropter in his saepius ad amorem puellarum excitandum gravis sane commendatio quaeritur, de qua compara sis Carm. I, 8, 6. III, 12, 7. Summa igitur Enipei laus ostenditur ab Horatio bis posito *aeque* adverbio in illustri loco, initium dico et finem versuum. — *Tusco*] cf. Carm. I, 2, 13. — *denatat*] ἅπαξ λεγόμενον ut videtur; est autem ex superiore loco in inferiorem natare, quae quidem significatio praepositionis *de* mox redit in verbo *despice;* compara *delabi* Carm. III, 29, 35; *decidere* Epist. I, 14, 29; *decurrere* Carm. IV, 2, 5; *defluere* Carm. I, 12, 29. Epist. I, 2, 42; alia. — *neque despice*] vide ad Carm. I, 11, 2.

Carmen VIII.

Horatium a. 729 cadente subito arbore paene exstinctum esse ad Carm. II, 13 expositum est. Quae quidem res tam admirabilis ei visa est, ut ob conservatam salutem gratum diis animum annuo sacrificio testari decerneret. Vocat igitur insequenti anno dulcissimum amicum, Maecenatem, ad epulas cum sacrificio hoc festo die celebrandas. Qui cum nesciret, quid hoc potissimum die, Matronalibus, caelebs Horatius coenam instituisset, domum intrans sacros ibi apparatus mirari se vultu exprimit. Iam hoc carmine cogitandum est excipere Horatium laete amicum quidque sit rei explicare. Dividitur carmen ex septem strophis compositum in duas partes, quarum prior tres strophas complectens festiva aliqua ratione admirationem habet Maecenatis Horatiique cur ea paraverit explicationem. Tum media stropha invitatur Maecenas, ut adesse velit hilari quidem sed a nimia laetitia alieno convivio; in quo loco grave est v. 13 vocabulum *amici*, quocum aliqua certe ratione coniungenda sunt ultima huius strophae vocabula. Amicum posci ait ab amico, amicas etiam epulas fore;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,

Docte sermones utriusque linguae:
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

quare abiiciendas esse omnes alienas curas, etiam publicas, fruendum potius quae hora praebeat bonis, pellendam in laeta re severitatem. Haec extrema altera continentur carminis parte, composita item tribus strophis Maecenatem ita spectantibus, ut primae tres Horatium.

V. 1. *Martiis Kalendis*] Kal. Mart. celebrari solebant Matronalia in honorem Iunonis et in memoriam connubiorum Romulo reguante institutorum. Fuit etiam mos hoc die mulieres strenis donare. Martial. V, 84, 11: »Scis certe puto vestra iam venire Saturnalia, Martias Kalendas; Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.« — *acerra*] arca thuraria. — *cespite*] cf. Carm. I, 19, 13 sqq. — *docte*] Admodum festiva alloquendi ratio: »quid mihi sit caelibi cum matronalibus, tu, quamquam peritissimus es rerum sacrarum et Latinarum et Graecarum, tota ista doctrina non assequeris.« Sermones enim litterae ipsae sunt. cf. Cic. de off. I, 1, 1. Martial. X, 76, 6 »amicus Lingua doctus utraque.« Suet. Claud. 42: »Cuidam barbaro Graece et Latine disserenti, Cum *utroque*, inquit, *sermone* nostro sis paratus.« — *Libero*] vide ad Carm. II, 17, 28. Baccho cur caprum immolaverit, vide ex Virgil. Georg. II, 380; et album quidem, quia superis diis albae, inferis nigrae hostiae mactabantur. — *funeratus*] Aliis scriptoribus *funerare* est *insta mortuis persolvere*, Horatio *necare*. — *fumum bibere*] Colum. I, 6, 20: »Apothecae recte superponentur iis locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.« Apothecae igitur diversae erant a cella vinaria, quae ne vinum calore vitiaretur, in humum depressa fuit et septentriones versus sita. Amphorae autem vel vitro vel argilla confectae, ne aer accederet, gypsabantur vel oppicabantur. — *Consule Tullo*] Rectius videtur intelligi L. Volcatius Tullus, qui cum Caesare Octaviano consul erat a. u. c. 721, quo anno Horatius Sabinam villam a Maecenate acceperat, ita ut vetustissimum vinum videatur promere, quod in suo agro natum erat. Alii referunt ad eum Tullum, qui anno ante natum Horatium (a. u. 688) consul erat.

V. 13. *cyathos amici sospitis*] qui propter salutem amici servatam ebibantur. cf. Carm. III, 19, 9 sq.; in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis,
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens ne qua populus laboret
Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis cape laetus horae,
Linque severa.

Carmen IX.

Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior brachia candidae

qua re his verbis Romani utebantur: *bene te* vel *bene tibi*. Centum autem numerus hic est infinitus. — *Daci Cotisonis*] De hoc reliquisque rebus ad Romanam historiam pertinentibus vide ad Carm. II, 13. Cotiso rex Dacorum fuit. — *infestus sibi luctuosis*] En iterum exemplum constructionis ἀπὸ κοινοῦ quae solet vocari. Est enim Medus *sibi* infestus armis *sibi* luctuosis. Nam quod alii voluerunt *Medus infestus Romanis*, id cum ab hoc certe loco alienum videatur, tum vix ex adiectivo absolute posito intelligitur. Praeterea ne cum Heinsio et Bentleio *infestis — luctuosus* scribas vetat homoeoteleuton a poetis latinis magnopere adamatum. — *Cantaber*] cf. Carm. II, 6, 2. IV, 14, 41. Ep. I, 12, 26. — *Scythae*] cf. Carm. II, 9, 23 sq. — *privatus*] Cum privatus sis. Non tam indicatur Maecenati publico munere non fungenti mittendas esse publicas curas, quam velle Horatium, ut amicus totus sit apud se, ut nihil cogitet nisi mutuam qua gaudebant amicitiam. Praefectus urbi Maecenas non fuit, neque tunc neque ante. Nam ne eo quidem tempore, quo Octavianus ad bellum Actiacum profectus erat, Maecenatem vere praefectum urbi fuisse bene vidit Hoeckius (Römische Geschichte) T, I. p. 312. — *cape*] Codices etiam *rape* praebent, quod cur non sit recipiendum, invenies cum non cupiditatem, sed usum praesentis laetitiae suaderi intellexeris. — *horae*] Alii *horae et* vel *ac*; utrumque falsum. Asyndeton optimis codicibus probatur.

Carmen IX.

Dramaticum et amoebaeum hoc carmen inter amatoria fere dulcissimum in tres aequales partes facile dividi perspicuum est. Ac prima quidem pars (str. 1. 2) irae qua Horatius et Lydia distrahuntur originem ostendit, altera (str. 3. 4), qua quid rixam amantium secutum sit ostenditur, apposite transitur ad reconciliationem gratiae et amoris;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cervici iuvenis dabat:
Persarum vigui rege beatior.
Donec non alia magis
Arsisti neque erat Lydia post Chloën,
Multi Lydia nominis:
Romana vigui clarior Ilia.

Me nunc Thressa Chloë regit
Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

Me torret face mutua
Thurini Calaïs filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

Quid, si prisca redit Venus
Diductosque iugo cogit aëneo,
Si flava excutitur Chloë
Reiectaeque patet ianua Lydiae?

quae cum tertiam efficiat partem, totum carmen ita comparatum est, ut quam verum sit Terentianum illud: »amantium irae amoris redintegratio« venuste demonstretur. Nam hoc proprium est etiam primae et alteri parti, ut per zelotypiam et iram amoris tamen potestas quasi perluceat. Deinde quam sit suave, quod quidquid ab Horatio Lydiae obiiciatur perfidiae et invidiae, id statim ab hac superetur et acute augeatur, non est quod uberius exponatur. Quo anno scriptum sit carmen quis dicat?

V. 3. *dabat*] Simplex verbum compositi *circumdare* loco positum esse ex dativo intelligitur *cervici*; de quo nomine Quintilianus dicit VIII, 3, 35: »*Cervicem* videtur Hortensius primus dixisse: nam veteres pluraliter appellant«, cui addendum tamen, veteres poetas singularem sic ponere iam ausos esse. — *alia arsisti*] cf. Carm. IV, 9, 13. Epod. 14, 9, unde quid de altera lectione *aliam* iudicandum sit facile videbis. Orta ea est ex geminatione sequentis litterae. — *multi Lydia nominis*] De genitivo vide ad Carm. I, 36, 13. cf. Sat. I, 1, 33. Artificiosa strophārum similitudo cogit, ut septimum versum cum protasi coniungamus; sententia est: »donec non aliam magis amabas nec Lydiam Chloae posthabebas, Lydia contra multi apud te erat nominis, tamdiu clarior i. e. nobilior mihi visa sum Ilia, nobilissima inter omnes Romanas mulieres.« Fuit autem Lydia liberta. De Ilia cf. Virg. Aen. I, 273.

V. 12. *animae*] dulce hoc amicitiae vel amoris nomen; veluti Cic. Fam. XIV, 14. »Vos, meae carissimae animae, quam saepissime ad me scribite«, neque nos aliter Germani »mein Leben.« — *iugo aëneo*] In adiectivo posita vis est et firmitas

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Carmen X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Iuppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam,

redintegrati amoris. cf. Carm. I, 33, 11. In sequentibus verbis Chloë excutitur non domo sed pectore, deinde *reiectae Lydiae* dativus est, non genitivus. — *improbo*] Quidquid modum excedit, improbum est poetis. cf. Virg. Georg. I, 146. 388. — *iracundior*] Talem se ipse describit Horatius Epist. I, 20, 25.

Carmen X.

Unum hoc exemplum est Horatianum ex carminum genere, quod παραχλαυσίθυρον nominatur; quo poetae amatores imitantur prima nocte ad ianuam difficilium puellarum stantes miserisque vel precibus vel minis gratiam mulierc ularum moventes. Cuius quidem generis mentio iniecta est Carm. I, 25, 7 sq. III, 7, 30 sq.

V. 1. *Extremum Tanain*] Etiamsi barbara esses a mitiorique sensu aliena, me saevo frigori oppositum exciperes. De verbo *bibendi* vide ad Carm. II, 20, 20. — *asperas fores*] cf. Epod. 11, 22. — *incolis Aquilonibus*] Aquilones quoniam in gelida Scythia flare solent, egregie eius regionis incolae appellantur. Non multum diversus locus est Carm. I, 16, 6. — *nemus*] est viridarium in domus impluvio plantatum, non, quod olim visum est, *solarium*, de quo Seneca Contr. exc. V, 5: »Alunt in summis culminibus mentita nemora et navigabilium piscinarum freta« et idem Epist. 122, 8: »Non vivunt contra naturam qui pomaria in summis turribus serunt? quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant?« De viridario cf. Epist. I, 10, 22. — *ventis*] ablativus est causae. — *glaciet*] Ad hoc verbum cum alterum quod praecedit *audis* omnino aptum non videatur, zeugma in hoc loco inesse putant eliciendumque ex *audis* accommodatius verbum *sentis*, quamquam nivem in glaciem converti etiam auditur, veluti vestigiis praetereuntium. Nec bene excogitarunt verbum *sentis*, quoniam Lyce bene munita sedebat a frigore et nive.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ne currente retro funis eat rota:
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat, supplicibus tuis

Parcas nec rigida mollior aesculo
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.

Carmen XI.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,

V. 10. Proverbium ab hominibus molem aliquam machinae rota instructae ope in sublime trahentibus petitum est. Iis enim funis saepe vel machinae manubrium e manibus elabitur; quo facto retro currente rota retro it funis deciditque trahenda moles. *Retro* adverbium positum est *ἀπὸ κοινοῦ*, neque recipiendus alter verborum ordo: *ne currente rota funis eat retro* Bentleio Meinekioque probatus. — *Tyrrhenus pater*] Extenuat originem Lyces, ne cur superbiat causam habere sibi ea videatur. — *quamvis*] vide ad Carm. 1, 28, 13. — *tinctus viola pallor*] Tibull. I, 8, 52: »Sed nimius luto corpora tingit amor.« Virg. Bucol. 2, 47: »Pallentes violas«; nam violarum genus etiam luteum est. — *vir*] maritus. — *Pieria*] »dubitari potest gentile (Macedonica) nomen habendum sit an proprium.« Polyaen. Strat. VIII, 35 »*θυγάτηρ Πιερία*.« Aristaen. Epist. I, 15: »*κόρη γάρ τις τοὔνομα Πιερία*.« *Meinekius.* — *saucius*] amore. — *curvat*] sensu figurato: *flectere, movere ad misericordiam;* qui praeter h. l. non videtur reperiri. — *Mauris*] vide ad Carm. I, 1, 28. De anguibus cf. Sallust. Iug. 89, 5. — *hoc latus*] Pronomen vere demonstrativum est, neque aliter Graeci οὗτος usurpant. Sat. I, 9, 47. Deinde cf. Carm. II, 7, 18. — *Coelestis aquae*] cf. Epist. II, 1, 135.

Carmen XI.

Precibus Horatius convertitur ad Mercurium et lyram, ut carmen sibi velint dare quo Lyden timidam et amatam puellam sibi possit conciliare (str. 1—3): nam magnam esse carminum potestatem etiam in feras bestias, in inanimatam naturam, in ipsos adeo inferos (cf. Carm. II, 13. — str. 4—6). Ex inferis postremum locum consulto occuparunt Danai filiae, quarum exemplo quam gravi poena lueretur male redditus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures,

Quae velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari;

et deceptus amor doceretur. Quod quidem Lyden spectare versu 25 clare ostenditur; neque temere fecit Horatius, quod in Danaidum fabula diutius moratus rem suam videtur relinquere. Etenim in hac fabula nihil velim aliud videas nisi argumentum carminis, quod ad flectendam Lyden poeta a deo postulat. Quod si perspexeris, simul etiam cur carmen ad Lyden postea non revertatur videbis. Neque minus planum est, quid causae fuerit cur haec de Danaidibus pars — id enim artificium frequens est Horatii — per septem extenderetur strophas; quarum prima ut media est totius carminis, ita summam habet sententiam. Quid quod inde hoc quoque intelligitur, quintam strophan (v. 17—20) non debere ut spuriam eiici? nisi forte cum Peerlkampio et Meinekio ultimam quoque strophan, cuius versus ex Horatio et Ovidio male conflatos esse arbitrantur, abiicere audes. Id autem cum feceris, ne penultimam quidem strophan servare licebit. Deinde probabile est, Ausonium Prof. Bordig. VII »flebilem cantum memoris querelae« ultimam strophan esse imitatum. Servius ad Virg. Aen. I, 43 laudavit vv. 47. 48. Quare si quid in illis strophis ineptum inest vel vituperandum, Horatius vituperandus est, non emendandus. Qui hoc certe optime instituisse videtur, quod carmini finem imposuit oratione Hypermnestrae suam salutem amori et fidei longe posthabentis. Id enim Lyde quoque ut faciat studiose suadet. Nescimus quo tempore carmen scriptum sit.

V. 1. *nam*] Exemplo, quod huius particulae vinculo adiungitur, causa cur Mercurius invocetur probatur. cf. infra v. 30. Epod. 17, 45. Virg. Aen. I, 65. Sic saepe apud Graecos *γάρ* particula. — *Amphion*] cf. Art. poet. 394 sqq. — *testudo*] cf. Hom. hymn. in Mercur. v. 47 sqq. — *resonare callida*] vide ad Carm. I, 1, 18. — *loquax*] olim antequam nervis instructa esset neque canora neque grata hominibus, nunc ubique accepta, et divitibus hominibus et ipsis diis. cf. Carm. I, 32, 13. Hom. Od. VIII, 99. De septem nervis vide Hom. hymn. in Merc. 51. — *exsultim*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *cruda*] proprie de fructibus. cf. Carm. II, 5, 10. — *comitesque silvas ducere*] In quo loco *comites* vocabulum cum non magis ad silvas (cf. Carm. I, 12, 7 sqq.) pertineat quam ad tigres, medium locum obtinuit instructumque est particula *que*; quae qua ratione soleat transponi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito, stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo
Seraque fata,

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae — nam quid potuere maius? —

vide ad Carm. II, 7, 25. — *Ianitor aulae*] Cerberus cessisse dicitur Orpheo Eurydicen uxorem ex inferis repetenti; immanis enim aula est inferorum. — *caput eius*] VV. 17—20 del. Buttmann. Naekius. Peerlkamp. Eichstadius. Hermann. Meinek. Haupt. Luebker. Linker., exilitate pronominis *eius* et inepta quam dicunt Cerberi descriptione moti. Alii v. 18 coniecturis emendare studuerunt *exeatque, effluatque, emicetque, aestus atque, illi et usque.* De pronomine *eius*, quod ipso loco et metro effertur, cf. Carm. IV, 8, 18. Tibull. I, 6, 25. Propert. IV, 2, 25. 6, 67; de partic. *atque* in fine versus Carm. II, 10, 21 et ad Carm. I, 7, 6. Voluit fortasse Horatius Cerberi exemplo ostendere, quam nihil sit satis munitum a potestate poesis, ne teterrimum quidem et a venustate alienissimum monstrum. — *ore trilingui*] cf. Carm. II, 19, 31 sq.

V. 21. *Tityosque*] vide ad Carm. II, 14, 8. III, 4, 77. — *inane lymph. dol.*] Tria etiam substantiva cum suis adiectivis ita Horatius disposuit, ut non casum neque metri solam necessitatem sed consilium et artem sequeretur; id quod ex hoc schemate spero intelliges:

inane	lymphae	dolium	fundo	pereuntis	imo
1	2	3	4	5	6

Cum qua re conferas adn. ad Carm. I, 9, 21 sq. II, 5, 10 sq. — *inane lymphae*] Genitivus cum hoc nomine eodem iure coniunctus quo cum *plenus*. cf. Cic. de orat. I, 9, 37: »Omnia nonne plena consiliorum, inania verborum videmus?« — *potuere*] ab animo impetrare. Epist. I, 5, 1. Noli praetermittere egregiam formam versuum 30 et 31, nam non solum vocabula *impiae*, *potuere* eundem in utroque locum occuparunt, sed *sponsos* optime respondet et re et loco interroganti pronomini *quid*, et *duro* vocabulum egregie refertur ad *ma-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.

Una de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
Nobilis aevum:

„Surge“ quae dixit iuveni marito
„Surge, ne longus tibi somnus unde
Non times detur; socerum et scelestas
Falle sorores,

Quae velut nactae vitulos leaenae
Singulos eheu lacerant; ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget:

I pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus; i secundo

ius. Ceterum Hauptius et Meinekius et Ritterus sic coniunxerunt v. 30 »*Impiae nam quid potuere maius? Impiae sponsos* cet.« Si quid mutandum est, praestat fortasse, quod Cruquius in omnibus codd. Bland. reperit: »*nam quid potuere maius Impiae? — sponsos* cet.« — *splendide mendax*] Oxymoron; ut Cic. Mil. 27 *gloriose mentiri*, Tacit. Hist. IV, 50 *egregium mendacium.* — *iuveni marito*] Lynceo. — *oneret catenis*] Quod postea factum fabula tradit, unde Hypermnestra apud Ovidium Heroid. 14, 3 ipsa queritur: »Clausa domo teneor gravibusque coercita vinclis.« Pausan. 2, 19: »*τὴν Ὑπερμνήστραν ὑπήγαγεν ὁ Δαναὸς εἰς δικαστήριον, τοῦ τε Αἰγύπτου οὐκ ἀκίνδυνον αὐτῷ σωτηρίαν ἡγούμενος, καὶ ὅτι τοῦ τολμήματος οὐ μετασχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς καὶ τῷ βουλεύσαντι τὸ ὄνειδος ἠύξησε· κριθεῖσα δὲ ἐν τοῖς Ἀργείοις ἀποφεύγει τε καὶ Ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε νικηφόρον.*« — *aurae*] venti. cf. Epod. 16, 21. — *scalpe*] Alii ex codd. *sculpe*; quae vocabula saepissime confunduntur; *sculpere* tamen latinum quidem sed rarissimum est vocabulum. cf. Sat. II, 3, 22. Apud Ovidium Heroid. 14, 128 ipsa Hypermnestra hoc sibi epitaphium proponit:

»Exsul Hypermnestra pretium pietatis iniquum
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Omine et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.“

Carmen XII.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus,

Catus idem per apertum fugientes agitato

Carmen XII.

Horatius qui ultimo huius libri carmine Graecorum lyricos modos ad Latinos se primum transtulisse gloriatur, imitando carmine Alcaei, cuius primus versus servatus nobis est (p. 181 Schneidew.):

Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν ϰαϰοτάτων πεδέχουσαν.

hoc quoque difficilius metrum tentavit. Nam aliud consilium in componendo hoc carmine non videtur esse secutus; quare cum aliis hunc quoque *μονόλογον* Neobules recte nobis videmur habere neque obstare putamus, quod v. 4 Neobule alterius utitur personae forma; nam in *μονολόγοις* et nostris poetis et latinis altera persona satis est usitata. Infeliciter Ritterus suspicatus est, Neobulen per primam stropham sua verba, in ceteris patrui probra imitatione expressa recitare. Ex origine carminis factum esse credimus quod graecos mores (cf. v. *mala vino lavere*, id quod abhorret ab Romana severitate) et Romana loca mixta habeamus. Neobules autem et Liparaei nomina, ut Carm. I, 11 Leuconoës, metri ratione habita ficta sunt. Tempus definiri nequit.

amore dari ludum] Sic Cic. pro Coelio 12: »Datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati.« — *patruae*] patruus patre durior et severior, inde in proverbium patruorum severitas abiit; cf. Sat. II, 3, 88. Cic. pro Coel. 11: »Qui in reliqua vita miles esset, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister.« — *lavere*] vide ad Carm. II, 3, 18. — *operosae*] graece *ἐργάνη*, quia praeest muliebribus operibus. — *Liparaei Hebri*] Bene notatum est, fictis etiam nominibus ad certam aliquam personam lectoris menti demonstrandam patriae nomina addi solere. — *eques*] vide ad Carm. III, 7, 25. — *Bellerophonte*] Ultima syllaba producitur a graeca forma *Βελλεροφόντης*. — *catus*] vide ad Carm. I, 10, 3. — *arto*] Sic in bonis codd.; praeferenda

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Grege cervos iaculari et celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

Carmen XIII.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et venerem et proelia destinat;
Frustra: nam gelidos inficiet tibi

lectio et quia *arto* facilius abiit in *alto* scribarum vel incuria vel inscitia, et quia *artum* i. e. spissum contrarium est praecedentis v. *apertum*. cf. Hom. Od. XIX, 439. — *excipere*] ut δέχεσθαι venatorum proprium est. Senec. de Provid. 5: »nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo excepit.«

Carmen XIII.

Bandusinum fontem aliquem VI milia passuum a Venusia situm fuisse cum pateat ex mediae aetatis (anni 1103) documento, exstiterunt qui hoc carmen ab Horatio iter cum Maecenate in inferiorem Italiam faciente natalemque agrum revisente scriptum esse putarent. In qua tamen re haec oritur quaestio, num probabile videatur, Horatium puerum fontem a Venusia tanto spatio remotum tantopere adamasse, ut cum multis annis post Venusiae paucos certe dies moraretur, eum tum quoque quaereret proprioque carmine celebraret. Quod quidem ego non dubito negare. Deinde sacrificium quod promittitur ut alienum videtur ab homine iter faciente, ita cum frigore, cum pecore, cum bove et aratro ostendit Horatium non peregrinantem sed domi suae habitantem, non in alieno sed in suo agro viventem suisque rebus gaudentem. Quare sic sentio, in Sabino suo Horatium fontem Bandusinum cecinisse ibique vel eiusdem nominis fontem invenisse vel nomen a primis annis in deliciis habitum fonticulo cuidam, fortasse Digentiae, memoriae causa indidisse. Huic igitur Sabino fonti, cuius amoenitatibus saepe delectabatur, Horatius sacrificium insequenti die mactandum atque aeternam nominis nobilitatem promittit. Videntur igitur haec scripta esse die ante Fontanalia, quae erant Fontibus dicata III. Id. Octobr., quo die et coronae in fontes coniici et putei coronari solebant. Nam quod tertia stropha *aestas* indicatur ac describitur, id nihil impedit, quominus auctumno carmen scriptum putemus. Aestate maxime sentitur, quam gratus sit fons ille frigidus; inde igitur eius quasi virtus sumitur.

V. 1. *vitro*] cf. Carm. IV, 2, 3. Virg. Aen. VII, 759. Insequenti versu duae res significantur, vini libatio et florum sparsio; neque dicit Horatius fontis aquam dignam esse quae in poculis mero admisceatur floribusque coronetur. — *frons turg. corn.*] in qua prima cornua turgescere incipiunt. Ceterum noli mirari, cur longius immoratus sit poeta in describenda haedi natura; grata est enim in componendis eiusmodi imaginibus Horatii quaedam ubertas, cuius alia et simillima sunt exem-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

Carmen XIV.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum

pla Carm. III, 22, 7. IV, 2, 55 sqq. — *frustra*] Noli coniungere hoc adverbium cum praecedente verbo *destinat*; omnem huic vim eum sua quadam solitudine eriperes. Simillimus locus est Carm. III, 7, 21; Sat. II, 7, 115. — *gelidos rivos*] Quod gelida est aqua, fonti laudi est; deinde *ruber sanguis* quia calidus est contra gelidam aquam consulto ponitur. — *atrox*] ferventissima; similiter Carm. III, 29, 18 *Procyon furit* et *Leo vesanus* dicitur. — *nobilium fontium*] ut Dirce, Hippocrene, Arethusa. Vere est genitivus partitivus. Callim. h. Del. 131: »Καὶ μόνος ἐν ποταμοῖσιν ἀτιμότατος καλέεσθαι.« — *ilicem*] Ilex haud dubie collective posita est; antrum enim ex quo prosilere fons dicitur ilicibus tectum et a radiis solis defensum est. — *Lymphae*] Alia est lectio *Nymphae*, sed prava, nam »a poetis lymphas dici, cum aquam ipsam vel humorem et undam intelligant, nympham vero, cum vel omnino fontem vel eius praesidem deam velint, aquae naturam non respicientes« docet Hand. ad Gronovii Diatr. in Stat. T. I. p. 179.

Carmen XIV.

Augustus, qui iam ab anno 727 Roma abfuerat, cum bello Cantabrico a. 729 suscepto et praeter opinionem celeriter confecto tandem a. 730 Tarracone, ubi morbo retentus erat, in urbem redire diceretur, magno omnium qui pacem et securitatem amarent gaudio exspectatus et exceptus est. Quo laeto die quid sentiret optaretque hoc carmine Horatius quoque expressit. Simile igitur hoc est secundo carmini libri IV. Nam hoc verissimum est, quidquid alii contra dicunt, scripta haec aut vere esse aut fingi ipso quo Augustus rediret die; sic persuadent et sacrificium, ad quod faciendum vocat poeta v. 6, et versus 11 sq., 13 sq., imprimis v. 17 sqq. Grave initium est *Herculis ritu*, quod quidem ut profectum est ex comparatione Hispanicae expeditionis, ita eam laudem prodit, quam ad exemplum Herculis ex restituto per totum orbem recto rerum ordine Augustus sibi paravit. Pacato igitur omni imperio cum ad suos militibus redire iam liceret, mulieres imprimis ad

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata divis
Et soror clari ducis et decorae
Supplice vitta
Virginum matres iuvenumque nuper

festum diem redeuntis Augusti celebrandum evocantur, praesertim cum moribus civium correctis recuperatam dignitatem ipsae imprimis Augusto deberent. Sic per communem omnium laetitiam Horatius ad suam pergit, sed interposita quarta stropha, quae sive numerum stropharum respicis sive summam sententiam quaeris media est et utramque partem coniungit.

V. 1. *modo*] Nam spe citius bellum compositum est. — *plebs*] Ne cum aliis hoc nomine offendaris, cogita Horatii aetate plebem abiecta omni contemptione quidquid Romae esset dignitatis et honorum sibi sumpsisse. Deinde nullo prorsus discrimine *plebs* et *populus* usurpantur Carm. II, 2, 18 sq. — *morte venalem*] Qui laurum petit, mortem subire paratus est. — *unico*] amato, caro, ut Carm. II, 18, 14. Sic Plautus Capt. I, 2, 47: »Tibi ille unicu'st, mihi etiam unico magis unicus.« Catull. 71 (73), 6: »Me unum atque unicum amicum habuit.« — *mulier*] Livia. — *operata*] ἀοριστως pro praesente, ut Sil. Ital. II, 674: »Tartareo *est operata* Iovi poenasque *ministrat*.« cf. Virg. Georg. I, 339. Utrumque dicitur, *operari* absolute et *operari sacris*; nam »operari est omnino rei divinae operam dare, observare ritus religiosos festi, observare ipsam diem sacrum sacrificando, precando, convivando, omnino feriando et intermisso vulgari opere.« Dissen. ad Tibull. T. II. p. 211. Fluctuant tamen libri MSS. inter *sacris* et *divis*; quae verba ut per se aequo iure ponuntur ita adiectivo apposito *iustis* haud facile diiudicantur. *Sacra* enim recte *iusta* i. e. rite inita et curata (Liv. I, 31) appellantur, neque minus *divi iusti*, quos veteres Scholiastae bene interpretati sunt: »qui Caesari victoriam et reditum merenti dederant.« Ovid. Heroid. 6, 152: »*Iustus* adest votis Iuppiter ipse meis« i. e. propitius. Tamen ut *divis* ab Horatio scriptum esse credam, et scholiastarum auctoritate adducor et quia *sacris* facile ex margine, quo interpretandae et explendae sententiae causa appositum fuit, inter Horatii verba potuit subrepere. Ea ipsa res, quod purissimae latinitatis est *operari sacris*, occasionem haud dubie praebuit, cur quod deesse videretur *sacris* margine adscriberetur. — *soror*] Octavia. — *supplice vitta*] vittae enim virgis involutae supplicantium erant. cf. Virg. Aen. VII, 237.

V. 9. *virginum*] Quae virgines appellantur (cf. Carm. II, 8, 23), uxores sunt iuvenum ex Cantabrico bello feliciter redeuntium, *sospitum*; quod adiectivum non minus de virginibus dictum est, quoniam in maritorum salute etiam uxorum salus continetur. — *pueri*] Quaeritur primum, qui sint *pueri et puellae*, deinde quid verba *virum expertae* (sic enim habent codd., *experies* ex coniect. Cuninghamii est) significent. Iam si Horatianos locos, in quibus pueri et puellae coniuncti vel appellantur vel memorantur, inter se comparaveris (Carm. III, 1, 4. IV, 1, 25. Sat. I, 1, 85. II, 3, 130), universam iuventutem Romanam indicari videbis, neque credendum est aliam huius loci esse rationem. Deinde cum per grammaticas rationes *expertae* participium etiam ad pueros referre liceat, ea praestare videtur interpretatio, qua *virum* Augustum esse (cf.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sospitum. Vos, o pueri et puellae,
Iam virum expertae male ominatis
Parcite verbis.

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas; ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras.

I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

Dic et argutae properet Neaerae

Carm. III, 16, 14) atque insignem eius laudari virtutem suadetur. Ita si locum obscurum et difficilem intelligis, *iam* partic. cum *parcite* verbo coniungas necesse est. Aliis *virum expertae* idem est quod *nuptae*, ut in Petron. Satiric. c. 127: »si non fastidis feminam ornatam et hoc primum anno *virum expertam*.« cf. ad Carm. II, 8, 23. — *male ominatis*] i. e. linguis favete et malis ominibus abstinete. De hiatu compara Carm. I, 28, 24. II, 20, 13. Epod. 5, 100. 13, 3. Sat. I, 9, 38; et ut verba *male ominatis* unam notionem, ita coalescentia unum quasi vocabulum efficiunt; ut *male dicere, bene dicere* et *maledicere, maledictio. Kellerus* uno nomine scripsit *maleominatis*. In multis codd. non bene *nominatis*, ex hiatus vitandi studio exortum. In antiquiss. Bland. duobusque aliis Cruquii est *male ominatis*; Bentl. ex coni. *male inominatis*, quem secuti sunt Hauptius et Meinekius et Linkerus. Infelicissime nuper Schwerdtius: *procul ominatis*.

V. 13. Proponit Horatius hac stropha causas, quibus ipse quoque permotus hunc diem celebrandum sibi existimet. Tanto enim homine, quantus est Augustus, imperium tenente pax omnibus civibus et vitae securitas certa est. — *atras curas*] cf. Carm. III, 1, 40. IV, 11, 35. — *tumultum*] Cic. Philipp. VIII, 1: »Potest esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant. Gravius autem tumultum esse quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.« — *per vim*] Significat intestinas turbas. cf. Carm. IV, 15, 18. — *unguentum*] vide ad Carm. II, 3, 13 sqq. — *Marsi duelli*] Egregie vetustatem vini Horatius indicat nomine infelicissimi et crudelissimi belli Italici, quo simul comparationem eorum temporum cum sua pacatissima aetate in legentium animis moveat. — *duelli*] vide ad Carm. III, 5, 38. — *si qua*] si qua ratione, quo casu. Virg. Aen. I, 18. — *Spartacum*] cf. Epod. 16, 5. — *argutae*] Argutum omnino id appellatur quod sensus et animum vehementer tangit; hinc de gravibus ponitur sonis sive gratis sive ingratis. cf. Carm. IV, 6, 25. Epist. II, 2, 90. — *properet*] cf. Carm. II, 11,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Murreum nodo cohibere crinem;
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito:
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

Carmen XV.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae

22 sq. Bentleius vel invitis codd. corrigendum putavit *cohibente* ut ap. Senec. Herc. Oet. 1543 »Et comas nullo cohibente nodo«; ut sit: properet huc Neaera, nodo duntaxat cohibente crinem, prae studio festinandi. Et sic ante Bentl. iam Muretus; receperunt Meinek. Linker. — *murreum crinem*] h. e. murra madentem. Virg. Aen. XII, 100. Ovid. Met. III, 553. — *ianitorem*] Servi, quibus tradita erat custodia ianuae, ostiarii sive ianitores, pro sua animi natura aut in cella erant ostiaria aut catenis etiam alligati. Sic Ovid. Am. I, 6, 1:

Ianitor indignum dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Invisus autem ianitor iis est quos non admittit virgaque qua solebat esse armatus repellit. — *albescens*] nam fuit Horatius praecanus. Epist. I, 20, 24. — *iuventa*] vigor iuvenilis, non iuventus. Fuit autem L. Munatius Plancus cum M. Aemilio Lepido consul anni 712. — *ferrem*] non pro *tulissem*; sed thesis, condicio inest paulo tectior in adiectivo *calidus iuventa*: non ego hoc ferrem, si essem calidus iuventa. Insignis est huius loci brevitas. Ablativum enim absolutum quem vocant *Cons. Pl.* artissime coniungas cum *iuventa* i. e. iuventa qua vigui Consule Planco.

Carmen XV.

Castigatur anus libidinosa, quae cum iuventutis ac venustatis nihil praeter nomen (Chloris) retinuerit, tamen cum proterva filia amores magis exercere studet quam lanificium, quod pauperis hominis uxorem ad sustentandum mariti laborem maxime decet. Sic intelligitur primus versus, utique componendus cum extremis versibus. Nomina patet esse ficta, etiamsi corrupti eius aetatis mores magnam haud dubie talium muliercularum copiam protulerunt. Coniuncta eadem nomina Carm. II, 5, 17 sq., sed aliam Chloridem certe esse primo obtutu intelligitur. Pholoë etiam est I, 33, 7. Cf. Carm. I, 25. IV, 13. De *Notho* (v. 11) docta est observatio Meinekii: »hoc nomen, cuius nullum exemplum afferri potest, vereor ut ullo unquam tempore Graecis in usu fuerit, quod si quis forte ab ipso poeta ad similitudinem latini nominis *Spurius* fictum dicat, demonstrare debebit, ullum apud Horatium nomen inveniri, quod suo ipse arbitrio finxerit. Itaque nescio an

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent
Nec flos purpureus rosae
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

Carmen XVI.

Inclusam Danaën turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum

Cothi poeta scripserit, cuius nominis exempla habes apud Strabonem cet.« Quo tempore carmen compositum sit, ignoramus.

V. 3. *famosis laboribus*] Consulto ut videtur infamis quaestus *labor* appellatur, quo provocetur honestorum laborum (*lanificii*) oppositio. — *ludere*] Publ. Syrus 49: »Anus cum ludit, morti delicias facit.« — *stellis*] Est amplificatio superioris sententiae per similitudinem et metaphoram; cuius rei multo frequentior est usus apud Tibullum et similes poetas. — *Thyias*] vide ad Carm. II, 19, 9. — *Luceriam*] Apuliae oppidum, lanae praestantia nobile. — *flos purp. rosae*] cf. Carm. IV, 10, 4. — *vetulam*] Cum indignatione dictum est: cum vetula sis. Codd. fluctuant inter *vetulam* et *vetula*; illud Comment. Cruq., hoc tuentur Acron et Porphyrio. Otiosum autem est vini vetustatem laudare, cum Chloridem nec vetustum nec recens vinum deceat.

Carmen XVI.

Argumentum carminis cernitur in laude aureae mediocritatis, versu 21 simplicissime proposita; qui versus cum insequentibus, quibus quid illud de mediocritate iudicium ad ipsius Horatii res valeat exhibetur, mediam et summam sententiam et strophārum numero et sententiarum gravitate efficit. Nascitur exordium poetica potestatis auri descriptione a Danaë Acrisii filia petita; fabulam sequitur (vv. 9. 10) ipsa de auro sententia neque tamen generali quadam ratione expressa, sed duobus quibus nimia illa potestas probatur modis illustrata. Suo deinde more Hora-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argivi domus ob lucrum

tius tria addit exempla, unum ex fabulis primorum temporum, alterum ex Graecorum rebus gestis, tertium a Romanis suae aetatis sumptum; et tertium quidem non nominibus insignitum sed indiciis satis tum accuratis quodam modo tectum (v. 15. 16). Sententiarum series haec est; 1) pecunia regina hominum humanarumque rerum est (str. 1—4); 2) pecunia autem gignit cupiditates, quare eius imperio animum ego non subiunxi (str. 5—7); inde beatam vitam dego intra angustos mediocritatis limites (str. 8—11). Claudit carmen iterum posita generali sententia, sed nova forma et quae cum brevitate gravitatem mire coniungat: sic ad finem optime decurrit. Ceterum quod de suis rebus ita scripsit, in eo neque ingratum neque arrogantem in Maecenatem animum prodidit; immo vero qualis ab amicis optime perspiciebatur, talis etiam ut ab aliis agnosceretur et hoc carmine voluit efficere et aliis de eadem re sed diversa ratione conscriptis. cf. Sat. I, 6. II, 6. Epist. I, 19. coll. I, 1. I, 7. Quando haec composuerit Flaccus quis dicat, cum nihil ex ipso carmine invenias nisi iam accepisse eum Sabinam villam? Fuerunt tamen, qui a. 726 compositum carmen suspicarentur, ac putarent, eo tempore factum esse quo Horatius frustra ab Octaviano in regiam ad scribendas epistolas vocaretur.

V. 1. Acrisius Argivorum rex cum oraculum accepisset interfectum se iri a puero, quem Danaë filia peperisset, filiam ne omnino pareret in aeneam turrim inclusit. Sed Iuppiter in auream pluviam mutatus ad virginem pervenit. Ovid. Met. IV, 611. Hom. Il. XIV, 319 sqq. Quam fabulam quomodo interpretatus sit Horatius, ut aurum ad pessima quaeque aditum parare ostenderet, manifestum est. — *munierant*] De indicativo modo cf. Carm. II, 17, 27. — *munire*] verbum poetica quadam libertate cum *ab* part. coniungitur, quia quod munitur simul ab inimico aliquo impetu defenditur. — *fore*] Potuit infinitivus poni, quia in *ridendi* verbi notione inest simul altera dicendi sciendique. — *pretium*] Hoc vocabulum quamvis aurum significet, non abiecit suam naturam; fuit enim aurum pretium etiam, quo corruptis custodibus deus admissus est. — *satellites*] tyrannorum. — *perrumpere saxa*] saxis nihil durius est, fulmine nihil violentius. Quanta igitur auri vis, si utrumque superat! — *potentius*] Positivus est Art. poet. 40, serioribus scriptoribus usitatior. — *amat*] vide ad Carm. II, 3, 10. — *auguris*] Amphiarai, qui cum fatum quod sibi instaret, si cum Polynice Thebas aggrederetur, bene sciret atque iturum se constanter negaret, tandem Eriphylae a Polynice aureo monili corruptae precibus et adhortationibus cessit in mor-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Demersa exitio; diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
Saevos illaqueant duces.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret: nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,

Contemptae dominus splendidior rei
Quam si quidquid arat impiger Apulus

temque abiit. cf. Hom. Od. XI, 325. Filius Alcmaeon patrem ulturus matrem occidit, ipse ob idem monile a fratribus uxoris necatus est.

V. 13. *diffidit*] Egregie hoc de nimia auri potentia. Sic Cic. de divin. I, 13 *saxo diffisso*. — *vir Macedo*] Philippus, Alexandri pater, de quo Cicero ad Att. I, 16: »Omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus aure onustus posset ascendere.« — Pythia Philippo vaticinata esse fertur: »Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις.« — *subruit*] Proprie de arboribus, quarum radices, et de muris, quorum fundamenta cuniculo subruuntur; sic eximia h. l. oritur imago regum firmiter stare se credentium, clam vero subrutorum. — *munera*] conduplicatio ad variam vim auri ostendendam aptissima figura. — *navium duces*] Menodorus s. Menas Cn. Pompeii libertus, S. Pompeii dux classis, auro captus ad Octavianum descivit, dein hoc relicto ad Pompeium rediit, tum iterum corruptus ad alterum defecit. — *cura*] ne perdantur, *fames*, ut augeantur divitiae. — *perhorrui*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *equitum decus*] Recte iidem videbant qui quaesitam hanc compellationem dicebant. Etiam Maecenas poterat esse maior quam volebat. cf. ad I, 1, 1.

V. 21. *plura*] Sententia plana: summas esse in continentia animi divitias. Sed vide artificiosam *plura* vocabuli positionem, bis arsim choriambi tenentis maximeque animum tangentis. — *nudus castra*] Castrorum imago non rara de sectis philosophorum; cui imagini *nudus* voc. bene accommodatum est; quippe nihil se armorum, i. e. artium quibus parentur opes secum se ferre ait. Etiam in amplificatione *et transfuga gestio* metaphora continuatur. — *splendidior*] Saepe sic adiectiva a Romanis participio verbi *esse* carentibus participii instar usurpantur. Graeci addunt ὤν. — *contemptae*] nimirum ab aliis. — *arat*] cf. ad Carm. III, 5, 17. Alii versui supervacaneam medelam adhibentes scripserunt *non piger* pro *impiger*. — *inter opes inops*] Splendida haec sententia ne quid amittat gravitatis unius versus spatium non egreditur. Similis verborum oppositio frequentissima, ut Cic. Tusc. III, 19, 44. — *horreis*] cf. Carm. I, 1, 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Occultare meis dicerer horreis
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis,

Importuna tamen pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

V. 29. *certa fides*] Hoc non ita dixit, tanquam sui agri semper certa esset fides, verum inest hypothetica potius sententia: si agellus non premitur sterilitate. Ceterum cf. Carm. III, 1, 30. Reliqua pars huius strophae multis ac variis interpretationibus tentata est. Simplicissima tamen verissima. *Sors* enim ea est, quam modica bona, qualia modo sunt descripta, solent praebere; cuius quidem significationis apud Horatium ubique inveniuntur exempla. Neque alterum, in quo haerebant, insolens est: *fallit beatior fulgentem; fallere* enim verbum cum participio non minus recte coniungi quam graecum λανθάνειν, intelligitur ex Epist. I, 17, 10; participii autem loco *beatior* est, ut supra *splendidior*; accusativum deinde ab eodem verbo cum participio coniuncto non esse alienum Virgilianus locus demonstrat Aen. VII, 350 sq. cf. Liv. VIII, 20, 5. Stat. Silv. I, 2, 10 »et medias fallit permixta sorores.« Iam cum *beatum* id quoque sit quod beat, felices reddit homines (cf. Epist. I, 10. 14. Carm. I, 29, 1. II, 6, 21), hanc habebis sententiam: »agellus meus sorte quam praebet beatiorem me reddit, quam capere potest is qui maxima habet et fertilissima latifundia.« — *Africae*] Recte iam Comment. Cruq.: »is beatior est *multa Africae patrimonia possidente*«, neque intelligendum est de Africae proconsulibus.«

V. 33. *Calabrae*] De praestantia Calabri mellis vide Carm. II, 6, 14. — *Laestrygonia*] Adiectivum quo vinum significatur, ad vas, in quo inest, translatum, ut Carm. I, 9, 7. Nam intelligendum vinum Formianum, quod est inter nobilissima (Carm. I, 20, 11); etenim ad Formias olim Laestrygones habitasse ferebantur, de quibus Hom. Od. X, 82. Ovid. Met. XIV, 233. Cic. Att. II, 13: »Si vero in hanc τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίην, . . *Formias* dico etc.« — *Gallicis*] Plin. N. H. VIII, 48: »Lana autem laudatissima Apula et quae in Italia Graeci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum Milesiae oves obtinent. Apulae breves villo nec nisi paenulis celebres. Circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent. In Asia vero eodem genere Laodiceae. *Alba Circumpadanis nulla praefertur.*« — *cupidine*] vide ad Carm. II, 16, 15. cf. Stob. Serm. 39: »Ἐπίκουρος ἐρωτηθείς, πῶς ἄν τις

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa: bene est cui deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Carmen XVII.

Aeli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando et priores hinc Lamias ferunt

πλουτήσειεν, οὐ τοῖς οὖσι προστιθείς, ἔφη, τῆς δὲ χρείας τὰ πολλὰ περιτέμνων.« — *vectigalia*] primum publici erant reditus, deinde etiam privati; sic h. l. et Sat. II, 2, 100. Cic. de off. II, 25. — *porrigam*] extendam. Cf. Senec. Ep. 89: »quousque fines possessionum propagabitis? quousque arationes vestras *porrigetis*?« — *Mygdoniis*] vide ad Carm. II, 12, 22. — *Alyattei*] De hac genitivi forma nominis *Alyattes* cf. Carm. I, 6, 7. Epod. 16, 60. 17, 14. 16. Fuit autem Alyattes Croesi pater. — *bene est*] cf. Sat. II, 2, 106. Epist. I, 1, 80. Alpheus in Anthol. Pal. II. p. 39: »*Οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας, Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης. Αὐτάρκους ἔραμαι βίου, Μακρῖνε· Τὸ μηθὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει.*«

Carmen XVII.

Parvum hoc carmen ne prave aestimetur, considerandum est totum esse iocose scriptum neque videri Horatium quod schedulae ad amicum missae olim inscripsisset aliam ob causam libris edendis inseruisse, nisi ut Lamiae amicitiae pignus alterum etiam consecraret. Nam ut ii non recte videntur iudicasse qui Horatio indignum hoc putarent eique abrogare conarentur, sic cavendum est ne iusto maior huic carmini honor tribuatur. Misit enim, ut videtur, Horatius hanc schedulam Lamiae ob natalem altero die celebrandum gratulaturus. Quod ut amice et cum quadam protervitate faceret, pleno ore et magnifice exorditur, laudat magnopere nobilitatem eius et genus atque ita se gerit, ut nihil nisi gravissima vota subsequi posse putes. Iam quid sequitur? Levicula ad tristiorem (vide ad I, 26) amicum admonitio, ut cum timendum sit ne crastinus dies tristi coelo obscuretur, quantum possit festum cum famulis domi celebret, tempestatem vitet, cutem curet. En carmen, quod si non grave et sublime, si multiplici artificio non limatum, si orationis luminibus non exornatum est, tamen non caret venustate et gratia. Neque sunt ii probandi qui versus 2–4 eiiciendos censebant; nam et quae in iis menda vel vitia inesse dicuntur, iusta interpretatione recta videbuntur neque perturbanda est haud fortuita carminis aequabilitas. Acron et Comment. Cruq. hos versus iam legerunt, nec quia nescio quo casu apud Porphyrionem nullum his versibus appositum scholion est, licebit cum Linkero imprudenter concludere, Porphyrionem eos versus non agnoscere.

V. 1. *vetusto*] Quam vani olim fuerint Romani in investiganda et arroganda antiqua gentis origine, ostenditur etiam Ciceronum exemplo, qui Plutarcho (vit. Cicer. 1) teste genus duxerunt a Tullo Attio, quem *βασιλεύσαντα* dicit *ἐν Οὐολούσκοις*, Aurelio Victore (c. 81) auctore a Tullo Tatio rege. Ipse M. Cicero iocose, ut videtur, Tusc. I, 16, 38: »meo regnante gentili« i. e. Servio Tullio. Neque credendum est, Lamiam ipsum gentem ad fabulosum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos,
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Littoribus tenuisse Lirim
Late tyrannus: cras foliis nemus
Multis et alga littus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum; cras Genium mero

regem Laestrygonum, Neptuni filium, voluisse ducere; intelligamus potius innocentem Horatii familiariumque iocum. — *quando*] quoniam. Sat. II, 5, 9. II, 7, 5. Deinde *priores* Lamiae i. e. pristini, primi opponuntur eorum nepotibus usque ad eos qui tunc vivebant. — *memores fastos*] Carm. IV, 14, 4. Sunt autem annales libri aut quos Lamiae vere continuarunt aut iocose ficti. — *auctore ab illo*] Sic revertitur ad primum versum copulaturque interrupta sententia; quare omnium codicum scriptura *ducis* cur cedere debeat Heinsii coniecturae *ducit*, non liquet. — *Maricae*] deae littoris Minturnensium. Luc. Phars. I, 423: »et umbrosae Liris per regna Maricae.« Claudian. in Prob. et Olybr. cons. 259: »flavaeque terens querceta Maricae Liris.« — *late tyrannus*] Superlatio iocosa. De adverbii cum substantivo coniunctione cf. Carm. IV, 6, 3. Virg. Aen. I, 21. Ovid. Her. 17, 57: »Phrygiae late primordia gentis.«

V. 9. *nemus*] non arbores, sed solum nemoris. cf. Carm. III, 18, 14. — *alga inutili*] Epitheton positum ex more antiquo non ad loci sed ad rei naturam accommodatum. cf. Sat. II, 5, 8. — *aquae*] pluviae, vide ad Carm. III, 10, 19. — *dum potis*] Sic in tribus antiquissimis codd. Bentleii: ἕως ἔξεστιν, ἕως δύνατόν ἐστιν. In reliquis optimis codd., etiam in Blandiniis, ut videtur, *potes*. — *Genium curabis*] Dicebant antiqui cutem curare, corpus curare; iam cum Genio immolaretur die festo natali simulque corpus lautis epulis curaretur, lepide ausus est Horatius Genium curare (cf. Sat. II, 5, 38. Epist. I, 4, 15. Liv. hist. XXXVI, 18, 1), id quod potuit facilius, cum *genio indulgere*, quod fuit usitatum, non differat a corporis curatione. cf. A. P. 210. Qua ratione qui verba intellexerit, is non perturbabitur religione veterum natali die a caede ac sanguine manum abstinendi. Qui Genio porcum non mactabant, sibi tamen non dubitarunt. cf. Tibull. I, 7, 49: »genium ludo geniumque choreis Concelebra.« Quem religio tenet, is cum Meinekio non natali celebrando scriptum habebit carmen, sed instantibus postero die Saturnalibus, quae celebrabantur mense Decembri continuis epulis et comisationibus; iis diebus munera ultro citroque mitti solebant ac servis discumbentibus ipsi heri inserviebant. cf. L. Accius ap. Macrob. Saturn. I, 7: »famulosque procurant Quisque suos; nostrique itidem, et mos traditus illinc Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.« Etiam porci sacrificium Saturnalibus sollenne fuit; cf. Martial. XIV, 70: »Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus, Inter spumantes ilice pastus

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Curabis et porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

Carmen XVIII.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
Aequus alumnis,

Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;

Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi silva frondes;

apros.« — *operum solutis*] De genitivo cf. *iniuriarum absolvere, timoris absolvere*, similia; sic ipse Cicero pro Sext. c. 7 *legum solvere* (coll. Hor. Sat. II, 6, 68) Plaut. Rud. I, 4, 27 »ut me omnium iam laborum levas.«

Carmen XVIII.

Faunum, in cuius tutela erant pecora (vide Carm. I, 17), precatur ut vitulis, haedis, agris huius anni propitius esse velit. Faunalia bis per annum, Idibus Februar. et Non. Decembribus, celebrabantur. Incertum est, quo anno carmen scriptum sit; sed in Sabina villa compositum esse patet cfr. Ovid. Fast. II, 193 »Idibus (Febr.) agrestis fumant altaria Fauni.«

lenis] propitius. — *alumnis*] de vitulis, non de vernis nec de arboribus recens positis. cf. Carm. III, 23, 7. — *si*] cf. Carm. I, 32, 1. — *pleno anno*] ad finem vergente. — *cadit*] Etiam *cadet* in codd.; qui sic scripsit, erravit sed locum recte intellexit, nam celeritate mentis quae futura sunt praesentia esse videntur. — *craterae*] Duplex est forma: crater, cratera. cf. Sat. II, 4, 80. — *vetus ara*] in vetustate dignitas est. — *herboso campo*] Sub miti Italiae coelo tum etiam virent campi. — *audaces*] dei praesentia agni tuti sunt atque audaces, lupus contra mitis atque innocens. Sic augetur perfectae tranquillitatis descriptio. — *fossor*] agricola, imprimis vinitor, quem Acro intellexit. cf. Virg. Georg. II, 264. — *pepulisse*] ἀορίστως; vide ad I, 1, 4. — *ter*] Ternarius numerus referendus ad saltationis rhyth-

Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

Carmen XIX.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori
Narras et genus Aeaci
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,

mum anapaesticum. Ovid. A. A. I, 112 »aequatam ter pede pulsat humum.« infr. IV, 1, 28.

Carmen XIX.

Egregium hoc carmen, cuius virtutes non ab omnibus satis sunt perspectae, simile est Carm. I, 9. Scenam enim, qua provocatum quasi carmen fingatur, hanc esse credimus. Frigido, tristi et hiemali vespere Horatius inter complures amicos nescio ubi sedet; confabulantur, bibunt; tamen et confabulatio et potatio non minore premitur quam quo aura contrahitur frigore. Languor ad summum iam fastigium elatus est ieiuna historicarum et mythologicarum rerum enumeratione, qua unus reliquos paene videtur enecare. Tum Horatius internis et externis frigoribus cruciatus, animum ut effundat in hoc carmen quasi erumpit, quo iustum convivium apto loco et commodo tempore parari iubet symbolis; nam calorem desiderat et vigorem. Sic nisi fallor omnes carminis partes placide conveniunt; primum qui loquitur interrumpitur et vituperatur, cum prisco Inacho cum Codro et Troianis misso rectius indicet, qua ratione tempestatis tristitia graeci vini calore mitigetur etc.; deinde excitantur amici, ut velocius bibant, cuius rei exemplar praeit poeta uno quasi spiritu ter ut sibi vinum infundatur poscens (v. 9. 10), tandem in furorem se agens (v. 18). Vocantur tibiae et lyra, iubentur rosae, evocatur clamor, arcessuntur amicae. Si Murena, qui commemoratur, is est, qui cum Fannio Caepione conspiravit in Augustum, manifestum est scriptum esse carmen ante a. 732. Si quid tamen licet in hac re divinare, propter iuvenilem carminis ardorem iis potius accedo, qui ante a. 720 scriptum suspicantur, quam qui compositionis tempus in a. 729 vel 730 differunt. Auguratus certe Murenae impedimento non est, quoniam ea aetate etiam iuvenes ad hoc sacerdotium perveniebant. Ceterum nec laudandus est Peerlkampius, quod octo tantum primos versus Horatio reliquit, reliquos omnes ut spurios abiecit, nec credendum est Rittero, qui iusto sagacius ex *Telephi* nomine odoratus est, Heliodorum rhetorem, (Sat. I, 5, 2) doctrina ac severitate refertum hominem, v. 26 a poeta indicari.

V. 5. ***Chium***] Nobilissima graeca sive transmarina vina haec erant: Thasium, Chium, Lesbium, Sicyonium, Cyprium, Clazomenium. — ***sacro***] non *sacra*, quod ex paucis MSS. Hauptius Meinek. Linker. praetulerunt. Vide ad Carm. I, 10, 14. Acron et Porphyrio: *sacrum Ilium*. — ***aquam temperet ignibus***] h. e. quis balneum calidum parabit? eo enim ante coenam antiqui utebantur. Intelligenda est symbola, in qua alius aliam partem coenae et comissationis praebebat. — ***Peligni***] Peligni in montibus habitabant. — ***lunae novae***] Fuerunt

Quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus taces.
Da lunae propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco.

Kalendae. De genitivo vide ad Carm. III, 8, 13. — *noctis mediae*] quia in mediam noctem convivium vult produci. — *auguris Murenae*] De Murena vide ad Carm. II, 2, 5 et ad Carm. II, 10. Qui cum eo tempore augur factus et inter convivas esset, non alienum fuit bibere in eius honorem. — *commodis*] plenis, integris; ut Plaut. Asin. III, 3, 134: »Quid ego aliud exoptem amplius nisi illud, cuius inopia est? Viginti argenti commodas minas.« id. Rud. V, 2, 31: »Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.« Duodecim autem cyathi efficiebant sextarium. — *tribus aut novem*] Numeri quid velint ex quattuor insequentibus versibus invenies, per ordinem chiasmi cum hoc loco coniunctis. Dicit enim hoc: aut novem cyathis vini tres addantur aquae, quae mixtura poetis grata et ipsi Horatio —, aut tribus vini novem aquae, quae ratio decentioribus potoribus gratior erit. Coniunge igitur *supra tres*; vide ad Carm. III, 3, 11. cf. Auson. Eidyll. 11 (Gryphus ternarii numeri): »Ter bibe vel totiens ternos: sic mystica lex est, Vel tria potanti vel ter tria multiplicanti Imparibus novies ternis contexere cubum.« — *insanire iuvat*] cf. Carm. II, 7, 28. IV, 12, 28. — *Berecyntiae*] vide ad Carm. I, 18, 13 et cf. IV, 1, 22 sqq. De tibia compara Aristot. Polit. I, 8, 6: »*οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν.*« Ovid. Fast. IV, 181: »Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu Flabit.« id. Met. III, 533: »adunco tibia cornu.« Virg. XI, 737. Pollux IV, 10: »*Αὐλὸς ἔλυμος, τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δ' εὕρημα Φρυγῶν· κέρας ἀνανεῦον πρόσεστι αὐτῷ.*« — *rosas*] hibernas, quae in Italia facillime arte coli poterant. cf. Plin. H. N. XXI, 4 »(rosa) Karthagine Hispaniae hieme tota praecox.« — *non habilis*] propter diversam aetatem. *Lyci* nomen bis positum est contumeliae causa, ut Carm. IV, 13, 1. 2. Non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero
Tempestiva petit Rhode;
Me lentus Glycerae torret amor meae.

CARMEN XX.

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paulo fugies inaudax
Proelia raptor,
Cum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:

minus bene vv. 25. 26 *te* pronomen in eadem arsi bis collocatum et ponitur contra insequens *me* et quas virtutes Telephus habeat clarius indicat. Nam in spissis capillis merito magna pars pulchritudinis cernebatur. — *tempestiva*] cf. Carm. I, 23, 12. — *lentus*] ut Carm. I, 18, 8. i. e. amor qui lente absumit; in torrendo enim ignis notio est. De Glycera cfr. I, 19.

Carmen XX.

Cum Nearchus, puer delicatus, eodem tempore et a Pyrrho iuvene et a puella peteretur, ipse autem neutrius amori se dederet, Horatius eam rem per se iocosam et rivalium inanibus amoris excitandi contentionibus ridiculam derisui ut praeberet aequalibus, severo vultu, gravibus verbis, magnificis comparationibus, omni denique orationis apparatu auctam et amplificatam enarravit. Haec unice vera interpretandi carminis ratio videtur, quae cum nondum esset intellecta, non est mirum quod exstitit vir doctus, qui obscurum carmen et Horatio vix dignum haberet. Oeconomia simplex, ordo clarus, rerum verborumve certamen nullum.

V. 1. *periclo*] vide ad Carm. II, 2, 2. — *Gaetulae*] vide ad Carm. I, 23, 10. Plana erit sententia considerantibus, quam saepe Horatius comparandam rem cum re quacum comparatur ita confundat, ut singulae partes in unum quasi corpus conlescant. Tertium quod vocant comparationis cernitur in ira, qua ut leaena catulos sic puella Nearchum abductum repetere dicitur. In vv. 3. 4 noli negligere artificiosam vocabulorum dispositionem, qua libera antiquarum linguarum natura duplicem simul antithesin potuit efficere; *dura — inaudax, inaudax — raptor*, quae altera oxymori grata imagine etiam augetur. De v. *inaudax* vide ad Carm. I, 5, 8. Huc accedit, quod communi bonorum scriptorum usu tabulam inchoatam in singulas etiam partes persequitur; inde iuvenum (venatorum) catervae, inde postea sagittae et dentes. Dentes acuere aprorum magis est quam leonum (Hom. Il. XI, 416); quamquam ne haec quidem translatio exemplo caret. — *insignem*] pulchritudine eminentem. — *grande certamen*] Hi duo versus non Nearchum sed totam sententiam praecedentem explicant; hoc enim liberiore appositionis genere saepe utuntur latini scriptores; alia exempla habes apud

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Grande certamen, tibi praeda cedat,
Maior an illa.
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

Carmen XXI.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas sive geris iocos

Cic. Tusc. I, 26, 43. Liv. XXI, 5. Virg. Aen. VI, 223. VIII, 683. Hor. Epist. I, 18, 49. Sat. I, 4, 110. *Praeda* ipse Nearchus; cf. Ovid. Am. I, 2, 19 »tua sum nova praeda, Cupido.« — *illa*] Sic ex emendatione Peerlkampii contra omnes codices cum Meinekio, Linkero, Hauptio scribere ausus sum. Nam ex eo, quod in MSS. reperitur *illi* nemo tolerabilem sententiam adhuc elicuit. cf. Epist. I, 10, 35.

V. 11. *arbiter pugnae*] cf. Ovid. Heroid. 9, 12 »sub pede colla tenet.« Propert. I, 1, 4 »Et caput impositis pressit Amor pedibus.« Est Nearchus, qui plane incuriosus certaminis adstat. Haec autem pueri negligentia et superbia lepida quadam gravitate descripta egregiam oculis proponit tabulam pictore non indignam. Etenim *palmam sub pede ponere* superbi est, cum victoria etiam certantes contemnentis, *humerum vento recreare* negligentis, aliud agentis. Fingendus autem puer est nudus; id quod praeter nudum pedem etiam humerus demonstrat. Nuditas autem index pulchritudinis et ex palaestra petita, unde scena sumpta videtur. — *fertur*] Oblique et superbe hoc in Pyrrhum: dum vos pugnam paratis, is dicitur quantopere vos despiciat manifesto indicio aperuisse. — *Nireus*] Epod. 15, 22. Hom. Il. II, 673. — *raptus ab Ida*] Ganymedes. — *aquosa*] Ex Homero sumptum epitheton: *πιδήεσσα, πολυπίδαξ*.

Carmen XXI.

Cum M. Valerius Messalla Corvinus (natus a. u. c. 685, cum Octaviano consul quo anno apud Actium debellatum est, mortuus 757) non minore pacis quam belli laude insignis Horatio ad coenam se venturum olim promisisset, optimum sibi quod in fumario servaretur vinum promendum esse hic vidit. Quod dum facit, animi sui sensus ita prodit, ut ad ipsum vinum conversus primum aperiat, quanti Messallam habeat, deinde vini beneficam vim omnibus hominum et temporibus et condicionibus conspicuam celebret, denique ad coenam quam est instituturus reversus generosis amphorae donis quamdiu possint fructuros se esse polliceatur. Idem prope argu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum,
Quocunque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves

mentum subiectum est Epistolae quintae libri I, quae partim ad illustrandas huius carminis nonnullas sententias partim ad discrimen quod intercedit inter lyricum genus et epistolam perspiciendum ab legentibus velim comparetur. Neque alienum est carmen I, 18. Scena ea est, ut poetam non domi sedentem ac meditantem, sed in ipso amicorum conventu subito ad canendum incitatum videas; eam enim Horatius prae se fert speciem et ostendit versu 7 *Corvino iubente*; quae verba ut coenam iam paratam, praesentes convivas, Messallam etiam fortasse *συμποσίαρχον* meliora vina clamantem audiamus haud dubia vi cogunt.

V. 1. Ne vetustatem vini admireris cf. Petron. Sat. 34: »statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM.« — *seu tu*] Ex diversis haec sumpta sunt bibentium ingeniis et moribus; in aliis alia vis vini est; ipsum autem vinum innocens est et pium. Sic *pia testa* vocativus non est separandus a praecedentibus sententiis *seu — sive*; cum quibus ita coniungendus est, ut Carm. II, 2, 2 cum particula *nisi*; ubi vide quae comparaverim. Ad v. 1 cf. Epod. 13, 6. Tibull. II, 1, 27: »Nunc mihi fumosos *veteris* proferte Falernos *Consulis* et Chio solvite vincla cado.« Et cf. Eueni eleg. 2 (Schneidewin. del. p. 134): »*Βάκχου μέτρον ἄριστον ὃ μὴ πολὺ μηδ' ἐλάχιστον Ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης.*« Hom. Il. VI, 261. Od. XXI, 295. Theogn. 295 (Welck.): »*Οἶνε, τὰ μὲν σ' αἰνῶ, τὰ δὲ μέμφομαι· οὐδέ σε πάμπαν Οὔ τέ ποτ' ἐχθαίρειν οὔ τε φιλεῖν δύναμαι.*« — *quocunque lectum nomine*] Leguntur uvae; igitur etiam vinum legitur. Fingit autem Horatius, vinum iam cum legeretur, quippe quod videretur generosum esse, a vineae domino ad certum quendam finem et usum olim esse destinatum. Attamen quamquam optimum est Massicum, non poterit meliore die promi aut digniori homini apponi, quam hoc die, quo Messallae apponetur. — *moveri digna*] cf. Sat. I, 3, 24. 4, 3. 25. 10, 72. Epist. I, 10, 48. A. P. 183. 283. — *Descende*] ex fumario. *Descende promere* i. e. descende ut promas, ut iam vidit Comment. Cruq. Alii minus recte iungebant *iubente promere*, scilicet ne una testa plura simul vina videretur continere. At pluralis *languid. vina* poetice de uno vino positus est. — *languidiora*] cf. Carm. III, 16, 34 sq. — *madet*] imbutus est. Sed etiam qui satis biberunt madere dicuntur; ut prope iocose dictum sit: »quamquam philosophia madet, vino tamen non minus madebit.« — *prisci Catonis*] cf. Epist. II, 2, 117. Sat. II, 1, 72. Cato autem Censorius est, non Uticensis.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque et addis cornua pauperi
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.
Te Liber et si laeta aderit Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

V. 12. *lene tormentum*] Elegans oxymoron, ut Bacchyl. fragm. 26 γλυκεῖ' ἀνάγκα; huius enim tormenti vis, quamquam ne sentitur quidem, tanta est, ut dura plerumque ingenia mitescant. Nam de vena poetica aut ingenio oratoris non bene alii cogitarunt. — *Curas*] Sapientium curae quae debeant intelligi, ipse Horatius additis verbis *arcanum consilium* per amplificationem explanat. *Sapientes* enim non sunt philosophi, sed quicunque contracta fronte ac severo vultu gravia semper alere videntur consilia; quae ne imprudenter prodant anxii student cavere. Quorum quidem severitati quam belle opponatur *iocosus Lyaeus*, magis senties cum dativum *Lyaeo* esse credis quam cum ablativum. Ad totum locum compara Ovid. A. A. I, 237 sqq.: »Vina parant animos faciuntque caloribus aptos: Cura fugit multo diluiturque mero. Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit, Tunc dolor et curae rugaque frontis abit, Tunc aperit mentes aevo rarissima nostro Simplicitas artes excutiente deo.« — *cornua*] Virium et confidentiae signum a tauris sumptum; sic Graeci κέρατ' ἔχειν. Iunge *viresque et cornua addis*. — *sapientium*] In lyricis Horatius genitivum eiusmodi verborum in *ium* formavit. cf. Epod. 1, 20. Carm. III, 24, 21; in satiris altera forma in *um* exeunte metri causa usus est: Sat. II, 3, 296. Sed cf. Carm. III, 18, 1. III, 27, 10. — *post te*] cf. Carm. I, 18, 5. — *iratos*] enallage adiectivi, non vitiosa, quoniam apex insigne est maiestatis ac potentiae, ad quam ab ipsis regibus recte ira transfertur. — *laeta*] propitia, ut Claudian. Epist. 2, 58: »Saltem absens, regina fave reditusque secundos Annue *sidereo laeta supercilio*.« — *segnesque nod. solv.*] decentes, ut Carm. I, 4, 6. — *vivae lucernae*] In epulis et comissationibus non potuit desiderari lucernarum splendor, ad augendam laetitiam utique necessarius. Quare magna etiam in his fuit antiquorum hominum luxuria; reperiuntur enim aureae lucernae, argenteae, vitreae, marmoreae, omnes summa arte et elegantia elaboratae. Quid igitur mirum, quod lucernae quoque cum Libero et decenti Venere coenam *producere* dicuntur? Quamquam vere *amphora* produci dicitur; haec autem coenae vinum ministrat, ita ut cum amphora etiam coena producatur. cf. Carm. I, 27, 5. III, 8, 14.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXII.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis,

Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

Carmen XXIII.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidyle,

Carmen XXII.

Parvum hoc carmen nihil est aliud nisi inscriptio tabulae, qua pinus villae imminens Dianae consecratur anniversariumque sacrificium vovetur. Quonam id a poeta consilio sit factum, primus docet versus, scilicet ut Dianae tutelae silvam suam rite commendaret. In qua re nolo offendaris additis aliis quoque clementiae et potestatis eius deae indiciis. Nimirum qui precibus adibant deos, ii multiplicis eorum potestatis memores non temere praedicabant numina. De qua re recordare, qua ratione apud Homerum (Il. I, 37 sqq.) Chryseus sacerdos Apollinem appellaverit. Ne huius quidem carminis annus natalis explorari potest, nisi forte tum maxime scriptum putas, cum poeta a Maecenate villam Sabinam dono accepisset.

V. 1. *Montium*] cf. Carm. I, 21, 4. — *Virgo*] perpetua est haec laus virginitatis. cf. Carm. I, 12, 22. — *laborantes utero*] parturientes. — *puellas*] vide ad Carm. II, 8, 23. — *ter*] ternarius numerus in sacris frequens. cf. Carm. I, 28, 36. — *triformis*] τριμορφος; est enim in terra Diana, in coelo Luna, in inferis Hecate. Cf. Virg. Aen. IV, 511. — *per exactos annos*] quotiescunque annus exactus erit, quotannis. Similiter Carm. III, 18, 5. — *verris*] Non dissimilis hostiae descriptio III, 13, 4 sqq. IV, 2, 55 sqq. Apri venatoribus ictum oblique inferunt; inde etiam Ovid. Her. IV, 104: »nec *obliquo dente* timendus aper.« id. Met. VIII, 344: »obliquo latrantes dissipat ictu.« Cui autem apro dentes eminere incipiunt, is ictum quasi meditatur.

Carmen XXIII.

Deos non magnitudinem sacrificiorum spectare, sed pietatem et voluntatem immolantium docet Horatius rusticam Phidylen, tristem eam quidem ac timentem, ne exiguis suis sacrificiis deorum favorem et benevolentiam sibi suisque agris et pecoribus conciliare non contingat. De simplici carminis oeconomia vix quidquam dicendum est. Phidyle autem — fictum haud dubie nomen neque ab argumento alienum, Φει-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si thure placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca,
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures
Cervice tinget: te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium

δύλη a *φείδεσθαι* — neque villica est Horatii neque certa quaedam rustica mulier. In communi omnium rerum magnificentia ne in sacris quidem antiqua simplicitas retinebatur; quare cum rustici homines cum in omnibus rebus tum in sacris integritatem morum, ut fit, servarent, non potuit credo Horatius cuiquam rectius dare suam doctrinam quam rusticae mulieri, quippe quae magnis divitum hominum victimis conspectis pro sua animi simplicitate in eam sententiam incidere potuit, quasi dii gratiam ex magnitudine hostiarum metiri ac distribuere solerent. Villicam Horatii hanc non esse, vel unus demonstrat Catonis de Re Rust. 143 locus: »Villica rem divinam ne faciat iniussu domini aut dominae. Scito dominum pro tota familia rem divinam facere.« De anno quo sic scripserit poeta ne coniecturam quidem facere licet.

V. 1. *Coelo supinas*] Similis Virgilii locus Aen. III, 176. — *nascente luna*] »Solent rusticae mulieres in initio primae lunae ad coelum effundere preces.« Acro. Religiosi homines mensis cuiusque Kalendis sacrificabant. — *placaris*] Vocalis *i* in terminationibus *is, imus, itis* antiquitus longa fuit; cf. Ovid. Met. VI, 357 »vitam dederītis in unda«; ibid. X, 560 »forsitan audierīs aliquam.« infr. IV, 7, 20. *Placare* autem, ut apud Ovid. Met. VII, 251. XII, 150 est propitium aliquem reddere, gratiam alicuius petere. — *horna*] spicis hornotinis. Forma *hornus* poetarum est. — *avidaque porca*] cf. Sat. II, 3, 165. — *robiginem*] Cur ea sit sterilis disce ex Virg. Georg. I, 150. — *alumni*] vituli, haedi, agni. cf. III, 18, 4. Bis tribus utitur exemplis: thure, fruge, porca; dein vitis, seges, pecora; ex consuetudine Horatii. — *grave tempus*] auctumnus. Sat. II, 6, 19. Iuven. IV, 56: »Iam letifero cedente pruinis Auctumno.« — *nivali*] Carm. I, 21, 6. — *devota*] Animalia enim statim post partum designabantur alia ad greges et labores alia ad aras. Sic Virg. Georg. III, 157—165. In Algido monte quercubus tecto porci, in herbosis Albanis pascuis boves sacri pasti ac saginati videntur.

V. 14. *tentare*] lacessere, sollicitare. — *parvos deos*] Larium simulacra vel aenea vel lignea admodum parva esse solebant; quae tanquam epulatura sertis florum et fruticum bene olentium redimiebantur. Quod cum pia Phidyle non negligat, *coronantem* partic. rectius intelligitur *quae coronas* s. *cum corones*, quam quod alii voluerunt *dummodo corones*. Accusativus *deos* pendet ex utroque verbo, *tentare* et *coronan-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

Carmen XXIV.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae

tem. — *bidentium*] »Ambidens sive bidens ovis appellabatur, quae superioribus et inferioribus est dentibus.« Fest. p. 5. — *immunis*] sc. scelerum; quamquam negari non potest, aliis apud Horatium locis (Carm. IV, 12, 23. Epist. I, 14, 33) *immunis* idem significare quod *muneris vacuus, sine dono et sumptu.* Totus autem locus tam obscurus est, ut, si contra omnium codicum et scholiastarum antiquissimam auctoritatem liceret, hanc stropham Horatiano carmini fraude affixam esse concederem; libentius certe facerem quam ullam aliam. Meinekius sic: »Quidquid tentes ut hos versus a fraudis suspicione vindices, nunquam efficies ut vel sententiae vel latinitati satis fiat.« — *hostia*] Vocabulorum constructio haec est: »Immunis manus si tetigit aram, mollivit aversos Penates farre pio et saliente mica, non blandior (futura) sumptuosa hostia (ablat.).« Nam *sumptuosa* nominativus esse non potest, quia apud Horatium ubicunque syllaba per se brevis in caesura producitur, in consonantem, non in vocalem exit. Nec producitur syllaba *sa* positione litterarum bl apud Horatium; cf. Carm. III, 4, 49. A. P. 395. Carm. III, 6, 19. III, 1, 13. III, 11, 9. cfr. Carm. I, 3, 36. I, 15, 36. III, 5, 17. Ad sententiam cf. Eurip. apud Orionem Schneidew. p. 55: »*Εὖ ἴσθ' ὅτι ἄν τις εὐσεβῶν θύει θεοῖς, Κἂν μικρὰ θύῃ, τυγχάνει σωτηρίας.*« Denique perfecta etiam *tetigit, mollivit* (sic enim scribendum, non *mollibit*, quod quamquam ex plurimis codicibus petitum, tamen ortum est ex male intellecto loco) inter se aptissime respondent. — *farre pio*] Poetica circumlocutio molae salsae. »Est autem *far pium* quod religioso animo offertur, et *sal* (mica) *saliens* est micans in igne, quae res boni ominis.« Dissen. ad Tibull. III, 4, 10 p. 346. Plin. H. N. in praef. »Mola salsa litant, qui non habent thura.« Tibull. IV, 1, 14 »parvaque coelestes placavit mica, nec illis Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.«

Carmen XXIV.

Accedit hoc carmen iis, in quibus Horatius in corruptos suae aetatis mores eorumque originem, nimias privatorum hominum divitias, invectus est. Epod. 16. Carm. II, 15. Divitiae et luxuria cum perpetuo exagitent homines neque unquam ipsae ad aliquem finem perveniant, beatos reddere non possunt (v. 9); quare multo feliciores sunt ii qui simplicitati naturae propiores neque delicias vitae neque quae inde proveniunt mala cognoverunt (v. 24). Iam cum Romani semel ab ista via abducti in summam rerum perver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,

sitatem ceciderint, viro maxime opus est, qui refrenata licentia restitutoque recto rerum ordine optime et immortaliter mereatur de universae civitatis salute (v. 32). Haec superior pars carminis, aequabiliter et apte divisa. Altera non minor tota consumitur accurata magis et copiosa explicatione extremae prioris partis sententiae, additis simul remediis etiam desperatissimis coercendae libidinis avertendaeque perniciei. Duplici autem via, simul ineunda, eo posse perveniri ait, minuendis privatorum hominum divitiis ac meliore in pueris educandis ratione. Extremum denique carmen non sine arte eo unde exierat redit. — Non male suspicati sunt interpretes, compositum esse carmen anno fere 725 vel 726; quo tempore Augustus de emendandis moribus cogitavit. Primus statim versus ante a. 730 scriptum esse docet et recens est v. 25 sqq. bellorum civilium memoria.

V. 1. *Intactis*] a Romanis. De Arabia et India ignotis prope summarum divitiarum sedibus vide Carm. I, 29, 1. Epist. 1, 6, 6. De caementis vide ad Carm. III, 1, 35, de prima syllaba nominis *Apulicum* ad III, 4, 9. 10. Ceterum Lachmannus, cum in bonis codicibus scriptum sit *mare publicum*, ausus est locum sic mutare: *Terrenum omne tuis et mare publicum*, et comparavit Liv. XXIII, 19 »quidquid herbidi terreni extra murum erat.« Sententia esset haec, mare debere ita ut sit manere neque privatum fieri aedificationibus; ut apud Ovid. Met. II, 35 »lux immensi publica mundi,« et VI, 351 ubi aquae *publica munera* sunt, quia »usus communis aquarum est.« Non bene. — *adamantinos clavos*] Verbum figere cum Romanis ex proverbio in memoriam vocaret *clavos trabales*, de quibus vide ad Carm. I, 35, 18, summi vertices qui essent putandi incertum non reliquit. Sunt enim fastigia aedium, non quos alii satis mire voluerunt vertices hominum aut divitiarum. Neque melior est interpretatio eorum, qui *summis verticibus* dativum esse putantes clavorum capita explicant. *Summi vertices aedium* facile intelliguntur ex praecedentibus versibus; nam cur caementa a divitibus in mare demittuntur, nisi ut in aggere *aedes* et turres exstruantur? In toto autem loco amara inest ironia. Sententia igitur haec est; licet omnium tu mortalium ditissimus utrumque mare villis tuis aggeribusque expleas, tamen cum Necessitas, Fatum, cui omnes sunt subiecti, in altum iam exstructis molibus clavos suos infigit tibique ipsi finem instare clamat, frustra dives es neque caput tuum ex mortis vinculis divitiae liberabunt. cf. Carm. III, 1, 14 sq. De producta posteriore verbi *figit* syllaba vide ad III, 5, 17. cf. Sat. I, 4, 82. II, 3, 260. Virgil. Aen. IX, 9. X, 433. Bucol. 7, 23. Supervacanea igitur videtur transpositio, quam *Axtius* suasit: »si summis adamantinos Figit verticibus.« — *campestres*] *νομάδες*. Et cf. Aesch. Prom. 709: »*Σκύθας δ' ἀφίξει νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας Πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις.*« Salust. fr. p. 258. Gerl. »Scythae Nomades, quibus plaustra sedes sunt.« Apte comparatur descriptio morum Scytharum apud Iustinum II, 2 et Germanorum apud Caesarem b. g. IV, 1—3. VI, 22. 23. Tacit. Germ. 26. Nam fuerunt, qui Getas et Gothos eundem populum fuisse docerent.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt
Nec cultura placet longior annua
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens
Nec dotata regit virum
Coniux nec nitido fidit adultero;
Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas;
Et peccare nefas aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam,
Si quaeret pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat

De Scythis locus est etiam Virgilii Georg. III, 349 sqq. De tota re docte disputavit Rud. Koepke in libro, cui nomen dedit Deutsche Forschungen (Berolini 1859) p. 208—226. — *rite*] A sacris h. v. ad rectum ordinem, inde ad vulgarem usum, ad solitam agendi rationem descendit. Sic apud Virgilium Aen. IX, 352. — *immetata*] Aureae hoc aetatis est, quod agri limitibus et terminis nondum sunt signati. Virg. Georg. 1, 126. Ovid. Met. I, 135. — *Fruges et Cererem*] ἓν διὰ δυοῖν.

V. 18. *temperat*] temperamus alicui vel ab aliquo, quem neque iniuste quid facere iubemus neque malo conamur afficere. Sic saepe apud Ciceronem, alios. — *dotata*] Plaut. Men. V, 2, 16: »Ita istae solent, quae viros subservire sibi postulant *dote fretae.*« — *dos est*] Repete *illic*. Bene haec sententia explicatur h. l. Plauti Amphitr. II, 2, 207: »Non ego illam dotem mi esse duco, quae dos dicitur; Sed pudicitiam et pudorem et sedatam cupidinem, Deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam.« — *parentium*] vide ad Carm. III, 21, 14. — *metuens alterius viri*] cf. Carm. III, 19, 16. Ceterum *virtus et castitas* altera alteram illustrat: ἓν διὰ δυοῖν. — *Et peccare*] adulterio. Ceterum hic quoque repete *illic* ex v. 17. Deinde premendum est vocabulum *nefas*, ut Carm. IV, 5, 22; *aut* particula duarum rerum, quae solae fieri cogitarive possunt, alteram addit, quae, si non sit quod superiore loco positum est, necessario debeat esse: widrigenfalls, alioquin, ut apud Virgilium Aen. X, 630. — *pretium*] vocabulum medium, h. l. de poena. — *quisquis*] si quis; omnes qui. Quare noli cum Bentleio iteratum interrogans pronomen *quis, quis* praeferre. — *pater urbium*] i. e. restitutor, ut apud Cic. ad Quint. fr. I, 1, 31 *parens Asiae*, et

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Refrenare licentiam,
Clarus post genitis: quatenus — heu nefas! —
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur;
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt, horrida callidi
Vincunt aequora navitae,
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam deserit arduae?
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.

Tacit. Ann. XI, 25 »ob ea Vipstanus consul retulit, *patrem senatus* appellandum esse Claudium.« Sententia generalis est, sed tecte monstratur Augustus, qui anno demum 752 *patris patriae* nomen assumpsit. *Urbes* tamen ut Carm. I, 35, 10 contra gentes, rudes eas atque incultas, ponuntur, sic cum omnibus suis vitae hominum ornamentis hic cogitantur. — *clarus post genitis*] quoniam virtutem aequales invidia, veneratione posteri persequuntur. cf. Epist. II, 1, 10 sqq. Quare *invidi* non ad *quaerimus* magis quam ad *odimus* referendum est.

V. 36. *Si neque*] Condicionalis sententia triplex est; eaque continuanda usque ad v. 44. Ad sententiam conferas Taciti vocem Germ. 19: »Bonae leges minus valent quam boni mores.« — *magnum*] Repetendum ex praecedentibus *si*. Cfr. Eurip. El. 374: »ἔχει νόσον Πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.« Hor. Sat. II, 3, 91. — *virtutis arduae*] ex imagine antiquis satis usurpata; nimirum in arduo monte arcem ea tenere fingebatur. Nobis via certe ad virtutem ardua est. — *clamor et turba*] ἐν διὰ δυοῖν. Sumpta haec ex pompa triumphali, qua qui suas divitias in communem usum conferre parati sunt, inter laetas populi acclamationes ducuntur in Capitolium. — *gemmas, lapides*] gemmae anaglyphae et ectypae; lapides sunt uniones. Ovid. Med. fac. 20 sq.: »Conspicuam gemmis vultis habere manum, Induitis collo lapides oriente

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior
Seu Graeco iubeas trocho
Seu malis vetita legibus alea,
Cum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospites
Indignoque pecuniam
Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

paratos.« — *equo haerere*] non »firmiter insidere«, sed »in equo se continere, non deiici.« Sic etiam Cic. pro Deiot. 10. — *seu iubeas*] Horatius etsi cum *seu — seu* vel *sive — sive* particulis indicativum modum, ut vulgo fit, coniunxit, tamen a coniunctivo non potuit abstinere, cum res diceret non quae essent sed quae possent esse. Sic Carm. I, 4, 12. I, 12, 53—55. — *trochus*] rota ferrea cum anulis crepitantibus, quam pueri virga ferrea circumagebant; ludus graece *κρικηλασία* dictus. Graecus dicitur non sine contemptione peregrini moris. — *vetita legib. alea*] cf. Cic. Philipp. II, 23. — *Consortem socium*] Consortes sunt quibus eadem sors; inde et cognati, quia sors etiam patrimonium, et qui lucri faciendi causa sortes composuerunt. Hi consortes socii. — *hospites*] Sic habent omnes Blandinii et duo alii codices Cruquii optimique Bentleii; sequamur igitur auctoritatem librorum, cum Bentleius recte iam monuerit, nihil omnino interesse, *hospitemne* an *hospites* legamus. De re cf. Cic. pro Rosc. Am. c. 40. Hor. Epist. II, 1, 122. — *properet*] transitive, ut Epist. I, 2, 61; est enim omni opera et quam citissime parare. — *improbae*] non ingentes, ut apud Virg. Aen. XII, 687, sed ut apud Eurip. Alex. fr. 14: »ἄδικον δ' ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ« et ibid. fr. 15: »κακόν τι βούλευμ' ἦν ἄρ' εἰς εὐανδρίαν Ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν αἴ τ' ἄγαν τρυφαί.« — *curtae*] ex opinione cupidorum hominum. Solon. 11, 71 (Schneidew. Del. p. 27): »Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται· Οἵ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον, Διπλάσιαν σπεύδουσι· τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;« Carm. III, 16, 42. — *nescio quid*] graviter et ironice dictum; deest enim animi temperantia, otium. cf. Carm. II, 16, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? Quibus
Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inserere et consilio Iovis?
Dicam insigne recens adhuc
Indictum ore alio. Non secus in iugis
Edonis stupet Evias,

Carmen XXV.

Non tam dithyrambus est, ut Carm. II, 19, sed dithyrambica i. e. sublimi ratione tentata Augusti imperatoris laudatio. Cuius res gestas, divinas magis quam humanas, merito celebraturus poeta tanta admiratione ac paene furore correptum se sensit, ut Bacchi numine impletus ex vulgari hominum coetu in sacras regiones Baccharumque societatem ablatus esse sibi videretur. Quae fictio poetico ornatu nudata hoc dicit, cum Augusti ingentia facinora humanas facultates excedere divinaque mente procreata videantur, eum etiam poetam qui merito illa canere velit divina ope quam maxime adiutum et instructum esse debere; etenim deum, qui Baccharum feros animos flectere, corporibus insolitum robur dare possit, imbecillum etiam hominem ad coelestem cantum extollere. Verum — sic clauditur carmen — periculosum simul et blandum est dei numini tradi; periculosum, quia non omnibus contigit eam viam impune persequi; dulce, quia iste furor a deo venit, qui vini beneficio mortale genus hominum auxit. Sic infirmitatis accedit libera confessio, frequens illa quidem apud Horatium. — Scriptum putant anno 725 vel 726, quo omnes Augusti merita ac facinora stupentes tantum hominem inter deos prope referebant. Cf. Carm. III, 3, 11. Quamquam *Weberus* maiore, ut videtur, veritatis specie suspicatus est, accepto nuntio de victa Cleopatra captaque Alexandria Horatium ad tantam Octaviani laudationem elatum esse.

V. 2. *quae nemora*] De praepos. *in* huc quoque referenda cf. Catull. 31 (33), 5 »cur non exilium malasque in oras itis?« Ovid. Met. VII, 708. Virg. Aen. VI, 692. *Specus* autem et antrum hoc inter se differunt, quod specus dicitur de solitudine ac vastitate loci, antrum de divino poetarum deversorio. — *quibus antris*] non est dativus, sed ablativus loci. — *egregii*] cf. Carm. I, 6, 11. — *meditans*] meditatur poeta, qui quas celebraturus est res iis totus tenetur; iam cum divina in pectore poetarum vis saepe efficiat, ut simul atque oriantur cogitationes etiam proferantur, *meditari* ipsum *canere* potest significare. Sueton. Aug. c. 85: »Exstat alter aeque modicus *epigrammatum* (liber), quae fere tempore balnei *meditabatur*.« — *indictum*] cf. Epist. I, 19, 32. Ut *indictum* est quod ante nunquam dictum est, ita *recens* quod nunquam ante auditum. — *Edonis*] In libris omnibus scriptum est *exsomnis*, sed recepi cum Meinekio Linkero Hauptio ingeniosam emendationem Bentleii; neque enim Bacchae perpetua agitantur vigilia nec facile *iugis* epitheto potest carere. cf. Eurip. Bacch. 682: »Εὗδον δὲ πᾶσαι σώμασιν παρειμέναι.« Stat. Achill. I, 645: »At Bacchi comites, discussa

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen, ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus
Mirari libet. O Naïadum potens
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Carmen XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;

nube soporis, Signa choris indicta putant.« *Edoni* montes erant Thraciae vel in confiniis Macedoniae, ubi Bacchi orgia praecipue celebrabantur, unde ipse *Edonus* vocitatur et Bacchae *Edonides*. Ovid. Trist. IV, 1, 41: »Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus, Dum stupet *Edonis* exululata iugis.« Lucan. I, 675: »Nam qualis vertice Pindi *Edonis* Ogygio decurrit plena Lyaeo.« Theocrit. VII, 111: »εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ Ἔβρον πὰρ πόταμον.« Hor. Carm. II, 7, 27. Bacchae autem non alia mente sacras Thraciae regiones, dei vestigiis refertas stupent, atque ea qua poeta ab iis rebus quas solet canere distractus (*devius*) grandia admiratur atque excelsa ad canendum nunc sibi proposita facinora. Sic intelliguntur *ripae et vacuum nemus*, quae hoc tantum volunt, ut sacras regiones vel sublimes et adhuc poetae intentatas res apta allegoria illustrent.

V. 12. *ut*] coniunge cum *non secus*. cf. Carm. I, 16, 7 sqq. Cic. Brut. 50, 188 *perinde — ut*, quae species quaedam est constructionis ad sensum quae vocatur. Nimirum *non secus, perinde, non aliter* (Ovid. Met. IX, 642) idem significant quod *ita*, cui relativa respondet particula *ut*. — *manibus vertere*] Exemplum ad ostendendam ingentem vim qua deus solet implere; ab hoc ad poetarum Baccho plenorum magnificentiam non longa est concludendi via. — *mortale*] i. e. nihil quod homines suavi canere possunt. — *dulce periculum*] oxymoron. — *Lenaee*] Hoc nomen cum pampino ostendit deum vini. cf. Carm. IV, 8, 33. Nomen factum est a *ληνός*, quod Baccho sacrum est torcular.

Carmen XXVI.

Poeta Chloës amore captus sed non auditus tanta aegrimonia et tristitia obruitur, ut amoribus non iam idoneum se sentiens queratur: »Fuit olim cum in amore felix essem; nunc secus est. Ut miles militiae laboribus ferendis impar arma mea Veneri suspendam. Nam quid prosunt? Chloë precibus meis aures dare recusat. Sed verus et spretus amor inultus non erit; tu, dea, ar-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

rogantem castigabis.« Hoc extremum ita intelligendum non est, ut suo amore velit capi Chloën, sed ut iure quodam talionis par pari referatur. Forma autem carminis tota est dramatica; poeta in aede (vide v. 4) Veneris secum loquitur, sed clara voce; deinde ministros arma portantes deponere iubet, tum ad deam conversus vindictam rogat. De tempore carminis admodum lubrica est coniectura.

V. 2. *militavi*] Haud rara apud poetas amantium cum militantibus comparatio: Carm. IV, 1, 16. Ovid. Am. I, 9, 1: »Militat omnis amans et habet sua castra Cupido.« Frankii coniecturam *duellis* pro *puellis* laudavit Meinekius, recepit Linkerus; non recte, opinor. — *non sine*] Litotes ab Horatio saepe usurpata, ut Carm. I, 23, 3. III, 4, 20. III, 29, 38. — *arma*] Quae qualia fuerint ostendunt versus 6 et 7. Sed barbitos quoque inter arma est; de particula *que* vide ad Carm. I, 21, 14. — *laevum*] Cicer. divin. II, 39, 82: »Nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora.« — *marinae*] *ποντίας*, *πελαγίας*. Carm. IV, 11, 15. Ovid. Fast. IV, 62: »a spumis est dea dicta maris.« — *custodit*] eleganter dictum pro eo quod vulgo dicebant *latus tegere*, ut Sat. II, 5, 18. — *funalia*] Haec cum reliquis arma sunt protervorum iuvenum nocturno tempore cum funalibus per plateas circumvagantium portasque libertinarum statim non apertas vectibus effringentium. cf. Sat. I, 4, 51. Ne *arcus* quidem tentandi sunt coniecturis (*vectes securesque* Bentl., *vectes et harpas* Cuningh., *vectes et ascias* Keller.). Furibundi prope adolescentes quid non potuerunt corripere? scilicet ut ianitores terrerent, ut ait vetus glossa. Nam in versu 8 ad vectes magis quam ad funalia et arcus referendo haerendum non est anxie. — *Cyprum*] vide Carm. I, 3, 1. Apud Plin. H. N. V, 31 antiquum nomen insulae Cypri reperitur *Macaria* (beata). — *Memphin carentem Sith. nive*] Egregie hoc dictum; etenim frigus ut in rerum natura, sic in hominum pectoribus odiosum est Veneri; habent igitur haec verba causam, cur fore speret ut Venus frigidam, amoris caloribus non imbutam Chloën velit castigare. De templo autem Veneris in Aegypti hac nobilissima urbe vide Herod. II, 112; de Sithoniis ad Carm. I, 18, 9.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXVII.

Impios parrae recinentis omen
Ducat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fetaque vulpes;

Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos: ego cui timebo
Providus auspex,

Carmen XXVII.

Galatea nescio qua ratione cum Horatio coniuncta — id quod probatur versu 14 — quam adhuc habuit sedem ac simul poetam relictura est. A quo consilio ille cum frustra, ut videtur, avocare eam tentaverit, ne omnino faciat iter persuadere iam non studet negatque se propterea eam malis prosequi ominibus, quibus neminem nisi malum et impium hominem plecti velit; immo praesentiam ei ac tutelam deorum se exoptare. Hoc unum se velle, ne procelloso hoc auctumni tempore iter instituat. Etenim tempestates non timere temerarium esse; temeritate autem pericula gigni et poenitentiae dolores. Quam quidem sententiam Horatius nudam sic et frigidam proponere noluit in eiusque locum substituit Europae exemplum et fabulam. Continuatur autem per triginta fere versus poenitentia Europae de levitate sua ac temeritate, ut luce clarius sit, non aliter atque in Carm. III, 3 et 11 huius carminis summam sententiam in ipsa fabula esse quaerendam quaeque praecedant reliqua rerum tantum occasionem explicare. Deinde sententia illa, qua scire dicimus homines quid relinquant, quid sint inventuri nescire, egregium locum in initio fabulae nacta est mirifice inter se oppositis strophis octava et nona. Iam qui singulas fabulae partes cum Galatea vellet comparare, is magnopere erraret; quoniam in eiusmodi rebus ita fere fit, ut exemplorum et comparationum vis universa spectetur, non omnium rerum aut partium opportunitas. Ex quibus ut unum proponam, exitus de magno quo digna Europa habita dicitur honore nihil accommodatus est ad Galateam, nisi forte credis, hoc secutum esse poetam, ut levitatem et imprudentiam non posse corrigi diceret nisi intercedentibus deorum numinibus; id quod de suis rebus Galateae non licuit exspectare. Ceterum nescimus neque quae fuerit Galatea neque quo anno carmen scriptum sit.

V. 3. *rava*] »Ravi coloris appellantur qui sunt inter flavos et caesios« Festus p. 135. — *Lanuvino*] Lanuvium, Latii oppidum, haud longe a via Appia situm; sic breviter significantur qui iter faciunt in Campaniam et Brundusium. — *rumpat et*] In paucis codd. *rumpit* legitur a Bentleio, Meinek. Haupt. Keller. receptum. Alterum rectius; nam id ipsum infaustum est, quod iter institutum serpente per obliquam viam celeriter labente interrumpitur; deinde vulgata lectio vehementer sustentatur gravi ac plena versus secundi alliteratione: *ducat et — rumpat et*; qualem adamarunt poetae latini. — *mannos*] animal ex equo et asina natum, maximae celeritatis, quare ad rhedas trahendas frequenter adhibitum. cf. Epod. 4, 14. Epist. I, 7, 77. — *cui timebo*] Sic recte, cf. Sat. II, 1, 23. Ovid. Am. II, 11, 9: »Quid tibi, me miserum, Euros Zephyrosque timebo?« In multis libris MSS. *quid*; quod vo-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Sis licet felix ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas,
Teque nec laevus vetet ire picus
Nec vaga cornix.

Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
Peccet Iapyx.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere ripas.

Sic et Europe niveum doloso

cabulum ex mala pronuntiatione insequentem litteram *t* iterantium scribarum (cuit timebo) ortum creavit tertiam lectionem *cur.* — *repetat paludes*] Indicium hoc appropinquantis tempestatis; iam vides cur providum se auspicem dixerit. *Stantes* autem ex illo genere est epithetorum quae ornantia dicuntur. De *auspice* vide ad Carm. I, 7, 27. Et cf. Sabin. epist. 1, 93: »Tiresias laeti *providus* augur.« — *divina avis*] quia vaticinatur, ut A. P. 218. Sat. I, 6, 114. 9, 30. — *oscinem*] *Oscines* aves, quae cantu, *praepetes*, quae volatu augurium faciunt. — *ab ortu*] Qui augurium capiebant Romani, ad meridiem conversi solis ortum ad sinistram, occasum ad dextram habebant; inde sinistra fausta, dextra mala auguria. Graeci contra.

V. 15. *laevus picus*] mali ominis est, ut sententia ostendit; cur sit, cum laeva s. sinistra fausta habeantur, non satis patet. Conferas tamen Ovid. Ib. 128: »et *a laeva* moesta volavit avis.« *Vetet* ex optimis codicibus; alterum *vetat* pravum esse in promptu est. — *pronus Orion*] Vergebat tunc Orion ad occasum a. d. V. Id. Novembr. — *ater*] funestus. Poeta ipse expertus est, quam sit periculosum iter per mare Adriaticum, cum olim ex Graecia in Italiam rediret. — *albus Iapyx*] vide ad Carm. I, 3, 4 et 14. — *hostium*] Ad hanc hostium exsecrationem lege Carm. I, 21, 13 sqq. — *caecos*] qui quasi non vident, in quae nos coniiciant pericula. cf. Virg. Aen. III, 200. — *verbere*] Singularis numeri huius nominis primus, tertius, quartus casus omnino non inveniuntur, reliqui admodum raro; genitivus est apud Ovid. Met. XIV, 821. Sed cf. Epod. 10, 3. — *ripas*] ripa pro littore posita, ut Carm. II, 18, 22. — *Europe*] Hom. Il. XIV, 321. — *latus*] poetice pro corpore, per synecdochen; ut Carm. II, 7, 18. — *medias fraudes*] pericula ac monstra.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: Pater, o relictum
Filiae nomen pietasque, dixit,
Victa furore!

Unde quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? meliusne fluctus
Ire per longos fuit an recentes
Carpere flores?

quae in medio mari sunt, ab iis qui in littore stant non cernuntur aut sentiuntur. Et cfr. Mosch. 2, 127: »Ἡ δ' ὅτε δὴ γαίης ἀπὸ πατρίδος ἦεν ἄνευθεν, Φαίνετο δ' οὔτ' ἀκτή τις ἀλίῤῥοθος οὔτ' ὄρος αἰπύ, Ἀλλ' ἀὴρ μὲν ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων κτλ.« Tum egregium est *palluit audax*, quippe quo subita et magna animi Europae mutatio mirum in modum non exprimitur sed pingitur. Inde consulto *palluit* cum accusativo, ut Epist. I, 3, 10. — *debitae*] ex voto.

V. 33. Iam incipit magnifica de Europae moerore expositio, in qua si quaeras quid illa tandem commiserit, cur summo se supplicio dignam accuset, ipsa adest Europa quae respondeat v. 34 sqq. Nam dum per mare vehitur, ne verba quidem prae terrore potuit invenire; in terram exposita a tauroque destituta primum patris male deserti meminit seque quod levitate seducta filiae nomen prodiderit pietatemque furore i. e. temeritate vinci passa sit graviter accusat. Neque quidquam *culpa* est aliud et *turpe commissum* nisi hoc, quod insano amore eo pervenit, ut quem carissimum habuit patrem relinqueret. cf. vv. 42—44. 49. — *furore*] ut apud Catull. 64, 197 »amenti caeca furore« Ariadne, cuius querelae simillimae sunt. — *unde quo*] Coniunctae ad graecum modum duae interrogationes. cf. Carm. III, 19, 6 sq. Virg. Aen. X, 670. — *vitiis*] Unum quidem intelligit vitium, sed pluralis numerus auget rem, ut saepe apud poetas. — *porta eburna*] Hom. Od. XIX, 562. Virg. Aen. VI. 894. Altera adiectivi forma *eburneus* neque Horatius usus est neque Virgilius. — *fugiens*] Fugere apud poetas est rapide abire, exire. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.

Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas teneraeque sucus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.

Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum;

Sive te rupes et acuta leto

cornua monstri] In aliis et codd. et editt. *tauri*, ex aperta interpretatione et similitudine v. 72 orta lectio.

V. 49. Venusti versus gravi oppositione: nam quae id impudenter fecit, quod patriam domum temerario amore inducta reliquit, ea etiam auget impudentiam, quod luce et coelo frui audet poenamque quodam modo detrectat. — *audis*] Brevitatem quae inest in hac pronominis *quis* cum altera persona coniunctione nostra lingua non assequitur. Omnes enim deos simul sic alloquitur; cognatum illud Virgilianum (Aen. IV, 625): *Exoriare aliquis* nostris ex ossibus ultor, *Qui* face Dardanios ferroque *sequare* colonos.« — *nuda*] propria significatione. Sequentem strophan fuerunt qui abesse mallent propter ingratam quam habet imaginem et pulchritudinis ineptam laudem. In qua re si quid peccatum est, id Horatio potius dandum est quam scribae nescio cuius fraudi et versus faciendi studio. — *urget absens*] Hoc quoque oxymoron, nam proprie praesentia sola urgent; vide ad Carm. II, 9, 9. — *pendulum*] »Horatius figuram Europae quasi moribundae et ab arbore pendentis exquisitiore modo depinxit, collum ipsum, cui in tali morte maximae erant partes, dicens *pendulum*. Verbo *laedere*, quod Iahnius h. l. audacius et doctius collocatum esse censet, comparemus Soph. Antig. 54 *πλεκταῖσιν ἀρτάναισιν λωβᾶται βίον*.« Iacob. Quaest. epic. p. 106. *Lachmannus* ad Lucret. p. 324 tamen commendavit id quod in duobus codd. repertum est *secuta e — Lidere*, eumque secuti sunt *Hauptius*, *Meinekius*, *Linkerus*. Ceterum hoc genus mortis vulgare in heroinis, ut in Iocasta, Phaedra. — *bene*] opportune. — *sive*] vide ad Carm. I, 2, 33. Acerbum hoc est et indignabundum mortis arbitrium; scilicet filiae, quae libere patrem reliquit, libere etiam mortis genus constituendum est. Sic intelligitur verbum *delectant* prope malignum, sic etiam saxa *acuta leto* i. e. ad mortem dandam natura in-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Saxa delectant, age te procellae
Crede veloci, nisi herile mavis
Carpere pensum
Regius sanguis dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.
Mox, ubi lusit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Iovis esse nescis.
Mitte singultus, bene ferre magnam
Disce fortunam; tua sectus orbis
Nomina ducet.

Carmen XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum

stituta, a quibus qui desiliunt procella etiam acti celeriorem mortem inveniunt. Praeterea grave etiam est, quod *regius sanguis* appellatur, cui quid tristius potuit accidere quam in servitutem dari? — *perfidum*] vid. ad Carm. II, 12, 14. — *remisso*] quia opus suum iam perfecit. — *lusit*] ludere aliquem est ludibrio habere, irridere. — *abstineto*] *Meinekius* ex coniectura *abstinebis*; at non consolatur Venus, sed vituperat ac iussa dat. — *irarum*] cf. Carm. II, 9, 17. IV, 9, 37. — *invisus*] Repetit Venus ipsius Europae verba paulum mutata, V. 45 sqq. — *uxor esse*] nominativus graeco more positus, ut Carm. I, 2, 43. 50. Epist. I, 7, 22. — *nomina*] poetice de uno homine, ut Carm. IV, 2, 6.

Carmen XXVIII.

Neptunalibus (a. d. X. Kal. Aug.)

poeta cum psaltriam Lyden apud se habeat, nescire se ait quid melius faciat quam vino et cantu Genio indulgere. Sic carmen dividitur in duas partes: primum vinum promere iubet Lyden (v. 1—8), deinde canere (9—16). Carmine amoebaeo Horatius Neptunum celebrabit, deinde Lyde Latonam et Dianam, tum coniunctis vocibus — id quod ex plurali numero v. 9 recte videtur concludi — Venerem et Noctem. Temporis notationem carmen non habet. Neptunalia frondeis casis, quas *umbras* vocabant, in ripa Tiberis exstructis et tauro immolato celebrabantur.

V. 2. *faciam*] Bentl. *facias* ex coni. propter insequens *prome*. Sed nihil opus emendatione; est enim ὕστερον πρότερον, vel, si mavis, aperit Horatius quae tacitus ante me-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lyde strenua Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereidum comas;
Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae;
Summo carmine quae Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Iunctis visit oloribus
Dicetur, merita Nox quoque nenia.

ditatus sit de ratione, qua Neptunalia velit celebrare. — *reconditum*] vetustum, molle; cf. Carm. II, 3, 8. — *strenua*] Adiectivum pro adverbio. cf. ad Carm. I, 2, 45. Epist. I, 2, 70. — *munitae sapientiae*] Quae sit munita sapientia patebit ex Carm. III, 21, 14, ubi vide. — *inclinare*] ad vesperam vergere; proprie de sole, ut Iuven. 3, 316 *Sol inclinat*. Pronomen *se* apud Livium quoque saepius omissum. — *ac*] I. H. Vossius emendandum putavit *at*; sed coniunctivae particulae adversante saepe facultate instructae sunt: *ac tamen*; exempla ne apud Ciceronem quidem desunt. — *veluti*] pro *velut si*, ut Ovid. Met. IV, 596. *Stare* autem verbum admodum frequens est de rebus immotis ac durantibus; sic h. l. oppositum est superiori verbo *inclinare*. — *parcis*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *Bibuli*] M. Calpurnius Bibulus cum C. Iulio Caesare consul fuit a. u. c. 695. Sed iocose hoc nomen lectum; videlicet *bibere* gestienti vinum *Bibuli* consulis haud dubie gratissimum est. — *virides*] a colore aquae marinae. cf. Ovid. Trist. I, 2, 59 »viridesque dei quibus aequora curae.« — *tu*] Lachmanni coniecturam *tum* praetulerunt *Meinekius, Hauptius, Linkerus*. — *recines*] canendo respondebis, ut Carm. I, 12, 3. Versum decimum secundum accurate vides accommodatum esse decimo. — *summo carmine*] *Summus* quamquam contrarius sua natura est *imo*, ut Epist. I, 1, 54, a loco tamen id vocabulum etiam ad tempus transfertur, ut contrarius sit *primus*, ut Epist. I, 1, 1; confer illud Lucani II, 211: »In fluvium *primi* cecidere, in corpora *summi*.« — *Cnidon*] cf. Carm. I, 30, 1. — *oloribus*] De curru Veneris vide Ovid. Met. X, 717. — *nenia*] vide ad Carm. II, 1, 38. Ceterum cum Bentleio colon posui post v. 12 et comma post *dicetur*; dura enim est constructio aliorum, qui post *Cynthiae* commate posito dici volunt: »recines summo carmine eam deam, quae Cnidon etc.: dicetur merita Nox cet.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XXIX.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis
Iamdudum apud me est. Eripe te morae

Carmen XXIX.

Externam scribendi carminis occasionem praebuit Maecenas invitatus, ut ex urbe ad poetam rusticatum veniret. Quod cur libenter ac benigne facere debeat Maecenas, causae propositae sunt v. 13—24; etenim divitibus vices saepe iucundae sunt et frugalitas pauperum optimum praebet remedium taedii et curarum; praeterea instat (v. 17) aestas, quam in urbe paene intolerabilem Romani saepenumero ruri, maxime in montibus, transigere solebant. »Verum, inquit, tu quidem, Maecenas, tui vix iuris es; civiles curae, publica salus animum tuum undique captum habent, sed recordare (v. 29) futurarum rerum conditiones divina prudentia praeclusas esse humano intellectui, hominesque decere quae sint parata iis sapienter frui, bene scientes quidquid sit futurum id fluminum ritu fluere, modo placidum ac quietum modo turbidum ac violentum. Quare cum quietis rebus nimiae curae sint inanes, turbidis impares, nemo rectius vivit eo (v. 41), cui vespera cum venerit dicere liceat: hic meus fuit dies; qualiscunque crastinus erit, quibus bonis fructus sum ne deus quidem ea mihi auferet. Sic qui cogitat, verum is habet otium, non quaerendum illud quidem in tentanda fortuna, qua nihil est mobilius aut magis incertum. Quam ob rem (v. 49) quae benigna offert dona grato animo accipiantur; quae adversa aufert libenter reddantur ab eo qui quae vera sit dignitas vera virtus, verae opes sapienter sibi persuasit. Inde (v. 57) nascitur animi securitas ab omnibus externis et curis et periculis; quae si minantur, recti conscientia deorumque tutela omnia summoventur.« Tale igitur carminis est argumentum: quo tres efficiuntur partes. Ac prima quidem sex strophas complexa invitationem habet cum generalibus causis, quibus ut veniat Maecenati suadetur; altera quattuor stropharum Maecenatis res et condiciones describit transitumque sensim parat ad tertiam sex strophas continentem, qua quid cogitet Horatius de vitae rationibus vicibusque libere ac diserte exhibetur. In medio carmine collocatam vides sententiam: *quod adest memento componere aequus*; ea autem totius doctrinae originem et quasi fontem ostendit. Quapropter recte iudicarunt qui hoc multis nominibus laudandum carmen inter praestantissima referrent Venusini poetae. Quod quo anno scriptum sit certum non est; sed cum Maecenas aedes suas in Esquiliis iam habeat exstructas (v. 10), Horatium etiam in Sabina villa habitare ex initio perspicuum sit, praeterea versu 28 Teridatis et Phraatis Parthicorum discordia tangatur, veri simillimum est ortum esse carmen non ante annum 729. Simile est pluribus de causis carmen III, 8.

V. 1. *Tyrrhena*] cfr. Carm. I, 1, 1. — *non ante verso*] usque adhuc recondito, nondum tacto, id quod honorificum est Maecenati. cf. III, 21, 6. — *lene*] vetustate delenitum; recentia enim vina acerba sunt. — *balanus*] hyperanthera semidecandra; arbor Troglodytis, Thebaidi et Arabiae communis (Plin. H. N. XII, 21); nux posita pro oleo inde presso. — *nec semper*] Sic boni codd.; alii *ne*; illud tamen rectius, quia et ingratum est asyndeton neque obstat *nec* particula cum imperativo coniuncta.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni iuga paricidae.

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem: iam Procyon furit

cf. Carm. I, 9, 15. I, 11, 2. III, 7, 29. Neque rectum videtur, quod Peerlkampius Batavus affirmavit, *contemplari* neminem posse nisi praesentem, non remotum. An vero *astra* cum *contemplamur*, non sumus remoti ab iis? Sic autem Romani dicebant. Immo in contemplando non tam praesentia inest hominum quam attentio animi et oculorum. Quae verbi significatio huic quoque loco bene convenit. Nam quid prohibet, quominus Maecenatem fingamus in turri sedentem fixis in circumiacentem regionem oculis, desiderio otiosae rusticationis plenum, sed nimiis curis Romae retentum? Dubitantem igitur et desiderantem stimulat Horatius, ut morae tandem finem faciat fastidiique plenam urbem animi relaxandi causa relinquat. Sic intelligitur etiam vocabulum *semper*, quod cave ne cum Rittero coniungas cum epitheto *udum*, quod ex genere eorum est, quae ornantia vel perpetua vocamus; cf. Carm. I, 7, 13. Lachmanni coniecturam *eripe te morae. Hic semper udum* Hauptius et Linkerus receperunt, Meinekius laudavit; sed ex Horatii villa inter montes Sabinos sita vix patebat prospectus in agrum Tiburtinum et Tusculanum. — *Telegoni*] Hic Ulixis et Circes filius patrem, quem ut quaereret missus erat, inscius necavit in Italiamque delatus Tusculum condidit. Aesula inter Praeneste et Tibur sita est. *Udum* Tibur cum montibus eius regionis aestate amoenus locus. — *molem*] vide Epod. 9, 3. — *omitte*] Burmannus *o mitte* scribendum censuit, nimirum ne a iambo procederet versus; sed conferas Carm. I, 17, 7 ŏlentis; I, 29, 7 pŭer quis; I, 35, 15 ăd arma; I, 37, 15 rĕdegit, al. — *mirari*] cum levi ironia dictum. — *strepitum*] cf. Epist. II, 2, 70 sqq. — *mundaeque*] cf. Sat. II, 2, 65. — *aulaeis et ostro*] »Consuetudo apud antiquos fuit, ut aulaea sub cameras tenderent, ut si quid pulveris caderet ab ipsis exciperetur.« Schol. ad Sat. II, 8, 54. Ostrum significat peristromata purpurea lectorum tricliniarium. — *explicuere*] Sic proprie positum; etiam Sat. II, 2, 125. Ceterum vide ad Carm. I, 1, 4.

V. 17. *Andromedae pater*] Cephei ortus tunc fuisse dicitur a. d. VII. Id. Iul., Procyonis (Antecanis) ipsis Idibus Iuliis: Leonem sol intrabat a. d. XIII. Kal. Aug. Sic tribus stellis, ut solet Horatius, fervidissima pars aestatis indicatur. Vocabula

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et stella vesani Leonis
Sole dies referente siccos;
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi
Dumeta Silvani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat status
Curas et Urbi sollicitus times
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetque si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento
Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare nunc lapides adesos
Stirpesque raptas et pecus et domos

furit et *vesani* propria sunt de diebus canicularibus. — *horridi Silvani*] Silvanus nemorum et arborum deus naturam silvarum ipse induit; nam »horrida siccae Silva comae,« ut est apud Iuvenalem 9, 12. — *Urbi*] Nimis acuti fuerunt qui ex hoc loco Maecenatem tum praefectum Urbi fuisse coniecerunt. Scilicet perpetuam Maecenas habuit Urbis, imperii sedis, curam; nec unquam vere fuit praefectus urbi. — *Seres*] Lassen Ind. Alterthumsk. I. p. 320 »Seren ist kein geographischer, sondern ein merkantilischer Name; die Voelker nannten sich selbst so nicht, sondern hiessen so wegen ihrer Hauptwaare, der Seide.« — *regnata*] vide ad Carm. II, 6, 11. — *Tanais*] fluvii nomen pro accolis; similiter Carm. II, 9, 21. cfr. Carm. III, 8, 19. Bactriana, olim pars regni Persici, Augusti aetate partim Parthis partim Scythis subiecta erat. Haec igitur et Tanais Parthos significant et Scythas. Inest autem in hoc loco innocens ironia, qua nimia cura rerum publicarum reiicitur. — *trepidat*] Soph. fragm. 515. D.: »*Θνητὴν δὲ φύσιν χρὴ θνητὰ φρονεῖν. Τοῦτο κατειδότας, ὡς οὐκ ἔστιν Πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων Ταμίας, ὅ τι χρὴ τετελέσθαι.*« — *componere*] Per metaphoram sic dicitur de rebus ad usum recte ordinandis, ut proprie crines componere, togam componere. — *alveo*] Sic optimi et antiquissimi codices; *aequore* ex docta fortasse interpretatione a nonnullis scribis receptum. cf. Carm. III, 7, 28. — *Etruscum*] versus hypermeter. — *raptas*] »*Stirps* pro *trunco arboris* Virgilio fere masculinum, Georg. II, 379. Aen. XII, 208. 770. 781; et ita ante eum Ennius et Pacuvius. Reliquis vero femininum usitatius est: Cic.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Volventis una non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcunque retro est efficiet neque
Diffinget infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

Tusc. III, 6. Cat. R. R. 40: »stirpem praecisam«, Colum. II, 2 »praefractas stirpes.« Ruddim. inst. gr. I. p. 35. — *non sine*] vide ad Carm. III, 26, 2. — *amnes*] Sunt minora flumina quae influunt in Tiberim, a quo sumptam esse comparationem ostendit mare Etruscum. — *in diem*] quotidie, ut Liv. XXII, 39. XXXI, 20. Frequentius tamen *in dies*. — *atra nube*] Metaphora intelligitur ex Carm. II, 10, 15. — *diffinget*] vide ad Carm. I, 35, 39. Agathon ap. Aristot. Eth. 6, 2: »*μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, ἀγένητα ποιεῖν ἅσα' ἂν ἦ πεπραγμένα.*« — *vexit*] *avexit, abstulit*; altera explicatio *attulit, dedit*, nec bene congruit cum *fugiens* et *semel* atque efficeret ineptum oxymoron.

V. 51. *incertos honores*] De sententia confer Carm. I, 34, 14 sqq. — *resigno*] Epist. I, 7, 34. »Resignare antiqui dicebant pro rescribere.« Festus p. 137. Rescribere autem quid sit vides ex h. l. Cicer. Att. XVI, 2: »Qui de residuis CCCC. HS. CC praesentia solverimus, reliqua rescribamus« (per attributionem solvere, durch Anweisung bezahlen). Inde idem quod solvere. Sat. II, 3, 76. — *Africis*] cf. Carm. I, 1, 15. 14, 5. — *pa-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Addant avaro divitias mari;
Tunc me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

Carmen XXX.

Exegi monumentum aere perennius

cisci] Senec. Qu. Nat. 4, 7: »negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur et tempestates munuscuis redimat.« — *biremis scaphae*] quae duos non ordines remorum sed remos habet, ut ab uno homine gubernetur. Est igitur »duorum scalmorum navicula.« Cic. de orat. I, 38, 174. Etenim suis viribus fretum deorum tutela adiuvabit. Fiduciam Horatii futurum *feret* melius exprimit quam quod alii voluerunt *ferat*. — *geminusque Pollux*] vide ad Carm. I, 3, 2 et I, 12, 25 sqq.

Carmen XXX.

Incertum est, utrum Horatius tres simul ediderit libros an duos primum, deinde tertium separatim. Hanc sententiam qui tuentur, praesidium quaerunt ex Carm. II, 20 neque illud quidem satis firmum. Nam si illud carmen ad claudendos primum et secundum libros scripsisset, inopis sane ingenii fuisset tertio separatim aliquot annis post edendo libro simillimum adiicere epilogum. Utut est, hoc certum manebit, de quo nunc disputamus carmen absoluto iam tertio libro comitem esse annexum. Argumentum simplicissimum est: edidisse se dicit magnum monumentum quod nomen suum perpetuo sit celebraturum: meritam inde se gloriam petere neque arrogantiae aut vanitatis crimen subire. Qua de carminibus opinione nihil magis fuisse solitum apud antiquos poetas haec demonstrant argumenta:

Ennius apud Cicer. Tusc. I, 15:

Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivo' per ora virum.

Virgilius Georg. III, 8 sq.:

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo victorque virum volitare per ora.

Propertius III, 1, 35:

Meque inter seros laudabit Roma nepotes.

et ibid. v. 56 sqq.:

Carmina erunt formae tot *monumenta* tuae;
Nam neque *Pyramidum* sumptus ad sidera ducti
Nec Iovis Elei coelum imitata domus
Nec Mausolei dives fortuna sepulcbri
Mortis ab extrema condicione vacant:
Aut illis *flamma* aut *imber* subducet honores
Annorum aut ictu pondere victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Ovidius Amor. III, 15, 7 sq.:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.

ibid. v. 19 sq.:

Imbelles elegi, genialis Musa, valete,
Post mea mansurum fata superstes opus!

A. A. III, 339 sq.:

Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis,
Nec mea Lethaeis scripta dabuntur aquis.

Met. XV, 871 sqq.:

Iamque *opus exegi*, quod nec *Iovis ira* nec *ignis*
Nec poterit *ferrum* nec *edax* abolere *vetustas*.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens

Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
Parte tamen *meliore mei super alta perennis*
Astra ferar nomenque erit indelebile nostrum;
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perque omnia saecula fama,
Si quid habent veri vatum praesagia, *vivam.*

Martialis X, 2, 7 sqq.:
Pigra per hunc fugies ingratae flumina Lethes
Et *meliore tui parte superstes eris.*
Marmora Messallae findit caprificus et audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent nec saecula prosunt;
Solaque non norunt haec monumenta mori.

In quibus locis vides non pauca ad exemplum Horatii scripta esse.

V. 2. *situ*] mole. Comparari potest adiectivi *situs* usus apud Tacitum Ann. III, 38: »Philippopolim a Macedone Philippo *sitam* (i. e. conditam) circumsidunt,« alias. — *impotens*] sibi non temperans, vehementer furens. Epod. 16, 62. — *temporum*] Simonid. ap Schneidew. Del. p. 404: »χρόνος ὀξὺς ὀδόντας Πάντα καταιρήχει καὶ τὰ βεβαιότατα.« — *Libitinam*] Venus Libitina, dea funerum; in cuius aede erant libitinarii, quibus qui mortui essent ex lege nuntiabatur, eadem ratione qua recens nati in templo Iunonis Lucinae nominabantur. Inde Livius XL, 19: »Pestilentia in urbe tanta fuit, ut Libitina vix sufficeret.« cf. Sat. II, 6, 19. Epist. II, 1, 49. — *dum Capitolium*] in perpetuum; aeterna enim Roma habebatur. cf. Virg. Aen. IX, 446. Dio Cass. Excerpt. Vatic. p. 154: »Σιβύλλης χρησμὸς ἐφάσκετο Καπιτώλιον κεφάλαιον ἔσεσθαι τῆς οἰκουμένης μέχρι τῆς τοῦ κόσμου καταλύσεως.« — *tacita*] Silentium in sacris observabatur. Vestales virgines indicant *aeternam Vestam*; cf. Carm. III, 5, 11. Varro L. L. 5. p. 19. Müll.: »Sacra via, quae pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem.«

V. 10. *qua violens*] ut Sat. I, 1, 58. Carm. IV, 9, 2. Originem poetae et natale solum significant. — *obstrepit*] »accolis; magno cum sonitu undas suas volvit, ut etiam nunc facit.« Orellius. — *Daunus*] Epod. 3, 16. Ovid. Met. XIV, 510: »Iapygis arida Dauni Arva.« De Dauno rege, Diomedis socero, Turni patre cf. Virg. Aen. X, 616. Ovid. Met. XIV, 458 sqq. — *populorum*] Genitivus ad graeci verbi *βασιλεύειν* usum hic positus exemplo apud latinos videtur carere; unde iam in codd. emendare conabantur *regnator*. — *ex humili*] cf. Carm. II, 20, 5. Sat. I, 6, 45 sq. Epist. I, 20, 20. — *Aeolium carmen*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Hanc sibi laudem tribuit Horatius, transtulisse se lyricam poesim ex Graecia in Italiam, auxisse Italicos modos novo genere. Modi enim nihil sunt aliud nisi carminum et versuum genera, ut apud Ovidium Trist. II, 220: »*Imparibus* legeres *carmina* facta *modis*.« ibid. III, 14, 47: »Threïcio Scythicoque fere circumsonor ore Et videor Geticis scribere posse modis.« cf. Hor. Epist. I, 3, 13. I, 19, 27. Aeolia appellantur lyrica carmina ab Alcaeo et Sapphone, Lesbo insula ortis. — *sume*] Recte Peerlkampius: »Horatius Musam lyricam e Graecia in Italiam deduxerat. Erat haec sua Musa. Sume, inquit, superbiam quaesitam meritis tui vatis, et mihi cinge comam lauro.« — *Delphica*] cf. Carm. IV, 2, 9. — *volens*] Sollenne vocabulum in precibus. Liv. VII, 26, 4: »Si divus, si diva esset, qui sibi praepetem misisset, *volens propitiusque* adesset.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER QUARTUS.

Carmen I.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? Parce precor, precor.
Non sum qualis eram bonae
Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus

Carmen I.

Scimus ex Suetoniana Horatii vita, quartum carminum librum Augusti rogatu ab Horatio superioribus tribus additum esse. Ad quam rem cum comparaveris locum Sueton. Aug. c. 89: »Componi tamen aliquid de se nisi et serio et *a praestantissimis* offendebatur,« videbis quanti Augustus Horatium aestimaverit. Et veri simillimum est quod a scholiastis traditur, propter ea carmina, in quibus Augusti eiusque privignorum laudes canantur, totum librum emissum esse ab Horatio. Qui cum lyricam suam poesim parvam et amatoriam esse saepenumero olim pronuntiasset, non potuit facere quin libro adderet amatoria etiam carmina, sive recentia sive ex copia superioris temporis desumpta. Itaque hoc carmen, quod circa a. 739 scriptum est, eo consilio primum libri locum accepit, ut prologi quasi munere fungeretur et quid lectores deberent exspectare profiteretur. Dicit autem poeta, se quinquagesimum fere annum agentem ac senescentem non iam aptum esse amoribus Venerisque militiam cedere iunioribus; et tamen eo ipso tempore, quo Veneris potestatem deprecatur, novis se amoribus captum sentit. Argumentum igitur carminis cernitur in certamine, quod est inter aetatem et amoris potestatem. Amor ipse fictus est; versus 5 consulto ex Carm. I, 19 repetitus, ut aliud tempus, amoribus aptum, indicetur.

V. 1. *intermissa bella*] Compara Carm. I, 19. III, 26. — *bonae Cinarae*] De Cinara olim ab Horatio vere amata vide ad IV, 13, 21. Bonam appellat diu mortuam, ut Lucret. III, 1037: »Lumina suis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.« — *circa lustra decem*] Horatius decem lustra implevit a. d. VI. Id. Decembr. a. 739; *circa* voc. incertum relinquit, utrum hoc ipso anno an paulo ante vel post scriptum sit carmen.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iam durum imperiis; abi
  Quo blandae iuvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum
  Pauli purpureis ales oloribus
Comissabere Maximi,
  Si torrere iecur quaeris idoneum:
Namque et nobilis et decens
  Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
  Late signa feret militiae tuae,
Et quandoque potentior
  Largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
  Ponet marmoream sub trabe citrea.

— *flectere*] metaphora sumpta ab equis (cf. Carm. III, 7, 25); inde etiam adiectiva *mollis* et *durus*. — *te revocant*] Ingeniosa quidem sed non necessaria coniectura Peerlkampii est *rite vocant*, nam *revocant* non est iterum vocant, sed »a me ad se vocant.« Sat. II, 3, 264. — *tempestivius*] magis opportune, ut Ovid. Trist. IV, 10, 81: »Felices ambo tempestiveque sepultos.« — *in domum*] Boni etiam codices *in domo*; rectius tamen illud propter motum qui inest in comissatione. — *Pauli*] Recte suspicantur, non Paulum Fabium Maximum, sed eius filium significari, ad quem dulcissimae Ovidii epistolae ex Ponto scriptae sunt; is a. 739 vigesimum fere annum agebat. Ovid. ex Pont. I, 2, 1: »Maxime, qui tanti mensuram nominis imples, Et geminas animi nobilitate genus;« ibid. 69: »Suscipe, Romanae facundia, Maxime, linguae, Difficilis causae mite patrocinium.« ibid. II, 3, 1: »Maxime, qui claris nomen virtutibus aequas, Nec sinis ingenium nobilitate premi.« ibid. III, 3, 2: »O sidus Fabiae, Maxime, gentis, ades.« — *purp. al. oloribus*] Ipsa Venus siquidem alata non est, vehitur tamen alitibus. *Purpureum* autem non rubicundum est sed nitidum ac splendens; ita etiam *nivem purpuream* dicere potuerunt latini poetae. — *iecur*] Apud antiquos iecur omnium cupiditatum sedes est, etiam amoris. Epist. I, 18, 72. — *torrere*] Suspensum hoc verbum est et ex verbo *quaeris* et ex adi. *idoneum*: si quaeris torrere iecur, quod idoneum sit ad torrendum.

V. 13. *decens*] formosus, ut III, 27, 53. Ad ea quae sequuntur compara Carm. II, 1, 13. — *centum artium*] cf. Cic. Rosc. Am. 41, 120. Ovid. Rem. Am. 713: »Nec solam faciem, mores quoque confer et artes.« — *militiae tuae*] vide ad Carm. III, 26, 2. Blanda est *Meinekii* coniectura, Horatium scripsisse videri *late militiae signa feret tuae*. »In hoc enim metri genere adiectivum et substantivum sic ponuntur, ut finem utriusque ordinis occupent. (Carm. I, 1, 7. 8. 9. 10. 19. 20. 21. 22. 27. 28. 31.) Sequuntur versus Asclepiadei easdem leges, quas in pentametro dactylico poetas secutos esse dudum intellectum est.« — *quandoque*] quandocumque, ut Carm. IV, 2, 34. A. P. 359. — *largi*] quippe qui liberalitate sua puellarum animos flectere studeat. — *Albanos*] Praeter Albanum lacum proprie dictum tres ibi alii et proximi fuerunt lacus; inde pluralis numerus. Videtur Paulus villam ibi habuisse. — *trabe*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Illic plurima naribus
Duces thura, lyraque et Berecyntia
Delectabere tibia
Mixtis carminibus non sine fistula;
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina nec puer
Iam nec spes animi credula mutui
Nec certare iuvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

citrea] Sic in antiquissimis codicibus; *Cypria* ex corruptione et prava memoria loci Carm. I, 1, 13 ortum. Ac bene *Meinekius*: »Nec vero trabes dicit poeta totas e citro caesas, sed citri laminis et segmentis obductas.« Citrus arbor bene olens et pretiosissima ex Africa petebatur. Apud Persium 1, 53 inveniuntur. *lecti citrei*. — *Berecyntia tibia*] cf. Carm. III, 19, 20. Peerlkamp. et Keller. *lyraeque et Berecyntiae . . tibiae* ex codd. receperunt ne vv. 20. 22. 23. 24 in ā finirent. Tamen cum Bentl. Meinek. Ritter. aliis Cod. Bland. antiquiss. secutus sum; de constructione compara Valer. Fl. V, 100: »Carmina quin etiam visos placantia manes Odrysius dux rite movet, *mixtoque* sonantem Percutit *ore* lyram.« Alia constructio est Epod 9, 5. Indicatur concentus trium instrumentorum; cui accedunt mox cantus et saltatio. cf. IV, 15, 30. — *bis die*] matutino et vespertino tempore. — *morem Salium*] cf. Carm. I, 36, 12. — *ter quatient humum*] cf. Carm. III, 18, 16 et I, 37, 2.

V. 30. *mutui*] cf. Carm. II, 12, 15. — *novis floribus*] Inde concludas, verno tempore carmen scriptum esse. — *Ligurine*] fictum nomen. Ad eundem est Carm. 10. — *rara*] cf. Carm. I, 13, 6. Egregie intimus animi sensus furtim et raro cadentibus lacrimis exprimitur. Huc accedit *silentium*, de quo cfr. Epod. 11, 9. — *per gramina*] In somniis sequi Ligurinum sibi videtur currentem per Campum, natantem per Tiberim; ibi enim quam maxime sese prodit pueri venustas. Cfr. Carm. III, 12, 7 sqq. Et cf. Ovid. Trist. V, 1, 32: »Mollia quot Martis gramina campus habet.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen II.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres

Carmen II.

Anno 738 Germani populi, Usipetes, Tencteri et Sugambri, excursiones in Galliam trans Rhenum fecerant neque equitatum solum Romanum contra se missum vicerant sed etiam M. Lollio legato gravem cladem intulerant. Quos ut ulciscereturAugustus ipse in Galliam profectus nominis sui magnitudine tantopere Germanos terruit, ut obsidibus datis in suos fines redirent. Quo facto restitutoque honore imperii Augustum Romam rediturum omnes exspectabant, cf. Carm. IV, 5, 2 sqq.; quae tamen eos spes fefellit; nam aliis interea bellis exortis in Gallia imperator remansit neque rediit nisi a. 741 pacatis rebus Germanicis, Gallicis, Hispanicis. Iam cum a. 739 de victis Sugambris nuntius Romam pervenisset, probabile est Horatium a Iulo Antonio, altero M. Antonii triumviri ex Fulvia filio, gratioso apud Augustum (fuit enim coniux Marcellae maioris, sororis M. Marcelli generi Augusti, quae ante nupserat Agrippae) poeticisque studiis deditissimo ad canendas Pindarica ratione novas Augusti laudes excitatum hoc carmen fecisse. Ac primum quidem quam magnus sit Pindarus ostendit (str. 1—7); contra quem postquam octava stropha suas facultates posuit, reliqua parte carminis id quod a se erat postulatum ad Antonium quasi relegat, dum suo more inter recusandum tantum laudis addit, quantum ipse sibi videtur posse impertire, finemque et carminis et comparationis suarum virium cum Antonio invenit victimarum certamine, quas et sibi et Antonio festo redeuntis Augusti die immolandas esse censet. Victimarum eadem ratio est quae poeticarum utriusque facultatum. Antonio, qui Diomedeam duodecim libris scripserat, immolandi sunt decem boves totidemque vaccae, Horatio unus vitulus candida nota in fronte insignis, reliquis partibus fulvus. Nimirum Horatius parvum se esse poetam dicit, aptum ad unum tantum poematum genus, amatorium; sublimia genera, Pindaricum et epicum, a se esse aliena. Qua ratione cum extremam partem carminis intellexeris, ab iniqua vituperatione abstinebis. Octava stropha ipse Horatius inter Pindaricam poesim et magna quae sunt proposita Augusti facinora utrisque impar ponitur; quare carminis oeconomiam perfectam recte nominabis. cf. Carm. I, 6. II, 12. IV, 15.

V. 1. *aemulari*] Est discrimen inter imitari et aemulari; qui aliquem aemulatur, aequare studet et superare, non item qui imitatur. — *Iule*] Sic omnes codices. Sed Peerlkampius *Iulum* neminem esse nisi Aeneae filium Ascanium neque Horatianae videri consuetudinis eundem hominem bis diverso nomine alloqui ratus *ille* scribendum suspicatus est, ut hic non certus aliquis homo, infra v. 26 Antonius Rufus, fabularum scriptor, significaretur. Sed Augusti aetate quae olim cognomina erant etiam pro praenominibus dari solebant; sic superiore carmine *Paulus* Fabius Maximus. Iuli nomen apud Virgilium (Aen. I, 267. 288) graeca pronuntiatione trisyllabum, apud Horatium bisyllabum. — *daturus nomina*] ut ab Icaro mare Icarium nominatur. De plurali *nomina* cf. Carm. III, 27, 76. — *vitreo*] a natura sumptum aquae pellucidae, ut Virg. Aen. VII, 759. Hor. Carm. III, 13, 1. — *amnis*] Hoc vocabulum

Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;

Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;

Sive quos Elea domum reducit
Palma coelestes pugilemve equumve

ex sublimiori scribendi genere Augusti demum aetate saepius usurpatum magnum aliquod flumen vel rapidum torrentem significat. cf. Cic. orat. 12, 39: »Alter (Herodotus) sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit; alter (Thucydides) incitatior fertur.« Id. Fin. II, 1, 3: »Cum fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cuiusquemodi rapiat, nihil cet.« Propert. III, 16 (17), 40: »Qualis Pindarico spiritus ore tonat.« Deinde confer Sat. I, 7, 27. 10, 62. — *notas*] consuetas. Carm. I, 2, 10. Virg. Aen. VI, 221. XI, 195. Tacit. Agric. 18: »nota vada.« — *laurea*] cf. Carm. III, 30, 15. IV, 3, 6. *Apollinaris* forma maxime de ludis Apollinaribus etiam in pedestri oratione usitata; poetae contra qui hexametris usi sunt aliam magis sibi commodam usurpant, *Apollineus*. — *audaces dithyrambos*] Cic. de orat. III, 48: »Inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes sunt in omni locupleti oratione diffusa.« Per totum locum vides Horatium constantem esse in imagine fluminis. — *nova verba*] Aristot. Poet. 22, 14: »τῶν δὲ ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ μάλιστα ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις.« — *lege solutis*] Dithyrambicum genus variis animi motibus versuum numerorumque genera varia accommodavit neque tulit certam metrorum repetitionem. Praeter dithyrambos describuntur deinceps paeanes et hymni, epinicia, threni; singula singulis strophis.

V. 13. *regesve*] semideos esse deorum ostendit sanguis. Sunt autem Theseus, Pirithous, Bellerophon, alii. cf. Carm. I, 18, 8. I, 27, 23. II, 17, 13. — *iusta morte*] propter raptam Hippodamiam, Pirithoi novam nuptam. — *cecidere*] Eiusdem vocabuli eadem forma in eodem versus loco posita et sonum efficit gratum et vigorem addit orationi. — *Elea*] Olympica, ut apud Virgilium Georg. III, 202. cf. Ovid. Met. V, 576. Vitruv. Lib. 9. Praef.: »graecorum maiores hieronicis ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.« — *coelestes*] cf. Carm. I, 1, 6. — *pugilemve*] cf. A. P. 84. Carm. IV, 3, 3. — *signis*] statuis. — *iuvenemve*] Assu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dicit et centum potiore signis
Munere donat;

Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus. Ego apis Matinae
More modoque

Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Concines maiore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces

menda particula *si* ex praecedentibus. — *moresque*] duo versus hypermetri. — *invidet Orco*] nam »Coelo Musa beat«, ut est Carm. IV, 8, 29. — *Dircaeum*] Pindarus Thebanus a fonte Dirce sic appellatus. — *Antoni*] De altera hac allocutione bene notatum est ab Orellio, citari Antonium tanquam testem, qui quam vera haec sint ipse sit expertus, deinde parari ad insequentia transitum. — *apis Matinae*] Plat. Ion. p. 534 A.: »*Λέγουσι γὰρ πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταί, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσι ὥσπερ αἱ μέλιτται.*« Pindaro grandia etiam carmina ultro fluunt; Horatio necessaria est apum sedulitas. — *Matinae*] Mons Matinus in Apulia, ubi mel optimum. Carm. III, 16, 33. II, 6, 15. I, 28, 3. — *thyma*] quoniam mella reddunt. Epist. I, 3, 21. — *per laborem*] laboriose carpentis. Salust. Catil. c. 7 »Iuventus in castris *per laborem* usu militiam discebat.« Ita loqui amant scriptores Latini *per dolum*, *per iram*, *per otium*, *per iocum*, *per necessitatem*, nunquam addito epitheto. Tum autem illud *plurimum circa nemus* multo opinor nitidius et *ποιητικώτερον* erit quam *circa nemus* nude arideque prolatum. Ovid. Met. XIV, 361. »Plurimum vero esse nemus circa Tibur, vel ex carmine sequenti (v. 11) satis constat.« Bentl. — *Tiburis*] cf. Carm. II, 6, 5. III, 29, 6. Ripae autem sunt Anienis; quare Bentleii coniectura *rivos* nihil opus est.

V. 33. *plectro*] vide ad Carm. II, 1, 40. Ceterum vocabula *maiore plectro* et cum *concines* et cum *poeta* coniungenda sunt; nam ne *poeta* nomen necessario ornatu careret, prohibitum est consueta vocabulorum positione. Lachmanni coniecturam *concinet* Hauptius, Meinekius, Linkerus hic et v. 41 receperunt, non Kellerus. — *quandoque*] vide ad Carm. IV, 1, 17. — *sacrum clivum*] pars acclivis viae sacrae, qua triumphantes ad Capitolium ibant. cf. Epod.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sugambros;
Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque
Litibus orbum.
Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, et O sol
Pulcher, o laudande! canam recepto
Caesare felix;
Teque dum procedis, Io Triumphe,
Non semel dicemus, Io Triumphe,

7, 7. Martial. I, 70, 5: »Inde sacro veneranda petes Palatia clivo.« Sed Augustus a. 741 confectis rebus Germanicis, Gallicis, Hispanicis honores a senatu decretos non accepit et noctu urbem intravit. — *Sugambros*] Graece Σούγαμβροι et Σύγαμβροι, inter Rhenum, Sigiam et Luppiam habitantes. In antiquissimis Horatii codd. scriptum est *Sygambros*. — *nihil maius*] cf. Epist. II, 1, 15 sqq. — *boni divi*] cf. Carm. IV, 5, 1. — *impetrato*] Supersunt nummi a. u. c. 738 cum inscriptione S. P. Q. R. V. S. Pro S. ET RED. AVG. h. e. Sen. pop. que Rom. vota suscepit pro salute et reditu Augusti. — *litibus orbum*] Festis diebus iustitia indicebantur. — *loquar*] rectius quam *loquor*, quod est in nonnullis codicibus. Nam: »si quid canere, inquit, potero quod dignum sit tanto die, ego vero publicae laetitiae non deero.« — *teque dum procedis*] Sic antiquissimi et plurimi codices, nisi quod unus antiquus Bernensis habet *procedit*. Illud rectius; etenim ad triumphum ipsum est oratio, id quod scholiastae iam viderunt. De qua re cf. Ovid. Met. I, 560. Trist. IV, 2, 51 »tempora Phoebea lauro cingentur, »ioque Miles »io« magna voce »triumpho« canet.« et Liv. XLV, 38. »(Milites) triumphum nomine cient suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedunt«; cum quibus conferas Hor. Epod. 9, 21. Invocatur igitur tanquam deus Triumphus; quare sic locum interpretare: »Dum tu, Triumphe, procedis, omnes te cives non semel invocabimus, sed continuo clamore dicemus Io triumphe.« In qua re hoc egregium est, quod iteratus civium clamor bis positis verbis *io triumphe* in fine duorum versuum ad nostras quoque aures paene adducitur. Bentleius ex coniectura scripsit: *Isque dum procedit*; Hauptius, Meinekius, Linkerus cum Orellio: *teque dum procedit*, Ritterus: *tuque dum procedis*. Apud Commentatorem Cruquii haec leguntur: »*teque tum procedis*. Sacra acclamatio cum invocatione ad ipsum triumphum, qua Io, Io dice-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Civitas omnis dabimusque divis
Thura benignis.

Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis iuvenescit herbis
In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit niveus videri,
Cetera fulvus.

Carmen III.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,

batur, ut *Io, matres audite.« Kellerus* mecum consentit. — *dicemus*] *Omnis civitas dicemus* ut Epod. 16, 36. Stat. Silv. I, 6: »Una vescimur omnis ordo mensa.« Lucan. VII, 641: »Vincimur his gladiis omnis, quae serviet, aetas.« — *thura*] Solebant in plateis et areis, per quas pompa triumphalis ducebatur, thura in aris ibi exstructis adoleri. — *Te*] Redit oratio ad Antonium, ad quem transitio valde expeditur interposita prima pluralis numeri persona. — *solvet*] voto a me concepto. — *iuvenescit*] cf. Carm. III, 23, 11. — *fronte*] Cornua non sunt maiora quam lunae tertio die post novilunium. Claudian. de rapt. Pros. I, 128 de vitula: »pedibus quae nondum protĕrit arva Nec nova lunatae curvavit germina frontis.« — *niveus videri*] λευκὸς ἰδέσθαι. Ad totam victimae descriptionem compara Carm. III, 13, 4. Apud Moschum 2, 84 taurus, qui Europam fefellit, similis est: »Τοῦ δ' ἤτοι τὸ μὲν ἄλλο δέμας ξανθόχροον ἔσκεν, Κύκλος δ' ἀργύφεος μέσσῳ μάρμαιρε μετώπῳ.« Cf. Hom. Il. XXIII, 454. Pulcherrimus igitur vitulus Horatii est. Contrarius est taurus Pasiphaes apud Ovidium A. A. I, 291: »Signatus tenui media inter cornua nigro, Una fuit labes, cetera lactis erant.«

Carmen III.

Argumentum carminis hoc est. »Quem nascentem, inquit Horatius, Musae benignis oculis adspexerunt, eum qui aliunde veniunt honores non alliciunt (in quibus describendis honoribus eandem sequitur poeta rationem quam ante erat secutus in Carm. I, 1; septem enim versus 3–9 inter Graecos honores dividuntur et Romanos), sed naturae amoenitates in nemoribus et agris capiunt dulcissimisque sensibus implent. Ex quibus ego quoque sum; nam me, quidquid clamant derogantque obtrectatores, Romani vatem praedicant. De quo honore si licet gloriari, ita tamen glorior, ut cui tantum ego beneficium debeam, bene sciam. Tuum igitur est, Musa, quidquid sum et quidquid cano; poetica facultas deorum est hominum pectora intrantium.« Dividitur igitur carmen in duas partes, superiorem generalem (1—12), inferiorem specialem; neque difficile est ad intelligendum, id consilium secutum esse poetam, ut poetas non sibi sed Musarum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impig
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit m
Ostendet Capitolio;
Sed quae Tibur aquae fertile praef
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et iam dente minus mordeor invid

potestati carmina debere doceret. Quam de poetica arte sententiam si cum superiore carmine (vv. 27—32) pugnare quis credat, eum liquet non bene perspexisse, quam graviter Tiburis uvida arva et nemora in utroque carmine posita Horatii constantiam demonstrent; quo accedit, quod in utroque carmine poetarum animos a magnis rebus gestis gerendisque alienos esse ponitur. De tempore quo sic Horatius cecinerit nihil invenias certi; suspicabantur tamen viri docti, ortum esse carmen cum Horatius a. 737 ab Augusto iuberetur saeculare carmen componere; probabilior tamen est Weberi sententia, scriptum esse carmen a poeta ad indicandam suam laetitiam ob laudem ex carmine saeculari a populo et principe acceptam.

V. 1. *semel*] Adverbium hoc ex frequenti Latinorum usu sic usurpatur, ut et eae res significentur quae non saepius quam semel fiant et quae cum semel sint factae, perpetuam vim teneant. Exempla sint Cic. pro Deiot. 3, 9. 14, 39 et Virgil. Aen. XI, 418. Posteriores et deteriores scriptores dixerunt *semel et in perpetuum*. — *lumine videris*] Hesiod. Theog. 82: *Ὄφρα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο Γενόμενόν τ' ἐσίδωσι — Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν.* *mius*] de certaminibus miis, qui in honorem quoque anno celebrab dem re Graeci *πόνος* *clarabit*] vocabulum p Cicerone quidem in ve vin. I, 12 fin.) spretum Tota Graecia a Roman appellabatur. Intelligi riculum Olympicum, r est *reducet in patriam*, ton *impiger* iam deb — *Deliis foliis*] Lau insula Delo nato sacr catur corona triumph *derit*] cf. Carm. II, 12, — *praefluunt*] i. e. pr Carm. IV, 14, 26. Liv. I Virg. Aen. VI, 705. No dum *perfluunt*, quod legitur. — *comae*] Ca *Aeolio carmine*] cf. C III, 30, 13.

V. 13. *principis ur* XII, 8, 1: »Terrarum que Roma, Cui par es secundum.« — *subol* genus; nam per iuve nam poetae laus ad p pervenit. Non rect »Nerones vult intelli *invido*] Epod. 6, 15. Ovid. Trist. IV, 10, 1

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum,
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Carmen IV.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas

detrectat praesentia *Livor* iniquo Ullum de nostris *dente momordit* opus.« Cic. Balb. 26: »More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant: non illo inimico sed hoc maledico *dente* carpunt.« De re cf. Carm. II, 20, 4. — *testudinis aureae*] Poetis aureum est quidquid est praeclarum et egregium. cf. Carm. IV, 2, 23. Pind. Pyth. I, 1: »*Χρυσέα φόρμιγξ*.« — *strepitum*] de grato citharae sono, ut Epist. I, 2, 31. 14, 26. — *Pieri*] Musae hoc nomen traxerunt a Pierio monte Thessaliae in confinio Macedoniae. Frequens pluralis *Pierides*, rarus singularis. — *donatura, si libeat*] Idem genus constructionis quod iam observatum est ad Carm. II, 3, 4. — *muneris*] beneficii, meriti. De genitivo compara Cic. Tuscul. I, 48, 114: »*Hoc* ei *muneris* pro sua missione dedisse dicitur.« Ovid. Trist. I, 5, 6 »Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.« — *monstror*] Hoc imitatus est Persius 1, 28: »At pulchrum est digito monstrari et dicier Hic est.« Martial. V, 13, 3: »sed toto legor orbe frequens, et dicitur Hic est.« id. IX, 98, 3: »Rumpitur invidia, quod turba semper in omni Monstramur digito, rumpitur invidia.« *Lachmannus* ad Lucret. p. 66: »Horatius in carmine saeculari et in quarto carminum libro longas vocales non elisit: ergo in huius ecloga tertia scripsit *Totum muneris hoc tuist*, non *tui est*;« quem secuti sunt Hauptius, Meinekius, Linkerus, Ritterus, Kellerus. Similiter postea scribunt *tuumst*, excepto Rittero, qui *tuum est* servavit. Scribere ita nolui, etiamsi eadem ratione pronuntiare non dubitem. — *quod spiro*] *Quod* particula est, non accusativus. Sententia haec: quod movet me spiritus poeticus, quod poeta sum. cf. IV, 6, 29. Similiter Ovidius Trist. IV, 10, 115: »Ergo quod vivo durisque laboribus obsto, Gratia, Musa, tibi.«

Carmen IV.

Raeti et Vindelici qui ex Alpibus in Italiam Galliamque saepe excursiones fecerant, a. u. c. 739 a Druso primum, deinde cum Tiberius fratri bellandi adiutor missus esset, ab Augusti privignis coniunctis viribus et divisis copiis ad summa Alpium iuga fugati superatique sunt. Quam victoriam Horatius Augusti, ut videtur, iussu celebraturus ita rem instituit, ut hoc carmine Drusum, decimo quarto Tiberium magis ornaret, neutrum in alterutro plane omitteret. Nam in hoc quoque Tiberii, etsi nomen eius non nominatur, aperta tamen mentio fit v. 28; deinde recta versuum 17 sq. interpretatio utrumque iam populum Raetorum et Vindelicorum victum esse docet. Unde manifestum est,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,
Olim iuventas et patrius vigor

utrumque carmen eodem tempore compositum esse neque — id quod alii voluerunt — quartum post primam Drusi victoriam, quartum decimum anno demum 741 reverso ex Gallia Augusto. Tantum tamen his tribuendum est, cum carmen 14 post reversum Augustum (vide ibi v. 8 *nuper* et extremam partem carminis) scriptum sit, ne hoc quidem quartum antea compositum videri. Compositionem carminis hanc esse puto: »Qualem aquilam iuvenem, regem avium, iuvenilis vigor et patrius animus ex nido pellit, ut iam verno tempore quid alis valeat tentet, deinde vividus impetus ovibus terribilem hostem reddit, tum pugnandi cupiditas et praedae amor ad certamen etiam cum ferocibus anguibus ineundum agit (in qua re videas tres animi et roboris quasi gradus; prorsus Horatiano more, quapropter nihil hic ut Horatio indignum tentandum), talem Raeti Drusum in Alpibus conspexerunt, talem etiam Vindelici, antiquitus bellicosissimum genus nobisque ad hunc diem paene ignotum (hanc sententiam inesse puto vv. *quibus — omnia* 18—22, a multis viris doctis Horatio abiudicatis), viderunt, quorum victrices catervae imperatoria virtute iuvenis Romani (nam Drusus h. a. natus erat annos 25) superatae et reiectae senserunt, quid nativa virtus bene culta, quid Augusti patrius in Nerones animus efficere posset.« (Hucusque prima sententia pergit. Clauditur versus 28 nomine *Nerones*, incipit v. 29 voce *fortes*; hoc quoque consulto factum a poeta, nam *Nero* in Sabina lingua *fortem* significat). »Neque potuit aliter res fieri, nam fortes creantur fortibus, quaeque bene nata sunt ea recto cultu magnopere etiam augentur (v. 29—36. Hae duae strophae proxime praecedentem sententiam bene illustrant. Ab hoc inde loco altera pars carminis incipit; nam cum ante Neronum, imprimis Drusi gloria efferatur, iusta Augusti commemoratione facta adiun laudatio totius Neronum famil Quid Romanum imperium Neron debeat testatur Metauri flumen statur Hasdrubal, testatur ille quo nova lux oborta est Ro nomini, ex quo Hannibal per liam saeviebat ut ignis et tempe (h. l. observandum pugnam ad tauri flumen triplici ratione sig cari, loco, hostium duce, die). enim dies fortunam Romanorum tavit; quae adversa fuerat, ea pitia rursus facta cum diis fa tibus rediit, ut cognosceret Ha bal, occidisse sua astra.« Hann per omnem Romanorum memo nemo fuit terribilior. Quare ac prudenter Horatius fecit, tantum hostem ita intulit, ut mam urbem, quae tantos cives ret quantus esset Claudius N non posse ulla unquam pote dirui ipse palam fateretur. Ho cutus est Horatius consilium i denda oratione Hannibalis a P kampio iniuria electa. Populus ius cives fortissimi sunt on nunquam vincitur. En senten quae fabulis, sententiis, figuris stratur ac probatur. Extrema que stropha Hannibalis est; no mel Horatius carmen subito vi magis abrumpere quam abru cf. Carm. I, 17. I, 15. III, 11. II Media stropha (*Quid debeas, o R Neronibus*), qua poeta ad totius minis quasi fastigium ascendit, congruit cum extrema (*Nil diae non perficient manus*).

V. 1. *Qualem*] Solent poetae rum gravitatem comparationun pia exornare, ut Hom. Il. II, 455 neque id anxie spectant, ut o imaginum partes comparatae re spondeant. Quod v. 17 *talem* sit, ne id quidem sine exemplo vide Virg. Aen. III, 641 sqq. — *nistrum fulminis*] Virg. Aen. V. De Ganymede lege Hom. Il. 232. Hymn. in Vener. 203. Carm. III, 20, 16. — *olim*] vid Carm. II, 10, 17. — *propulit*]

Nido laborum propulit inscium
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;
Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:
Videre Raeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem, Vindelici — quibus

ad Carm. I, 1, 4. — *laborum*] volatus et certaminum. — *nisus*] quia alis volucres quasi nituntur. — *paventem*] Ne hoc quidem inane est; ex omnibus enim partibus aquilae imago mirifica quadam varietate magnoque etiam splendore quasi pingitur. Talem profecto orationis ornatum verborumque proprietatem cuiusvis non est versificatoris invenire. Ne id quidem facile fuit, in tanta verborum copia perspicuitati quoque dilucide dispositis vocabulis consulere. — *demisit*] ex natura rapacium volucrum ex alto nubium tractu subita vi in praedam sese deiicientium. — *reluctantes*] Plin. H. N. X, 4: »Draco multiplici nexu alas aquilae ligat, ita se implicans ut simul decidat.« cf. Virg. Aen. XI, 751 sqq. — *dapis*] Fest. p. 51: »Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna semente aut verna.« A poetis deinde et serioribus scriptoribus a sacris rebus ad profanas etiam translata vox est. — *iam lacte*] Recte sic interpretantur: »cum mater iuvenem leonem ab ubere depellat, ut lacte eum prohibeat, sine verborum abundantia leo dici potest *ab ubere matris lacte depulsus*;« additum enim *lacte* quasi *ἐκ παραλλήλου* est. Locum alii aliis coniecturis infeliciter tentarunt: *iam iamque, iam (mucte?), iam tacta, lactante, non ante, iam mente, iam mane, iam sponte, iam Marte.* Horatium imitatus est Claudian. III. cons. Hon. 77: »Ut leo, quem *fulvae matris* spelunca tegebat *Uberibus* solitum pasci, cum crescere sensit Ungue pedes et terga iubis et dentibus ora, Iam negat imbelles epulas et rupe relicta Gaetulo comes ire patri stabulisque minori Aestuat et celsi tabo sordere iuvenci.« Etiam Statius Achill. II, 184: »Ut leo, *materno* cum *raptus ab ubere* mores Accepit pectique iubas hominemque vereri edidicit cet.« Comparetur etiam Claudian. in Eutrop. I, 45: »Rapitur castrandus *ab* ipso *ubere*.« Virgil. Bucol. 7, 15. Prudent. peristephan. X, 662 sqq.: »Amplexus unam de caterva infantium parvum *nec olim lacte depulsum* capi captumque adesse praecipit.« *Iam* idem est quod *modo*. — *fulvae*] leaena est, non caprea, quam alii non recte intellexerunt. — *videre*] Iterato hoc verbo ex praecedente versu omnis istius comparationis vis huc transfertur.

V. 17. *Raeti*] Sic in plurimis et antiquissimis codicibus et editionibus; primus Bentleius ex coniectura *Raetis*, quod cum in duobus tribusve libris Mstis inventum esset, re-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mos unde deductus per on
Tempus Amazonia secur
Dextras obarmet quaerere di
Nec scire fas est omnia; —
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae
Sensere quid mens, rite quid
Nutrita faustis sub penetralib
Posset, quid Augusti pater
In pueros animus Neron
Fortes creantur fortibus et b
Est in iuvencis, est in equis
Virtus, neque imbellem fe
Progenerant aquilae colu
Doctrina sed vim promovet
Rectique cultus pectora robo

ceperunt recentiores editores prope omnes. Non recte, opinor. Etenim si iam tunc inter Raetos et Vindelicos accurate discrimen statuebant Romani, quomodo tandem Vindelici sub Raeticis Alpibus Drusum bellum gerentem potuerunt videre? Quare aut cum scholiastis Horatianis et Servio ad Virg. Aen. I, 247 *Raeti Vindelici* uno nomine coniungendi sunt, ita ut Vindelicos, ignotam prope gentem, Raetorum partem Horatius cum aequalibus habuisse videatur, aut commate posito post *gerentem* anacoluthia in hoc loco videnda, et ita quidem, ut Horatium, cum scribere voluisset *Vindelici — sensere*, interposita longiore sententia nominativi quasi immemorem alterum nominativum *victrices catervae* addidisse putandum sit. Quae quidem ratio adiumentum habet ex particula *sed* in eiusmodi structura satis frequenti. Nam ne hoc quidem placet *gerentem et Vindelici*, quod est in nonnullis Mstis. In sententia autem quae sequitur *quibus — omnia* si quid est quod

poetam dede
tu quaere cul
nescio quo
Amazonia] »
dibus ab Am
Thracia in e
piumque loc
Porphyr. —
non est, fieri
revictae] vici
cum ἀντιπαξ
tinis Alpibus
ipsas Alpes
Oenum fluviu
pit. — *rite*]
comma rectiu
rite collocari
Carm. II, 13,
V. 29. *for*
sus, cum quo
sime coniung
295. XIII, 22.
tribus exemp
I, 9, 13. Dein
γὰρ ἐκ σχίλλ
χινθος, Οὔτε
ἐλευθέριον.« -
quoque poeta

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos,
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,

loco collocarunt. — *utcunque*] i. e. simulac, ut Carm. I, 17, 10. I, 35, 23. II, 17, 11. III, 4, 29. — *indecorant*] Alii *dedecorant*; illud mutari potuit facilius quam contra. Utrumque in bonis ac vetustis codd. — *Metaurum flumen*] vide apud Livium XXVII, 43 sqq. De verbis conferas Carm. II, 9, 21. A. P. 18. — *tenebris*] Eadem metaphora apud Ciceronem Rosc. Amer. 32, 91. — *adorea*] Donatione adorea — nam far primus in Latio cibus — milites fortissimi antiquis temporibus ornari solebant. Inde ipsa adorea sensim posita est pro victoria et gloria. Plin. H. N. XVIII, 3: »Gloriam a farris honore adoream appellabant.« Aliter Festus s. v. »Adoream laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.« Alma autem ea appellatur, quoniam virtutem nutrit; nam quae alunt alma (alima) sunt. — *risit*] exsplenduit, ut Carm. IV, 11, 6. — *ut*] ex quo. Epod. 7, 19. — *ceu*] Particula haec ante Augustum prorsus poetica paulatim ad prosam orationem descendit. — *equitavit*] Hoc vocabulum cum celeritatis notionem habeat, facili non zeugmate sed metaphora ad flammam et Eurum transfertur. — *crevit*] Immerito vituperatum hoc est, quasi crescere numero tantum sit augeri; tu compara Hor. Carm. III, 30, 8. Cic. Rosc. Am. 30. 83. Ovid. Heroid. XV, 117: »Gaudet et e nostro *crescit* moerore Charaxus.« — *deos rectos*] Deorum statuae, a suis sedibus olim deturbatae, in fanis restitutae sunt et erectae.

V. 49. *perfidus Hannibal*] Ab omnibus Romanis hoc perfidiae crimine Poenum affici, non est mirum. Sed vide Liv. XXI, 4. XXII, 6 extr. Ad orationem compara quae sunt apud eundem Liv. XXVII, 51. — *luporum*] »Idcirco *lupis* comparavit Romanos, quia auctor nominis eorum a lupa nutritus dicitur.« Comm. Cruq.; et comparavit Peerlkampius Livii locum III, 66; Vell. Paterc. II, 27: »Telesinus dictitans Romanis adesse ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque urbem, adiiciens,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sectamur ultro quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.

Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum

nunquam defuturos raptores Italicae libertatis *lupos*, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.« Adde Iustin. XXXVIII, 6: »atque, ut ipsi ferunt, conditores suos lupae uberibus alitos: sic omnem illum populum *luporum* animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarum avidos ac ieiunos habere.« — *fallere*] pro latere ut Carm. I, 10, 16. — *gens*] cf. Virg. Aen. I, 67. — *Ilio*] vide ad Carm. I, 10, 14. III, 3, 18. — *maturos*] sc. funeri, ut III, 15, 4. A. P. 115. — *Algido*] vide Carm. I, 21, 6. — *per damna*] Cfr. quae lamentantur Karthaginienses apud Livium XXIX, 3. — *opes animumque*] non *animosque*, quod ex coniectura importuna et duobus codd. passim receptum. cf. Caes. B. G. VII, 76. Virg. Aen. IX, 717. 764. Liv. IV, 19. XXIII, 17. Hor. Carm. IV, 2, 22. — *hydra*] Fabulam de hydra Lernaea lege apud Ovid. Met. IX, 69 sqq. — *vinci dolentem*] qui nisi magno dolore non vincitur, is intendit etiam ne vincatur vires; quapropter acre inter Herculem et hydram certamen sic significatur. — *firmior*] coniunge cum *crevit* pro firmius, ut v. 53 *fortis pertulit*. — *submisere*] Viri enim illi armati e terra provenerunt; sic tellus apud Lucanum IV, 411 summittit pabula pascendis equis, apud Lucretium I, 8 eadem summittit flores. — Fabulas Iasonis et Cadmi invenies apud Ovidium Met. III, 24 sqq. et VII, 121 sqq. Cur Thebae dicantur *Echioniae* ex eodem loco Ovid. Met. III, 126 intelligitur.

V. 65. *merses*] De hoc genere constructionis vide Epist. I, 6, 31. I, 10, 24. Altera lectio *mersus* propter parallelismum reiicienda est. De re compara Liv. XXVII, 14. — *evenit*] nove pro *emergit*. Sic optimi codices. Alterum *exiet* hominis esse videtur, qui futurum tempus propter *proruet* necessarium haberet; quae nimia est diligentia. Praeterea *exiet* antiquior est forma a bonis scriptoribus non usurpata; nam apud Tibullum I, 4, 27 *transiet* cedat oportet meliori *transiit*. Illud autem *evenire* propria notione raro quidem legitur, sed compara Colum. IV, 32,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.
Karthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.
Nil Claudiae non perficiunt manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

Carmen V.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu;

2: »Tota arundo serius praedicto tempore evenit.« — *coniugibus*] Romanorum, non Karthaginiensium. — *nuntios superbos*] ut post cladem Cannensem; vide apud Livium XXIII, 11. De Hasdrubale lege Liv. XXVIII, 12. — *Claudiae manus*] cf. Carm. II, 12, 6. III, 3, 28. III, 4, 72. — *perficiunt*] Sic praestat scribere cum nonnullis codd., inter quos omnium antiquissimus Bland. Nam hoc quoque praedictionis speciem habet, praesertim in ore Hannibalis, ut non opus sit altera lectione *perficient*. — *acuta belli*] cf. Carm. IV, 12, 19. Sat. II, 2, 25. A. P. 49. Curae autem sagaces eam significant animi virtutem, qua quid quovis tempore optime fiat reperimus. *Sagax* enim a canum naribus vestigia ferarum insequentium ad alios aliorum animalium sensus et ad ipsos etiam hominum animos bene transducitur. De re compara quae Tiberius de se ipse profitetur apud Tacit. Ann. II, 26: »se novies a D. Augusto in Germaniam missum *plura consilio quam vi* perfecisse.«

Carmen V.

Dulcissimum hoc carmen, multis nominibus laudandum, ad Augustum, qui a mense Sept. a. 738 usque ad Februar. 741 in Germania et Gallia tenebatur, scriptum tenerrimos sensus de beneficiis pacis ex diuturnis bellis intestinis restitutae morumque ex longa corruptione emendatorum prodit. Exprimitur universi populi desiderium boni principis, nam non inconsulto et in initio et in fine carminis Augustus *dux bonus* appellatur, neque deerant causae, cur tanto omnes cives tenerentur desiderio. Ut enim prima et secunda strophae compellationem Augusti habent cum brevi quidem sed venusta rationum cur ei redeundum sit significatione, sic patriae desiderium grata matris filium diu exspectantis comparatione tertia et quarta proponitur. Illud autem unde in animis civium sit excitatum, tribus deinde strophis ita ostenditur, ut quinta celebretur securitas agriculturae, navigationis, mercaturae, ex quibus quasi fontibus domesticarum rerum prosperitas profluit; ut sexta addat innocentiam vitae, cui leges et consuetudines quam maxime consulant (v. 22), laude simul bonorum (v. 23) et poena ma-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore demovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat,

lorum (v. 24) adiuncta; ut denique septima sit de potestate et honore imperii Romani apud exteras nationes. Quae nationes eo compositae sunt ordine, ut omnes fines indicentur, ex quibus bella moveri possint; ab oriente pergitur ad occidentem, a Parthis per Scythas et Germanos ad Hispanos, qui quattuor sunt bellicae laudis Augusti gravissimi testes. Illa beneficia qui bene ponderaverit, is profecto cum poeta Augustum venerabitur ut coelitus missum pacis auctorem et conservatorem, atque ut pax diu ac feliciter colatur sinceris precibus deos rogabit. Quam sententiam postquam poeticis coloribus illustratam addidit Horatius, carmen ea ratione absolvit, ut a quo profectum esset eo etiam rediret, ad Augustum. Qui cum Februario a. 741 ex Gallia reversus sit, probabile est carmen scriptum esse a. 740.

V. 1. *divis orte bonis*] Intelliguntur haec ex Carm. IV, 2, 37 sq. Contrarium est Sat. II, 3, 8. — *Romulae*] Eadem adiectivi forma C. S. 47. Virg. Aen. VI, 877. cf. Carm. I, 15, 10. Altera forma est *Romuleus*, non minus usitata; eligebant poetae utram metrum efflagitaret. — *sancto concilio*] Virg. Aen. I, 426. In paucis libris *consilio*; quod cum per se ferri possit, refellitur tamen auctoritate librorum. — *lucem*] Virg. Aen. II, 281. Eurip. Orest. 243: »ἦκει φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς.« — *affulsit*] Silius VII, 468: »nitenti affulsit vultu ridens Venus.« — *soles*] de plurali cf. Epod. 2, 41. 16, 13. Epist. I, 20, 24. — *it dies*] Carm. II, 14, 5. — *Notus*] qui adversus est ex Asia in Italiam navigantibus. Poetis autem cum omnes res etiam inanimatae spiritum et vitam habere videantur, ventus etiam vivit et voluntate aliqua vel cupiditate agitur; inde *invido flatu*, non *invido*, quod in nonnullis est codd. — *Carpathii*] cf. Carm. I, 35, 8. — *votis*] cf. Liv. praef. extr. »cum bonis ominibus votisque ac precationibus.« — *curvo*] ut Epod. 10, 21. Virg. Aen. III, 223. V, 765. — *icta*] cf. Aesch. Agam. 544: *ἐμέθῳ πεπληγμένος.* De comparatione cfr. Hom. Od. XVI, 17 sqq. — *etenim*] tertium locum occupavit contra Ciceronis morem; sed poetis in hac re magna

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit Fides;
Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
Culpam Poena premit comes.
Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Hiberiae?
Condit quisque diem collibus in suis
Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus et alteris
Te mensis adhibet deum;
Te multa prece, te prosequitur mero

est licentia. — *nutrit rura*] Qui anaphorae potestatem non sentiebant, *rura* non bene iterari putabant. Inde inanes natae sunt coniecturae *tuta, culta, prata, farra, rite*. — *Faustitas*] ἅπαξ λεγόμενον pro *Fausta Felicitate*. — *pacatum*] Sueton. Aug. 98: »Vectores nautaeque de navi Alexandrina Augusto acclamarunt, per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.« — *volitant*] ab avium volatu translatum ad nautas per mare vagantes. Sic Auct. ad Herenn. IV, 39, 51: »volitabit et vagabitur in foro.« — *metuit*] vide ad Carm. I, 1, 8. De re Acron.: »tanquam cuius tempore nec creditum nec depositum negaretur.« Contrarium est Carm. III, 24, 59 sq. — *mos et lex*] cf. III, 24, 35. — *edomuit*] verbum poetis et serioribus scriptoribus usurpatum; funditus domuit. — *simili prole*] Hesiod. O. et D. 232: »Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν.« Catull. Epithal. Iul. et Manl. 221: »Sit suo similis patri (Torquatus parvulus) Manlio, et facile insciis Noscitetur ab omnibus, Et pudicitiam suae Matris indicet ore.« — *Poena*] cf. Carm. III, 2, 32. — *paveat*] Accusativus *pavere* verbum accuratius definit et indicat, circa quam rem pavor versetur. Epod. 12, 25.

V. 26. *parturit fetus*] cf. Epod. 16, 7. Parturire verbo i. e. iterum iterumque parere (ut Carm. I, 7, 16) egregie significatur magna Germanorum Romanos lacessendi cupiditas, qua nunquam fines imperii devastare desierunt. *Fetus* autem sunt immania Germanorum corpora. — *condit*] exigit inter laborem. Sic latine dicimus *diem, noctem, lustrum condere*. Deinde bene additum est *suis*, quo quam certae tum possessiones fuerint significetur. — *vitem ducit*] vide ad Carm. II, 15, 4. Epod. 2, 10. — *ad vina*] Redit agricola confecto labore ad coenam, inter quam eius etiam sive hominis sive dei memor est, cui hoc ipsum quod agrum colere et coenam honestam parare potuit acceptum refert. Secundis mensis libare solebant pena-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Defuso pateris et Laribus tuum
Miscet numen uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae: dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum sol oceano subest.

Carmen VI.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae Tityosque raptor

tibus et diis tutelaribus; quibus cum par sit Augustus beneficiis, non minus adhibetur. Virg. Aen. V, 62 et vide Carm. III, 3, 12. Ceterum cf. Dion. Cass. 51, 19, qui de tempore post pugnam Actiacam haec scripsit: »ἐν τοῖς συσσιτίοις, οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις, πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι. Ovid. Fast. II, 636: »Parca precaturae sumite vina manus, Et bene vos, bene te, patriae pater, optime Caesar, Dicite suffuso ter sacra verba mero.« — *magni Herculis*] Genitivi suspensi sunt ex adi. *memor*; ita ipse vocabulorum ordo suadet, de quo confer hos locos: Carm. I, 14, 12. I, 17, 21. I, 18, 12. I, 24, 13. I, 27, 10. I, 36, 13. II, 1, 9. III, 9, 7. IV, 6, 33. IV, 11, 31. IV, 15, 26. Deinde *memor* adi. non facile caret obiecto. Herculi aliisque heroibus maxime debebat Graecia, quod per omnes regiones vagantes quidquid invenissent vel ferorum hominum vel bestiarum necabant vitamque humanam a periculis liberam et quietam reddebant. — *dicimus integro*] Animadverte hoc iterum artificium, quo quae inter se respondent vocabula *dic. int.* et *dic. uvid.* eadem obtinent versuum loca. — *uvidi*] apud compotationem. cf. Carm. IV, 1, 25.

Carmen VI.

Horatius cum a. u. c. 737 ab Augusto iussus carmen sacculare scripsisset, hoc carmen quasi prooemium addidit. Nam scriptum esse patet confecto iam carmine saeculari necdum celebratis ipsis ludis. Etenim »idem deus, inquit poeta, qui superbos castigat, pios autem omnesque qui suum numen rite colunt tutatur ac per incommoda et calamitates ad felicitatem et gloriam perducit, cuius tutela Roma urbs condi potuit (v. 24), me quoque iuvabit iustamque canendi facultatem tribuet. Huic enim artem et laudem acceptam refero. Quare vos, pueri et puellae, qui electi estis ad canendum carmen saeculare, digna carminis mei reverentia impleti rite laudate Apollinem et Dianam, magnumque vobis obvenisse honorem credite, quemadmodum ego lector, quod inter omnes qui componerem carmen dignus habitus sum.« Duae sunt huius carminis partes; argumentum positum est partim in ea sententia quae est Carm. II, 10, 18—20, partim in conscientia favoris eiusdem dei, in cuius honorem ludi celebrantur. Fuerunt, qui v. 29 initium novi carminis facerent, *Peerlkampius* versus 7—10 et quattuor extremas strophas spurias habuit, *Gruppius* nuper eo progressus est audaciae, ut Horatio ex toto carmine nihil relinqueret nisi primam strophan et septimam; *Linkerus* contra unam stro-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sensit et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,
Ceteris maior, tibi miles impar,
Filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palam captis gravis, heu nefas heu,

pham septimam in suspicionem vocavit. Vides quam incerta sint horum criticorum iudicia, quam lubrica ac debilia eorum argumenta, qui communi studio in contrarias partes agantur.

V. 1. *Niobea*] cf. Hom. Il. XXIV, 602 sqq. Ovid. Met. VI, 148. Cic. Tusc. III, 26, 63. Tria superbiae exempla particulis *que, et* coniuncta sunt, ut saepissime. cf. ad II, 10, 9. De Tityo vide ad Carm. II, 14, 8. — *prope victor*] vide ad Carm. III, 17, 9; conferas Virg. Aen. VI, 56 sqq. — *altae*] *αἰπή*, ut Hom. Od. III, 130. — *impar*] Soph. Philoct. 334: »*Τέθνηκεν ἀνδρὸς οὐδενὸς, θεοῦ δ' ὕπο, Τοξεντὸς, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβου δαμείς.*« — *quamvis*] Sic boni codd. Vide ad Carm. I, 28, 13. Alii *quamquam*. — *Dardanas*] De adiectivi forma vide ad Carm. IV, 5, 1. Tam diu poeta in Achillis morte ac fortitudine immoratur, quia Achille gravior hostis non fuit Troianis, qui si diruisset urbem omnesque incolas, etiam infantes necasset, Roma urbs non poterat unquam condi. Quapropter Achillis caedes maximum erat Romanis beneficium. — *cuspide*] Hom. Il. XIX, 387. — *pinus*] Aptissima haec imago ad ingentem corporum vastitatem relata ex Homero sumpta est. cf. Il. XIII, 178 sqq. XVI, 482 sqq. Virg. Aen. II, 626. — *procidit late*] Expressa haec videntur ex Hom. Od. XXIV, 39 sq. — *Minervae*] Virg. Aen. II, 15 sqq. 183. cf. Hom. Od. IV, 272. — *falleret*] De imperfecto cf. Sat. I, 6, 80.

V. 17. *palam captis*] Non consentiunt in h. l. codices. In aliis *captis*, in aliis *captos* vel *raptor* vel *victor*, in aliis vocabulum plane omissum est. Unde recte collegerunt critici, in antiquissimis codicibus, ex quibus qui ad nos pervenerunt profecti sunt, scriptum fuisse vocabulum aliquod vel rarissimum scribisque ignotum vel male pictum, ut alius aliud legeret ac scriberet. Fuerunt qui *captor* ab Horatio scriptum putarent, rarissimum illud quidem, sed repertum in Anthologia Burmanni II, p. 453, ubi *venatorem* significat; alii autem scripserunt *raptor*. Peerlkamp. »Praeferrem *victis*. Achilles non amabat belli furta, sed vim apertam;« comparat Iustin. IX, 8: »Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo,
Ni tuis flexus Venerisque gratae
Vocibus divum pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti:
Deliae tutela deae fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,

gaudere hostibus, hic *palam* fusis.« Eadem sententia in lectione codicum *captis* inest. Sic Mezentius ap. Virg. Aen. X, 735 »haud furto melior, sed fortibus armis.« — *nescios fari*] νήπια τέκνα. Memoratu digna res est, quod Horatius fabulam ab Homero sumptam Homericis etiam vocabulis ornavit; inde etiam quae sequuntur *etiam latentem*, de quibus cf. Il. VI, 57 sq. — *flexus*] Sic habet omnium antiquissimus Bland. Cruquii, quem nunc cum Bentleio aliis secutus sum. In reliquis est *victus*. — *potiore alite*] cf. Carm. I, 15, 5. — *ductos*] Muri *ducuntur* (Virg. Aen. I, 432) ut parietes, valla fossae, sulci, versus, lineae, propter longitudinem, per quam extenduntur. — *argutae*] canorae, λιγείας; cf. ad Carm. III, 14, 21. Epist. II, 2, 90. — *Xantho lavis*] Videtur esse Lyciae fluvius, non Troadis. cf. Hom. Il. II, 877. In Lycia enim *Patara* urbs est Apollini sacra. cf. Carm. III, 4, 61 sqq. De verbo *lavere* ad Carm. II, 3, 18. — *Dauniae*] cf. Carm. III, 30, 10 sq. Est igitur musa Horatii; orat enim poeta, ut carmen suum saeculare Augusto et Romanis placeat. — *Agyieu*] Apollo apud Graecos ἀγυιεὺς appellabatur, quia viis urbanis praepositus erat. Levis, imberbis est propter perpetuam iuventutem.

V. 29. *Spiritum*] Inter se opposita sunt *spiritus* et *ars*, egregio consilio in praecipuis versus locis collocata. Quae cum coniuncta sunt bonum efficiunt poetam nominisque laudem parant. *Nauckius*, qui comma inter *Phoebus mihi* posuit, scilicet ne interductus cum caesura pugnaret, non sensit, *mihi* pronomini iusto maius ita addi pondus. — *primae*] Chorus eligebatur ex nobilibus pueris et puellis, patrimis et matrimis. — *tutela*] quia chorus in tutela deorum est, quorum laudes canit. Compara egregium carmen Catulli 34: »Dianae sumus in fide Puellae et pueri integri: Dianam pueri integri Puellaeque canamus.« — *Lesbium*] metrum Sapphicum, quo Carmen Saeculare compositum est. — *pollicis ictum*] Lo-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,
Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta iam dices: Ego dis amicum
Saeculo festas referente luces
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

Carmen VII.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae:

quitur de carminis ῥυθμῷ, qui pollicis motu indicabatur. Terent. Maur. 2253: »adsuetam moram, Quam pollicis sonore vel plausu pedis Discriminare, qui docent artem, solent.« — *rite*] bis positum per anaphoram propter magnam sacrorum religionem, qua ne quid prave fieret diligenter cavendum erat. cf. Carm. IV, 15, 28. — *face*] lumine. Est enim Diana *νυκτιφάής, νυκτιλαμπής*, Noctiluca. — *frugum*] De genitivo cf. III, 6, 17. C. S. 19. 29. *Prospera* est *frugum*, quia fruges nutrit nocturno rore et recto anni tempestatisque decursu. — *nupta*] Grata olim erit festorum et honoris recordatio; quae ipsa tunc quoque incendere debuit studium et diligentiam. Neque mirandum est quod puellas solas dulci recordatione futuri temporis excitare satis habuit poeta; eiusmodi enim gloriatio feminam magis decet quam virum. *Iam* coniunge cum *nupta*. — *luces*] dies; per triduum enim et trinoctium celebrari solebant ludi saeculares. cf. C. S. 23 sq. — *vatis Horati*] Gravi cum vi in fine nomen positum est. In ipso autem nomine *Horatii* dignitatis aliquid invenisse videtur poeta, quoniam ubi sine laudatione nomen suum simpliciter inferre voluit, *Flaccum* se appellavit (Epod. 15, 12. Sat. II, 1, 18); ubi blandientes scribas designat, blando etiam praenomine *Quinte* (Sat. II, 6, 37) salutatur. Compara Epist. I, 14, 5.

Carmen VII.

Videmus ex v. 23, ad Torquatum aliquem scriptum esse hoc carmen; qui cum idem esse non possit, quo consule Horatius natus est, neque eius filius qui ante a. u. c. 709 in Hispania occidit, haerent interpretes, ad quem alium Manlium Torquatum scriptum esse carmen putent. Nam neque de alio illius Manlii filio neque de nepote neque omnino de ullo alio ex hoc genere quidquam nobis traditum est. Ac ne is quidem satis idoneus est, quem ex Suetonio viri docti huc transtulerunt, C. Nonius Asprenas, ab Augusto torque donatus et Torquati cognomine ornatus. Huius enim neque pietatem neque genus (v. 23), quamquam consul postea factus est, tantopere laudare potuit Horatius. Possis etiam de *Silano*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mutat terra vices et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres monet annus et almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris; ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer auctumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant coelestia lunae;
Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,

aliquo *Torquato* cogitare ex *Iunia* gente; cf. Tacit. Ann. III, 24, ubi mentio iniicitur D. Silani, in nepti Augusti adulteri, et eius fratris *M. Silani*, qui »per insignem nobilitatem et *eloquentiam* praecellebat.« Deinde C. Silanus, proconsul Asiae, repetundarum a sociis postulatur apud Tacit. III, 66, qui idem *Torquatus* fuit, nam eius soror (c. 69) est *Torquata*, virgo Vestalis, quae, ut patet ex inscriptione aliqua, annos 64 nata decessit. Et C. Silano causa dicta est a. u. c. 775. Praeterea apud Tacit. Ann. XV, 35: »*Torquatus Silanus* mori adigitur, quia super Iuniae familiae claritudinem D. Augustum atavum ferebat.« Is fuit consul a. u. c. 806. Primus Torquatorum, qui in familiam Silanorum receptus est, fuit D. Iunius Silanus Manlianus, T. Manlii Torquati filius, a D. Iunio Silano adoptatus; et praetor fuit a. 142 a. Chrst. Cic. Fin. I, 7. Quisquis autem est, ad eundem data videtur epist. I, 5, et fuit homo hilari ac liberali animo. Continet autem carmen eas cogitationes, quas verni temporis reditus poetae suppeditavit; comparatur humani generis vita cum anni vicissitudine. Anni tempora redeunt, non vitae, quae si peracta est in perpetuum aufugit. A morte neque virtutes homines defendunt, neque amoris aut amicitiae potestas liberabit. Aperto consilio Horatius argumentum et primariam sententiam iis versibus indicavit, qui mediam carminis partem occupant (vv. 13—16). Simile est Carm. I, 4. Referunt carmen alii ad a. 734 vel 735, alii ad a. 738.

V. 1. *nives*] Pluralis numerus talium etiam rerum usurpatur, quae sua natura eum numerum pati non videntur; et causa quidem duplex est, concinnitas orationis et in eadem re locorum vel temporum diversitas. Utrumque h. l. valet cf. v. 9. — *comae*] Carm. I, 21, 5. IV, 3, 11. — *Gratia*] cf. ad Carm. I, 4, 6. — *nuda*] cf. Carm. I, 30, 5. III, 19, 17. — *almum*] vide ad Carm. IV, 4, 41. — *frigora*] Animadvertendum quattuor versibus quattuor tempora describi. Similis rerum cumulatio verborumque brevitas est Carm. III, 6, 45 sqq. — *proterit*] Servavit particula *pro* suam potestatem, neque est *retro pellit*, sed *pellit* ut progrediatur, ut festinet. Quod quomodo dictum sit a poeta ut intelligas, cogita rotam perpetuo motu agitatam. Inde vocabula *proterit*, *inter*itura, *re*currit. Quod alii habent *recurret* ex nimia et molesta diligentia nescio cuius scribae exortum est. — *iners*] cf. Carm. II, 9, 5. Hieme enim nihil procreatur. — *decidimus*] Epist. II, 1, 36.

V. 15. *pius Aeneas*] Alii *pater* le-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pulvis et umbra sumus.
Quis scit an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.
Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas;
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

---

gunt. Utrumque apud Virgilium. Pietas tamen Aeneae propria quaedam virtus est, perpetua eius apud Romanos comes. Antiquissimus sane cod. Bland. habet *pater*, sed ne hunc quidem mendis carere, satis multi ostendunt loci. Praeterea fluctuant codices inter *Tullus dives* et *dives Tullus*. Sed nisi vis quaedam inest in adiectivo, quid poeta Tullum haec laude auxit? Quae si adest priorem locum occupet necesse est. Tullus autem dives appellatur, quia rex fuit; etiam Ancus dives. Oppositionis nihil videndum est inter pium Aeneam et divitem Tullum; uterque suo honore fruitur. Tanta autem nomina illata non sunt consolandae condicionis, sed amplificandae sortis humanae gratia. cf. Epist. I, 6, 27. — *decidimus*] cf. Epist. II, 1, 36. — *pulvis*] cf. Eurip. fr. Meleagr. 20: »*κατθανὼν δὲ πᾶς ἐνῆρ Γῆ καὶ σκιά.*« — *quis scit an*] Raro apud aureae aetatis scriptores *an* part. sic legitur in simplici oratione obliqua; saepe apud inferiores. cf. A. P. 462. Paulo aliter Carm. II, 4, 13, nam *nescio an*, *haud scio an* saepius sine verbo pro *fortasse*. — *summae*] cf. Carm. I, 4, 15. Ex quo loco nata est alia nonnullorum codicum lectio *vitae*, quod vocabulum interpretandi causa in margine adscriptum sensim receptum est. cf. Eurip. Alc. 784: »*οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἴ βιώσεται.*« — *animo*] Simili ratione dicitur animo obsequi, animo morem gerere; animus enim appetitus est. — *dederis*] cf. ad III, 23, 3. Ad sententiam cf. Aeschyl. Pers. 840: »*Ὑμεῖς δέ, πρέσβεις, χαίρετ' ἐν κακοῖς ὅμως Ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν· Ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.* — *Minos*] cf. Hom. Od. XI, 567. — *splendida arbitria*] non honorifica, sed augusta pro maiestate iudicii et tribunalis. — *genus*] Nihil potest a morte defendere mortales homines, neque virtutes (genus, facundia, pietas) neque quae maximas etiam difficultates vincere possunt, amor et amicitia (Diana, Theseus). — *Diana*] de Hippolyto et Diana lege Virgil. Aen. VII, 765 sqq. Ovid. Met. XV, 497 sqq., a quibus tamen Horatius ita recedit, ut illi Hippolytum in vitam revocatum tradant, hic nihil valuisse amorem deae affirmet. Dianae nominis antepenultima modo producitur modo corripitur ad necessitatem metricam. cf. Carm. II, 12, 20. C. S. 1. 70. A. P. 16. 454. De Pirithoo vide ad Carm. III, 4, 79. Cuius fabulam Ho-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen VIII.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum
Ferres divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere nunc deum.
Sed non haec mihi vis, non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri.

ratius vel mutatam iam accepit vel ipse mutavit. Vulgo enim Theseus simul cum amico et ad inferos descendisse et ab Orco retentus esse traditur; qui cum postea ab Hercule liberatus esset Pirithoum tamen secum ducere non potuit. Apud Horatium Pirithous solus videtur descendisse, qui cum captus retineretur, ne a Theseo quidem, quem amicitia misit, liberatus est.

Carmen VIII.

Fuit mos hominum Romanorum, ut Kalendis Martiis et Saturnalibus grata dona (strenas) cuiusvis generis amicis darent. Quem cum sequi vellet Horatius, Censorino amico — qui fuit cos. a. u. c. 746 — non pretiosa vasa sed hoc carmen non minoris pretii misit. In quo cum ostendit quid carmina possent efficere, quanto ad laudem et gloriam apud posteros bonis hominibus tribuendam magis apta essent quam publicae inscriptiones et ipsa facinora, tum id quoque consecutus est, quod tecto saepe consilio paravit. Censorini nomen oblivioni ereptum aeterno splendore nitet. Fuit autem homo probus, demerendis hominibus genitus, ut dicit Velleius Paterculus II, 102. Quo tempore carmen scriptum sit, ne coniectura quidem assequi possumus; alii retulerunt ad a. 743, alii prudentius ad tempus intra annos 737—741.

V. 1. *pateras*] poculi genus planum ac patens, cuius usus etiam in sacris plurimus. De more dona mittendi cf. Tibull. III, 1, 1: »Martis Romani festae venere Kalendae. . . Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa Perque vias urbis munera perque domos.« — *commodus*] cum *donarem* coniungi debere versus ratio docet, non cum *sodalibus*. cf. Epist. II, 1, 227 et Epist. I, 18, 75. — *aera*] vasa, imprimis Corinthia. cf. Sat. II, 3, 21. Epist. I, 6, 17. — *tripodas*] cf. Hom. Il. XXIII, 513. IX, 122. Virg. Aen. IX, 264 sqq. — *ferres*] acciperes, ut Carm. III, 16, 22. Sat. II, 1, 12. Epist. II, 2, 14. Qui verbi usus unde sit exortus videbis ex Virg. Aen. V, 248. — *artium*] operum affabre factorum, ut Epist. I, 6, 17. Virg. Aen. V, 359. De genitivo confer Epist. II, 2, 31 et illud Virgilianum *dives opum* (Georg. II, 468. Aen. I, 14. II, 22). — *Parrhasius*] pictor clarus, Ephesius, Olymp. 98. — *Scopas*] statuarum fictor, Parius, Olymp. 87. — *sollers ponere*] fingere, facere, *τιθέναι*, darstellen. cf. A. P. 34. — *carmina*] Cum vi traductum est vocabulum ex praecedente sententia.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Πέρσιος

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Karthaginis impiae
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides: neque,

— *muneri*] Dativum genitivo elegantiorem tuentur antiquissimi codices; dicendi verbum graviorem statuendi, ponendi notionem accepit. cf. Sat. II, 3, 23. Ioci autem nihil in h. l. inest; an tu putas, Horatium ipsum iocando potuisse deprimere carminum pretium et dignitatem, quam vere ac sincere statim additurus est? Ingeniosius quam verius nuper Ferd. Schultzius in hoc versu hanc inesse voluit sententiam: aera tibi pretiosa dare non possum, sed pretiosam rem *dicere* possum i. e. pretiosum carmen tibi canere possum. Ita poeta bis idem diceret.

V. 13. Quid hoc et insequentibus versibus poeta dicere voluerit, satis manifestum est, nimirum *pretium dicere muneri*. »Non monumenta, inquit, titulis publice inscripta, ne ipsae quidem magnae res gestae hominum manent; temporis perpetuo motu quidquid bene factum est oblivionis caligine paulatim obducitur. Quare nihil ad posteros certius pervenit quam quod fixum firmatumque est poetarum aeternis carminibus.« Sed ut poetae solent, exemplis usus est. *Celeres fugae* (ex Italia) et *reiectae minae Hannibalis* Scipionem Africanum maiorem, deinde *incendia Karthaginis* minorem Africanum indicant, tum *Calabrae Pierides* iterum ad maiorem referendae sunt, quoniam Ennius Rudiis Calabriae oppido natus (a. u. c. 515 — 584) maiorem Scipionem carmine celebravit. Quae ab altero ad alterum Scipionem transitio quibus displicet, iis *incendia* non sunt intelligenda de urbe a Scipione minore combusta, sed de navibus et portu a maiore Scipione incendio deletis, quam calamitatem Karthaginienses non minus aegre tulerunt, quam si ipsa urbs esset deleta. cf. Liv. XXX, 43. Attamen inter Romanos certe nemo fuit, qui *incendia Karthaginis* non referret ad minorem Scipionem. Fuerunt autem, qui vv. 15 sqq. de picturis publice Romae propositis magnorumque ducum res gestas illustrantibus interpretarentur; Plin. H. N. XXXV, 7: »M'. Valerius Max. Messala princeps tabula picturam proelii, quo Karthaginienses et Hieronem in Sicilia vicerat, proposuit in latere Curiae Hostiliae a. u. c. 490. Fecit hoc idem et L. Scipio tabulamque victoriae suae Asiaticae in Capitolio posuit . . . Luc. Hostilius Mancinus, qui primus Karthaginem irruperat, situm eius oppugnationesque depictas (proposuit) in Foro.« Quod diaeresis v. 17 omissa est, id excusationem inveniet in natura nominis proprii. Itaque non assentior iis qui locum corruptum putarunt. Qui contrariam medelam adhibuerunt; alii quattuor versus eiiciendos rati hunc constituerunt versuum cursum *post mortem ducibus, clarius indicant*. At vero si celeres fugae et minae Hannibalis expelluntur, si Scipionis omnia vestigia tolluntur, unde *Calabrae Pierides* possunt teneri, quae fundamento quodam, in quo niterentur, carerent? Nam illud manifestum videtur, *Calabras* Pierides non posse quidquam aliud indicare quam unum Ennium; totam poësim latinam tam certo nomine significare non potuit Horatius. Praeterea Lachmannus et qui eum secuti sunt Hauptius, Meinekius, Linkerus cum viderent, ne eiectis quidem illis quattuor versibus (*non celeres . . . rediit*) suam sibi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si chartae sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavorisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Coelo Musa beat. Sic Iovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

servari legem de carmine in strophas quaternorum versuum dividendo, circumspexerunt, quid praeter illos posset facillime removeri, atque in marginem abire iusserunt versus 28 et 33. Peerlkampius vv. 14—17 (*Per quae . . . impiae*) repudiavit; Bentleius unum v. 17 spurium esse censuit, Nauckius denique v. 17 et v. 28 uncis includendos curavit, nimirum ne versuum numerus stropharum spatium superaret. Alii ad coniecturas *impendia*, *stipendia* pro *incendia* faciendas confugerunt; desperatum illud quidem remedium in tanta librorum constantia. De re cf. Sueton. Aug. 31: »Augustus proximum a diis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.« Lamprid. Alex. 28: »Augustus summorum statuas virorum in foro suo e marmore collocavit additis gestis.«

V. 21. *chartae*] poemata, ut Carr IV, 9, 31. — *Iliae Mavortisque pue* In hac parentum laudatione lat cogitatio, nobilitate et genere R mulum ab oblivione non potuiss liberari. Romulum autem idem E nius laudavit in primo Annaliu libro. Vide ap. Cicer. de Rep. I, 4 »O Romule, Romule die, Qualem patriae custodem di genuerunt! pater, o genitor, o sanguen d oriundum! Tu produxisti nos int luminis oras.« — *divitibus insuli μαχάρων νήσοις*. cf. Epod. 16, 4 Tibull. I, 4, 61: »Pieridas, puer doctos et amate poetas, Aurea n superent munera Pieridas. Carmi purpurea est Nisi coma; carmi ni sint, Ex humero Pelopis non i tuisset ebur.« — *sic*] hac ration poetarum carminibus. Quae exer pla hic proferuntur, iis ante ia usus erat poeta Carm. III, 3. — *Ty daridae*] vide ad Carm. I, 3, 2. *pampino*] cf. Carm. III, 25, 20. *vota*] Hoc quoque divinitatis ind cium est; in qua describenda o serva poetae ubertatem.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen IX.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum

Carmen IX.

Sententiae carminis hoc ordine procedunt. Mea, inquit poeta, carmina nunquam interibunt, quamquam non, ut alter Homerus, maiorum hominum res gestas epico carmine celebrare conor. Verum etiam lyrici poetae adhuc vivunt (Pindarus, Simonides, Alcaeus, Stesichorus, Anacreon, Sappho, quorum nomina Horatius eo ordine coniunxit, ut a summo hymnorum poeta Pindaro ad leviora genera Sapphonis descenderet); poetarum cantus temporis invidia non obruitur. v. 1—12. Factis hominum non eadem sors est; neque enim ii qui in Troianis campis pugnarunt, soli meruerunt laudem poetarum (Troianorum et Graecorum virorum aptum hunc ordinem constituit, ut ad Sapphonis carmina amatoria bene annexis Helenae amoribus sursum ascenderet ad maximum omnium regem Agamemnonem). Sed vivunt illi in memoria hominum, reliqui vitam et memoriam amiserunt; et cur? quia vate carent. v. 13—28. Septima strophа, quae medium carminis locum occupavit, principalem habet sententiam, ex qua reliquae, et eae quae praecedunt et eae quae sequuntur, quasi ex communi fonte profluunt. Transitur enim a generali sententia ad unum Lollium sic: »oblivione omnia aequantur, ignota virtus nil distat sepulta inertia, quare te, Lolli, celebrabo, ne nobilitas tua honestique studium ex memoria hominum excidant.« Tum animum eius prudentem laudat, constantem in secundis rebus et adversis, purum ac sincerum, fidum et certum, summoque honore dignum. v. 29—45. Itaque Lollium bono animo esse debere, quoniam quae homines fecerint non felicitate sed voluntate et consilio aestimentur. v. 45—52. Carmen omnibus numeris absolutum est et rotundum singulisque partibus perfectum, ut ne unum quidem verbum sine magno detrimento vel demere possis vel movere; quare taedet enumerare conamina eorum, qui hoc quoque pulcherrimum opus mutilare ausi sunt. — Lollius, qui a. u. 733 consul fuerat, gravi clade a Germanis a. 738 reiectus est; nihilo minus favorem sibi Augusti servavit; postea in Orientem missus avaritia et malis artibus odium sibi aequalium contraxisse dicitur. Subita vi mortis a. u. 753 oppressus est. Vellei. Paterc. II, 97: »accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo.« ibid. 102: »Quo tempore M. Lollii, quem veluti moderatorem iuventae filii sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata Caesari, fama vulgavit. Cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit ignoro.« Sueton. Tiber. c. 12: »Namque privignum Cainm, Orienti propositum, cum visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii, comitis et rectoris eius.« Tacit. Ann. III, 48: »incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat (Sulpicius).« Qui vir quo tempore ab Horatio tantam laudem accepit, aut liber erat omni criminatione aut inter summam vitiorum dissimulationem etiam Horatium fefellit. Scriptum videtur hoc carmen non multo post acceptam in Germania cladem; apertum enim est consolandi hominis consilium. Suspicatur tamen Weber, Lollium etiam post cladem apud Augustum in Germania remansisse cum eoque anno demum 741 Romam reversum esse; itaque probabile esse hoc carmen non ante vernum tempus anni 741 compositum videri. Lollii cognomen incertum est; alii Palikanum, alii Paulinum appellant; neptis certe Lollia dicebatur Paulina.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;
Nec si quid olim lusit Anacreon
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena,
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus

V. 2. *Audidum*] cf. Carm. III, 30, 10 sqq. — *Maeonius*] cf. Carm. I, 6, 2. — *Ceaeque*] vide ad Carm. II, 1, 38. — *Stesichori*] Hic, Himerae in Sicilia natus, mortuus est Olymp. 56; de quo Quintilianus X, 1, 62: »Stesichorum, inquit, quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem.« Inde *graves* eius Camenas appellavit Horatius. — *Anacreon*] cf. Carm. I, 17, 18. — *spirat*] vivit ac viget. cf. IV, 8, 14. Cic. Brut. 24: »Videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis.« Virg. Aen. VI, 848. — *calores*] pluralis ut amores. Qui poetice *vivere* dicuntur, ut carmina, Carm. I, 32, 3. Epist. I, 19, 2. — *puellae*] Est genitivus, non dativus pro: ab Aeolia puella. — *arsit*] Ardere verbum cum sit ardenter amare ac desiderare, activam quandam habet naturam: inde accusativus, ut apud Virgilium Buc. 2, 1. Ablativus, quocum idem verbum coniunctum est Carm. II, 4, 7. III, 9, 5. Epod. 14, 9. Epist. II, 1, 95, id indicat unde venit ardor. Ceterum ad sententiam compara Ovid. Heroid. 13, 57: »Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro, Quique suo Phrygias corpore ferret opes, Classe virisque potens.« Eurip. Troad. 991: »Ὃν εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι Χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας.« — *primusve*] In nonnullis codd. *primusque*. Sed vide ad Carm. II, 5, 20. De Teucro cf. Carm. I, 7, 21. Hom. Il. XIII, 313. — *Cydonio*] Cydon, urbs Cretae. Vide ad Carm. I, 15, 17. — *non semel Ilios*] Non semel tanta urbs quanta fuit Ilios oppugnata est; quod dico, ne quis de unius urbis Troiae pluribus cogitet oppugnationibus. — *Idomeneus*] Hom. Il. III, 230. — Sthenelus, Capanei et Euadnes filius, Diomedis auriga. Hom. Il. II, 564. — *Deiphobus*] Priami et Hecubae filius, Helenae post Paridem coniux. cf. Hom. Il. XII, 94 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus,
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni
Sed quoties bonus atque fidus

XIII, 156 sqq. Virg. Aen. VI, 495 sqq. — *pro coniugibus*] cf. Hom. Il. XVII, 223 sq. XXIV, 730. — *primus*] Magna cum gravitate iteratur ex initio superioris strophae; qua re hoc simul efficitur, ut quae inter se quasi certant vocabula *non*, *primus*, locorum etiam distantia distineantur. Sed per totum carmen admirabilem in collocandis vocabulis artem poeta probavit. — *urgentur*] cf. Carm. I, 24, 7 sq.

V. 29. *inertiae*] dativus est, ut Sat. I, 4, 48. — *chartis*] vide ad Sat. I, 10, 4. — *impune*] Oblivio quasi quendam animum ac voluntatem habet ac perpetuo studio agitur hominum res bene gestas opprimendi. Huic qui se opponit, quasi castigat oblivionem neque impune eam hominum memoriam carpere patitur. Pluralis autem numerus positus est propter oblivionis continuos exstinguendae famae conatus. — *rectus*] qui neque bonis neque malis rebus flectitur, ut Cic. de Senect. 6. — *vindex*] De animo tanquam de persona loquitur; inde appellatur vindex, consul, iudex, victor, inde habet vultum et arma. Ex magna hac Lollii innocentiae et abstinentiae laude non inique iudicaveris, iam tum in hominum invidiam incertis rumoribus incidisse Lollium; quam Horatius cum immeritam putaret, defendere ab innocenti homine fortasse voluit. Et Velleius fortasse non satis integer est vel testis vel vituperator. — *cuncta*] Pecuniae crimini datur quod avarorum hominum est, quorum cupiditas nunquam expletur, omnia ad se rapit. — *consul*] Consulatus, summus magistratus, summum honorem tribuit; dicit igitur, rectum animum sempiterno ac summo honore esse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati qui deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Carmen X.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae,
Et quae nunc humeris involitant deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae

dignum; de qua re cf. Cic. Tusc. II, 17, 41. Hor. Carm. III, 2, 19. — *alto vultu*] quo in eas res, quas contemnimus, despicere solemus. Cic. Tusc. II, 4, 11. — *catervas*] malorum hominum et corrumpere tentantium. — *recte*] Notanda gradatio *recte*, *rectius*; cui quam vim addiderit poeta locorum in quibus illa vocabula posita sunt gravitate manifestum est. — *callet*] cum infinitivo, ut Iuven. 4, 142: »ostrea callebat primo deprendere morsu.« Pers. 5, 105: »veri specimen dignoscere calles.« — *peius*] pro *magis* positum, sed fortius est; sic Epist. I, 17, 30. Cic. ad Fam. VII, 2: »oderam multo peius hunc quam illum.« — *non timidus*] figura λιτότητος; paratus. cf. Carm. III, 19, 2. Qua figura cur h. l. poeta usus sit perspicuum est; gravis enim sic paratur oppositio quaedam. Sapiens timet quidem flagitium, non timet pro patria mortem.

Carmen X.

Argumentum huius carminis breviter potest indicari hoc versu Virgilii Buc. 2, 17: »O formose puer, nimium ne crede colori.« Et credibile est hoc carmen iam dudum compositum tum demum a poeta ex seriniis sumptum esse, cum librum hunc editurus esset. Quod si verum est, Ligurini nomen ex hoc carmine in primum huius libri transiit. Alii arbitrati sunt, compositum esse hoc carmen eodem anno quo primum huius libri. Cum incerta res sit, nihil moror.

V. 1. *Veneris muneribus*] cf. Hom. Il. III, 54. — *pluma*] metaphorice pro lanugine, cuius mollities bene hoc vocabulo exprimitur. Nostrates prorsus eadem ratione dicunt Flaum, Graeci πτίλον. — *deciderint*] nam tondebatur adulta aetate capillus, quem pueri, imprimis delicati, alere solebant. cf. Carm. II, 5, 21 sqq. Epod.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam,
Dices, heu, quoties te speculo videris alterum:
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

Carmen XI.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederae vis
Multa, qua crines religata fulges;
Ridet argento domus; ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno;

11, 28. — *puniceae*] purpureae, ut Virg. Aen. XII, 77. — *prior*] melior; cf. C. S. 51. Ovid. Heroid. 18, 69: »A Veneris facie non est prior ulla.« — *Ligurinum*] Accusativus hic acerbitatis aliquid habet; barba enim bellum et levem Ligurinum roseo genarum colore privabit et hispidum reddet. Praestat igitur is casus vocativo, quem Bentleium secuti Meinek. Haupt. Linker. Keller. ex codd. receperunt. — *hispidam*] Tibull. I, 8, 77: »Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent Ora nec amplexus hispida barba terit.« — *speculo*] est ablativus instrumenti quem vocant, nec bene in codicibus nonnullis scriptum est *te in speculo*, qua praepositione admissa pronominis *te* vis propter elisionem nimis minuitur. Et docuit Lachmannus ad Lucret. p. 219 in quarto carminum libro vocales longas non elidi. Vide ad Carm. IV, 3, 21. — *alterum*] mutatum. — *his animis*] qui nunc mihi sunt.

Carmen XI.

Ut Lyden Carm. III, 28 ad Neptunalia, sic h. c. Phyllidem ad celebrandum diem natalem Maecenatis, Idus Apriles invitat. Introitus similis est ei quo Maecenatem vocat Carm. III, 29. Sententiae simplici ordine procedunt; ex quibus satis perspicuum est Horatium ex Sabino suo sic scribere, Phyllidem annis nondum provectam, carmen ipsum fortasse ante editos tres libros superiores compositum esse, haud ita multo post Carm. II, 4, anno fere 730. Potuit tamen etiam paulo post editos tres libros haec scribere, cum primum epistolarum librum componeret et ipse vitam rusticam urbanae in dies magis praeferre inciperet. cf. Epist. I, 14. Quinta stropha, quae media est, consilium, quo carmen scriptum est, manifesto aperit.

V. 2. *Albani*] cf. Sat. II, 8, 16. Ex nobilissimis hoc genus vini fuit, deinde quod habuit poeta satis est vetustum ac molle. — *apium*] cf. Carm. I, 36, 16. II, 7, 24. — *religata*] cf. Carm. II, 11, 24. Construe igitur *qua fulges crines religata* i. e. qua imposita crinibus in nodum collectis fulgere soles. Tum *fulges* non est futurum antiqui verbi fulgĕre, neque premendum hoc est, quod hederam Phyllis accipere demum debebat apud Horatium; omnino amabat Phyllis hederaceam coronam, quippe quae bene sciret aptissimam eam sibi esse summam-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem,

Iure sollemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva tenetque grata
Compede vinctum.

Terret ambustus Phaëthon avaras

que venustatem praebere. — *ridet*] splendet. cf. Carm. II, 18, 2. Catull. 64, 44: »fulgenti splendent (sedes) auro atque argento, Candet ebur soliis, conlucent pocula mensae.« — *verbenis*] vide ad Carm. I, 19, 14. — *spargier*] Hoc uno in lyricis loco Horatius hac antiquiore forma usus est. — *immolato agno*] Abstinebant quidem antiqui teste Varrone apud Censorinum c. 2 die natali a caede ac sanguine, ne quo die ipsi lucem accepissent aliis demerent. Sed nihil impediebat Horatium quominus *Maecenatis* die natali pro salute amici agnum diis immolaret. Cf. etiam ad Carm. III, 17, 14. — *pueris puellae*] servi et ancillae. *Puellae* nomen de ancilla rarissimum, sed errari non potest, quia *pueri* praecedunt. — *vertice*] non aedium, sed ipsius flammae et foci. *Trepidare* autem verbum accommodatum est ad incertum ac trepidum flammarum motum. cf. Virg. Buc. 8, 105. Ovid. Met. VI, 296. — *Veneris marinae*] vide ad Carm. I, 3, 1. III, 26, 5. Aprilis Veneri sacer fuit, quia hoc mense ex spuma maris provenisse dicebatur. — *findit*] dividit. Iduum nomen ab antiquo verbo *iduare* i. e. dividere factum dicebant antiqui. — *sanctior*] Tibull. IV, 5, 1: »Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi *sanctus* Atque inter festos semper habendus erit.« — *affluentes*] translatum verbum a leni flumine aquarum ad annos et tempora, ut Epist. I, 1, 23.

V. 21. *Telephum*] Idem nomen Carm. I, 13. III, 19. Tribus locis commune est, quod qui appellatur Telephus a puellis petitur, non ipse petit. — *non tuae sortis iuvenem*] Sic coniunge verba: condicionis longe nobilioris. *Lambinus* coniunxit *non tuae sortis puella*, nimis artificiose. — *compede*] cf. Carm. I, 33, 14. — *Phaëthon*] cf. Ovid. Met. II, 1 sqq. — *Pegasus*] vide ad Carm. I, 27, 24. Bellerophon cum Chimaeram occidisset, temerarius factus ipsum coelum petere conatus est, sed a

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,
Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando
Disparem vites. Age iam, meorum
Finis amorum —
Non enim posthac alia calebo
Femina —, condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

Carmen XII.

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae;

Pegaso deiectus cupiditatis poenas solvit. Pegasus enim Neptuno et Medusa procreatus homini mortali ita tantum servire voluit, ut a Minerva erat iussus. Pind. Isthm. 6, 44. B.: »πτερόεις ἔρριψε Πάγασος δεσπόταν ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς Ἐλθεῖν μεθ' ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν Ζηνός· τὸ δὲ πὰρ δίκαν Γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά.« — *reddas*] cf. Carm. IV, 6, 43. — *minuentur*] melius hoc quam praesens *minuuntur*, quod aliis placuit; quamquam ad solam Phyllidem curas referri nolo. — *atrae*] cf. Carm. III, 1, 40. III, 14, 13. Sat. II, 7, 155.

Carmen XII.

Non ad Virgilium nescio quem unguentarium vel medicum sed ad poetam Virgilium ioci ac iuvenilis hilaritatis plenum carmen scriptum est. Incipit autem ita, ut verni temporis suavitas copiose et eleganter describatur. Iam adest ver, cum vere calor, cum calore sitis. Eam autem optime pellunt vina mediocria. »Sed, inquit, si apud me esse gestis ut apud iuvenes nobiles ac divites, quibuscum esse soles, si Calena vina ducere cupis, agedum dabo, sed ea lege, ut cum in comissatione Calenum nardo carere non possit, tu unguenta praestes.« Est igitur iocabunda ad hilarem comissationem invitatio, neque difficultates movendae sunt ex v. 25; dummodo credatur, carmen scriptum esse a iuvene Horatio ad iuvenem Virgilium, anno fortasse 714 vel 715; cuius quidem dulcissimi amici memoriam edito post multos annos hoc carmine quasi renovare et celebrare Flaccus voluit. Antiqua illa inscriptio: *ad Virgilium medicum Neronum*, cuius auctoritatem etiam Weber secutus est, non videtur esse speciosior quam aliae *ad Virgilium unguentarium, mercatorem, negotiatorem*. Hausta est enim ex ipso carmine, ab iis, qui sciebant, poetam Virgilium, cum liber quartus ab Horatio ederetur, iam mortuum esse et totum librum vulgatum esse in honorem Augusti eiusque privignorum. Compositio carminis ea est, quam frequentem iam invenimus. Septem stropharum media quarta principalem sententiam continet, quam quae praecedunt et

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iam nec prata rigent nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix avis et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula
Delectantque deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum

sequuntur aut viam quasi muniunt aut ubertatem et explicationem addunt. Comparari potest iocosum illud Catulli carmen ad Fabullum (c. 13): »Coenabis bene, mi Fabulle, apud me Paucis, si tibi di favent, diebus, Si tecum attuleris bonam atque magnam Coenam« etc. etc.: »haec si, inquam, attuleris, venuste noster, Coenabis bene, nam tui Catulli, Plenus sacculus est aranearum etc.«

V. 2. *animae Thraciae*] Aquilones, Colum. XI, 2, 21: »Venti septentrionales qui vocantur Ornithiae per dies XXX esse solent; tum et hirundo advenit.« Cum vere mare navibus ex hieme aperitur. *Temperare* igitur est placare. Comparari potest simillimum carminis I, 4 initium. — *infelix avis*] De Procne, Pandionis filia, et Tereo rege, eius marito, lege Ovidium Met. VI, 623 sqq. Hom. Od. XIX, 518 sqq. Schol. Vatic. ad Rhesum 547: »καὶ ἡ μὲν Πρόκνη εἰς ἀηδόνα μετεβλήθη, ὡς καὶ ἡ Φιλομήλα εἰς χελιδόνα.« Neque aliter apud Horatium Procne in lusciniam, Philomela in hirundinem mutata est, contra apud alios latinos poetas Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam. Et luscinia quoque nuntia veris est, ut in fragm. Sapphonis 19. Schneidew.: »ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀηδών.« Olim cum aliis hirundinem indicari putabam, parum reputans, lugubrem cantum non hirundinis, sed lusciniae esse et multo suaviorem esse imaginem lusciniae in arborum ramis quam hirundinis in aedificiorum parietibus nidum ponentis. Compara etiam Virgil. Georg. IV, 511 sqq. Martial. X, 52, 2: »Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbos; Ismarium pellex Attica plorat Ityn;« ubi luscinia est, quae vernum tempus indicat et Ityn plorat, quamquam *pellex Attica* Φιλομήλα est, non Πρόκνη. — *opprobrium*] de persona, ut ἔλεγχος, ὄνειδος apud Homerum. cf. II. II, 235. — *male*] nimis atrociter; de qua adverbii significatione confer Carm. I, 17, 24. Sat. I, 3, 31. 45. I, 4, 66. I, 9, 65. In prosae orationis scriptoribus non facile ullum huius generis exemplum invenietur. — *libidines*] Pluralis amplificandae rei causa: quales esse solent barbarorum regum libidines; quamquam Terei imprimis libido tangitur. — *dicunt*] canunt, ut Carm. III, 4, 1. — *delectantque*] In aliis et codicibus et editionibus *delectante*, ad fistulam vocabulo relato. Sed pastores ipsos deum, Pana, delectare deumque quasi auscultare illis canentibus poetam magis decet. — *nigri*] vide ad Carm. I, 21, 7.

V. 14. *Calibus*] cf. Carm. I, 20, 9. — *ducere*] vide ad Carm. I, 17, 22. — *invenum nobilium*] Agrippae, Pollionis, aliorum, apud quos gratiosus erat Virgilius. Nam nihil nisi favor

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras et studium lucri
Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

et familiaritas quaedam hominum nobilium et maiore loco ortorum in hac clientela quaerendum est. Sic poetae sunt etiam in clientela Musarum. — *nardo*] unguento pretiosissimo, quod ex India et Syria Romam portabatur. Dicit igitur Horatius, se utrumque, et vinum et oleum, praestare neque posse neque velle; neque Virgilium immunem fore ut in ampla ac divite domo, neque (id quod per iocum et risum additur) curandum esse, utrum vinum sit carius an oleum. De pretio nardi cf. Ev. Ioann. 12, 3: »*Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν* (uncias XII) *μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου . . τριακοσίων δηναρίων . . . ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ.*« — *onyx*] concha ex onyche facta. — *eliciet*] Hoc quoque iocose dictum, quasi tam blanda sit vis nardi, ut vini cadus ex horreis Sulpiciis eliciatur. Sed Horatio emendum erat vinum. — *Sulpiciis*] Vide ad Carm. I, 15, 10. Sulpicia horrea publicae quasi apothecae erant, ubi vina vendebantur. — *amara curarum*] vide ad Carm. IV, 4, 76. — *Ad quae*] Imitatus est Auson. epist. 10, 35: »Ad quae si properas, tota cum merce tuarum Veni Camenarum citus.« — *immunem*] *ἀσύμβολον*. — *tinguere*] madefacere, *τέγγειν*. Iocose dictum. — *studium lucri*] Male quidam severo vultu cogitarunt de ficta quadam Virgilii parsimonia aut nimia pretiorum vini et unguenti aestimatione. Quae ridendo scripta sunt, ridendo etiam sunt legenda; nimirum: »agedum, inquit, festina ad convivium; noli retardari magno pretio, mihi tamen vinum carius est.« — *nigrorum*] Quaecunque ad inferos pertinent nigra sunt; igitur etiam rogus. Virgil. Aen. XI, 186. — *dum licet*] referendum ad *misce*; nam »in traiiciendis vocabulis saepe mire audax Horatius«: Meineke, qui comparavit Epist. II, 2, 22. Sat. I, 6, 122. Epod. 9, 3. Carm. II, 11, 15. — *in loco*] Aequabilem vitae cursum nonnunquam grata quadam stultitia interrumpi necesse est, sed iusto et tempore et loco. Dicitur enim *loco*, *in loco* (Epist. I, 7, 57), pro commodo loco, opportune. Menander Mein. p. 150: »*Οὐ πανταχοῦ τὸ φρόνιμον ἁρμόττει παρόν, Καὶ συμμανῆναι δ' ἔνια δεῖ.*« Senec. de tranq. an. 15: »Si Graeco poetae credimus, aliquando et insanire iucundum est.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XIII.

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus et tamen
Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transvolat aridas
Quercus et refugit te quia luridi
Dentes, te quia rugae
Turpant et capitis nives.
Nec Coae referunt iam tibi purpurae
Nec clari lapides tempora, quae semel

Carmen XIII.

Etiamsi hoc carmen referendum videatur ad III, 10, tamen satis longo temporis intervallo post scriptum est. Nam quae ibi aetate floruit Lyce, hic anus facta ne rugis quidem oris deterretur, quo minus amores nectere studeat; et quam iram ibi poeta Lycae minatus est, eam hoc carmine explet. Quodsi Carm. III, 10 Lyce recens nupta annos habuit 22 vel 23, nunc facile duplicem habere potest annorum numerum, ut hoc carmen anno fere 737 vel 738 scriptum esse coniicias. Abundat autem irridendi et vellicandi figuris et artificiis; in qua re non satis possumus admirari frequentem acutarum litterarum *i* copiam in primis versibus conspicuam cum sibilantibus litteris et festivo ludo verborum *fis* et *vis*. Deinde animadvertendi sunt vv. 13–15 propter allitterationem quam vocant vocabulorum *nec — nec — notis*; vv. 17—20 propter *quo — quo — quae — quae*; praeterea v. 1 et 2 *audivere* Lyce — *audivere* Lyce; *te quia — te quia* v. 10 sq.; v. 18 *illius — illius*, alia. Etiam in hoc carmine quarta stropha, quae media est, rem et argumentum clarissime ostendit.

V. 6. *lentum*] tibi non obsequentem. — *excubat*] Sic Soph. Ant. 776: »Ἔρως — ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεανίδος ἐννυχεύεις.« Scilicet ibi quasi in statione quadam est, unde quos velit iuvenes capiat. — *importunus*] iniquus, difficilis, lepide hoc ex mente Lycae, similium. — *aridas quercus*] cf. Carm. I, 25, 19. — *te quia*] Haec quoque magna cum vi in simili versuum sede collocata sunt; nimirum quia in utroque versu diaeresis praecedit, qui legunt redintegrata quasi voce ista irrisionis plena vocabula pronuntiare et audientium animos quam maxime tangere prope coguntur. *Et* part. consecutivam vim habet *et propterea*; quare ita interpungendum fuit, ut bis positum pronomen *te* ex utroque verbo *refugit, turpant* pendere intelligeretur. — *capitis nives*] Quintil. VIII, 6, 17: »Sunt et durae, id est a longinqua similitudine ductae translationes ut *capitis nives*.« Hic ipsa translationis duritate risus movetur. — *Coae purpurae*] tenues ac

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quo fugit venus, heu, quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,
Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae breves
Annos fata dederunt
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen,
Possent ut iuvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

paene pellucidae ex bombycinis filis contextae vestes, ex insula Coo, in quam bombyces ex Oriente apportabantur. Sat. I, 2, 101. — *clari lapides*] uniones splendentes. Sic rectius scribitur quam *cari*, ex codd. Dicere enim debuit poeta, ne unionum quidem splendorem venustatem et iuventutem semel amissam posse referre. Nam nihil ad h. l. valet quod pretiosi etiam sunt uniones. — *notis fastis*] Cf. Cic. Verr. II, 1, 7: »non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse.« Phaedr. I, 11, 2: »Ignotos fallit, notis est derisui.« Sunt igitur fasti, quibus satis notum est quot annos habeas; non: qui omnibus nimis noti sunt. — *venus*] venustas et gratia, ut Epist. I, 6, 38. A. P. 42. — *color*] cf. Carm. IV, 10, 4. — *surpuerat*] cf. Sat. II, 3, 283. De syncope vide ad Carm. II, 2, 2. — *felix*] amata et laudibus celebrata. — *post Cinaram*] Commemoratur haec Cinara, quam vere amasse Horatium omnes existimant, Carm. IV, 1, 4. Epist. I, 7, 28. I, 14, 33. Proprio carmine ea laudata non est. Ubique hoc nomine Horatius iuventutem suam significat; quare primis post reditum ex Macedonia annis Horatio cum Cinara amores fuisse credendum est. Vide ad Carm. I, 19. Weber Cinaram ab Horatio amatam fuisse censet intra annos 717—721. — *notaque et artium*] De genitivo cf. Carm. II, 2, 6. Hic *et* particula pro *etiam* est. Facies autem totam corporis speciem significat, nam: »artium gratarum facies illa dicitur, quae oculis, nutu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet.« Comment. Cruq. — *Cornicis vetulae*] cf. Carm. III, 17, 13. — *dilapsam in cineres facem*] Sic de vetula lasciva Martial. X, 90, 2: »Quid busti cineres tui lacessis?« Est etiam aliquod vocabulorum certamen inter *fervidos iuvenes* et hanc dilapsam in cineres facem. Fax enim amoris iuventus est; ea autem in iuvenibus ardet, in anu combusta in cineres dilabitur. Nonnulli minus recte *delapsam* scripserunt; nam »*labi, collabi* et *delabi in cineres* de aliis rebus dicitur, faces tantum *dilabuntur*. Ovid. Met. X, 628. Valer. Max. 5, 3: »in cineres collabi passus non fuerat;« Lactant. 2, 4 »tecta consumpta incendio dilabuntur in cineres.« Peerlkamp.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XIV.

Quae cura patrum quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Aeternet, o qua sol habitabiles

Carmen XIV.

Supra ad carmen IV notatum est, quo consilio et quo tempore hoc carmen scriptum sit. Restat ut de compositione dicatur. »Tuas, inquit, virtutes, Auguste, neque senatus neque populus digno potest honore colere, quia maximus es per omnem terrarum orbem princeps. Quod quam sit verum quae nuper gesta sunt clarissime demonstrarunt. Tuam enim potestatem nuper senserunt invicti adhuc Vindelici, cum Drusus ad summa Alpium iuga pertinaces hostes fugaret, Tiberius ingenti proelio immanes Raetos vinceret quidquid obiiciebatur prosternens et ipse incolumis. Tu enim, Auguste, praebueras ei tuum exercitum, tuum consilium, tuos deos. Magno tu quidem deorum favore gaudes, qui vel hac re ostenditur quod eo ipso die, quo ante quindecim annos Alexandriam ingressus eras, terribile hoc bellum composuisti.« Sic Horatius magnam hanc de Gallis victoriam sapienter et egregie coniungit cum eo die qui Augusto imperium olim totius orbis dederat: in qua re Romanorum pietas non potuit non videre deorum voluntatem. Augustus autem imperium tenet omnium terrarum, cuius potestati obnoxii sunt Hispani, Parthi et Indi, Scythae i. e. omnes populi ab Occidente ad ultimam Orientis oram; Augustus quasi decus et praesidium est urbis Romae et urbs Roma domina est terrarum; hunc timet Africa (Nilus), Europa (Ister), Asia (Tigris), hunc metuunt atrocissimae gentes, Britanni, Galli, Iberi, Germani. — Perfectum omnino et quasi rotundum est carmen. Altera et principalis pars, ad quam sustentandam prior laudes Neronum et praecipue Tiberii tanquam argumenta praebet, quam verum sit illud quod in initio carminis positum est: *o qua sol habitabiles illustrat oras, maxime principum*, firmissimis sententiis probat. Victoria enim de Gallicis populis reportata occasionem magis ad carmen componendum praebuit quam ipsa praedicatur; omnis gloria cumulatur in Augustum; ad quem quanta arte transgrediatur poeta vide v. 33. De bello Raetio cf. Strab. IV, 6: »πάντας δ' ἔπαυσε τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δρουσος θερεῖ μιᾷ.« Vellei. Paterc. II, 95: »Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli molem experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem inter Caesaris penates cnixa erat Livia; quippe uterque divisis partibus Raetos Vindelicosque aggressi *multis urbium et castellorum oppugnationibus* nec non *directa* quoque *acie* feliciter functi gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, *maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine* perdomuerunt.«

V. 2. *plenis*] iustis. Sic enim coniungendum est: *plenis muneribus honorum*. — *titulos*] Sunt statuae et monumenta publica Augusti laude inscripta. — *fastos*] vide ad Carm. III, 17, 4. — *aeternet*] Praeter h. l. semel tantum hoc verbum apud scriptores Romanos legitur, in Varronis aliquo fragmento ap. Non. II, 57: »litteris ac laudibus aeternare«, sed grave verbum est et Horatio dignissimum. Ceterum *in aevum aeternare* idem est quod Ovid. Met. I, 662 dixit *aeternum extendere in aevum*, neque est necessarium, ut cum *Peerlkampio* scribamus etiam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Illustrat oras maxime principum?
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses; milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici;
Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanesque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis;
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster Pleïadum choro

apud Horatium *extendet*. — *principum*] Hoc nomine gaudebat Augustus, qui etiam mortuus laudabatur, quod »non regno neque dictatura, sed principis nomine« rem publicam constituerat. Tacit. Ann. I, 9. — *Quem didicere*] Attractionis quodam genere quod subiectum esse debebat verbi *posses*, cum primario verbo *didicere* coniunctum est; qua constructione apud Graecos frequentius est nihil; cf. Terent. Eun. IV, 3, 15: »ego illum nescio qui fuerit.« — *nam*] vide ad Carm. I, 18, 3. — *Genaunos*] Genauni et Breuni Alpinae gentes fuerunt ad fontem et ripas Aeni fluvii. Strab. IX, 6, 8, »Οἱ Οὐϊνδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐντὸς παρωρείαν κατέχουσι τὸ πλέον μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων, ἤδη τούτων Ἰλλυριῶν.« cf. *Hormayr* Gesch. von Tyrol. p. 36: »In *Valgenaun* verräth sich der Genaunen uralter Sitz, um das Brenner-Gebirge die Wohnstätte der Brennen oder Breonen. Noch im IX. Jahrhundert trieb hier ein durch alle Stürme der Völkerwanderung erhaltenes Geschlecht der ältesten Einwohner (Natio Noricorum et Brennariorum) sein Wesen.« — *implacidum*] h. v. ante Horatium a nullo scriptorum qui supersunt usurpatum est. — *arces*] castella, quae in Alpibus barbari habebant. Epist. II, 1, 252. — *vice simplici*] quia plures hostium prostraverat, quam suorum militum perdiderat. Notandum rarius genus constructionis *plus vice* pro *plus quam vice*; sic Carm. I, 13, 20. cf. etiam Epist. I, 10, 39 sq. — *certamine*] Solita caesura in hoc nomine neglecta est. — *prope qualis*] Rarus quidem in comparationibus poetarum est usus particulae *prope*, sed cfr. Cato apud Gell. N. A. XI, 2 »vita humana *prope* uti ferrum est«; et Hor. Sat. II, 3, 268. Habet autem illa aliquam cautionem dictionis, non dissimilem illi, qua Graeci nimiam gravitatem minuebant addito indefinito pronomine τις vel particula σχεδόν. — *Pleïadum choro*] Pleïades Atlantis septem filiae inter stellas relatae, latine Vergiliae, sicuti, ubi mane i. e. heliace oriebantur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris,

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor,

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos. Nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

(Non. Mai.), serenae aestatis initium tutamque navigationem, ita ubi mane occidebant (VI. Id. Nov.), procellosae hiemis initium periculosamque navigationem ostendere existimabantur. — *per ignes*] Tiberius ipse fortiter pugnavit et immiscuit se ardentissimae pugnae. cf. Sat. II, 3, 56. Epist. I, 1, 46. Silius XIV, 175: »per medios ignes mediosque per enses.« XV, 41: »per medias volitare acies mediosque per ignes.« — *tauriformis*] Fluvii solebant fingi cornuto capite, imagine petita ab ingenti aquarum mugitu. cf. Hom. Il. XXI, 237. Virg. Georg. IV, 371. Aen. VIII, 77. Eadem comparatione usus est Hom. Il. V, 87. — *qui regna Dauni*] Memorabilis est adnotatio *Bentleii*: »Quin et hic etiam, si codex ullus astipularetur, libentius legerim *Qua regna Dauni*, ut et infra fortasse v. 47 *Te beluosus qua remotis*. Non enim geographum hic agit, ut situs fluviorum quasi ex professo doceat. Catull. 11: »Sive in extremos penetravit Indos Sive *qua* septemgeminus colorat Aequora Nilus.« — *praefluit*] vide ad Carm. IV, 3, 10. cf. Plin. H. N. III, 11: »Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium praefluens.« — *meditatur*] Alii ex codd. *minitatur*. Illud tamen magis aptum est ad personam quam induit Aufidus fluvius; audacior etiam translatio lyrico carmine multo videtur esse dignior. cf. Virg. Bucol. 5, 60 sq.

V. 30. *ferrata*] ferreis loricis tecta. — *diruit*] Hoc quoque audacter translatum est ad ordines hostium, sed egregie describit ingentem vim, qua opus erat ad disiiciendam Gallorum aciem; quae quia *ferrata* est, etiam diruitur. cf. Liv. XXXIX, 18: »Bacchanalia diruere.« — *metendo*] Sic de caede militari Virg. Aen. X, 513. Silv. IV, 464: »metit agmina tectus Coelesti clipeo.« Cfr. Hor. Epist. II, 2, 178. — *stravit humum*] cf. Carm. III, 17, 12. — *praebente divos*] cf. Suet. Aug. 21: »domuit partim ductu partim *auspiciis suis* Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, item Raetiam et Vindelicos ac Salassos.« — *Alexandrea*] Utraque forma usi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae!

Te fontium qui celat origines
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te beluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non paventis funera Galliae

tata, Alexandrea et Alexandria, Antiochea et Antiochia. Fuit is dies Kal. Sext. — *vacuam*] mortua Cleopatra. — *arrogavit*] Epist. II, 1, 35. A. P. 122. Est autem haec verbi significatio poetica pro dare alicui aliquid ut suum. *Imperia* autem sunt expeditiones et bella olim feliciter gesta, quibus eo die fortuna novam laudem addidit. — *Cantaber*] cf. Carm. II, 6, 2. III, 8, 22. — *Indus*] Sueton. Oct. 21: »Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt et signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.« — *profugus*] cf. Carm. I, 35, 9. III, 24, 9. — *celat*] Lucan. X, 295: Nili Arcanum natura caput non prodidit ulli.« Plin. H. N. V, 9: »Nilus incertis ortus fontibus it per deserta et ardentia.« — *Tigris*] Plin. H. N. VI, 27: »Ipsius (nomen) qua tardior fluit, Diglito; unde concitatur, a celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam.« — *beluosus*] μεγαχήτης. Plin. H. N. IX, 5: »Tiberio principe contra Lugdunensis provinciae littus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans destituit oceanus, mirae varietatis et magnitudinis, nec pauciores in Santonum littore, interque reliquas elephantos et arietes, candore tantum cornibus assimulatis, nereidas vero multas.« Ac similiter Tacit. Ann. II, 24 de Romanis Germanico duce adversis ventis ex Amisia flumine in Britanniam delatis: »Ut quis ex longinquo revenerat, *miracula* narrabant, *vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas*, visa sive ex metu credita.« Etiam apud Pausan. I, 3, 5 Oceanus παρέχεται θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ. Verba poetae non sunt tentanda cum Peerlkampio, qui *Te bellicosis qua remotus* scribendum esse censuit. — *obstrepit*] cf. Carm. II, 18, 20. — *Britannis*] cf. Carm. I, 21, 15. I, 35, 30. III, 5, 3. — *non paventis*] vide Caes. B. G. VI, 14. Aelian. V. H. XII, 23: »Ἀνθρώπων ἐγὼ ἀκούω φιλοκινδυνοτάτους εἶναι τοὺς Κελτούς. Τῶν ἀσμάτων οὖν ὑποθέσεις ποιοῦνται τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἀποθανόντας ἐν τῷ πολέμῳ καλῶς.« Lucan. I, 454 de Gallis: »quos ille timorum Maximus haud urget, leti metus: inde ruendi In ferrum mens prona viris animaeque capaces Mortis et ignavum redituraе parcere vitae.« — *durae*] cf. IV, 5, 27. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Duraeque tellus audit Hiberiae,
Te caede gaudentes Sugambri
Compositis venerantur armis.

Carmen XV.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,

Sugambri] Graece *Σύγαμβροι* et *Σούγαμβροι*. Hi Lollium a. 737 magna clade affecerunt; inde quia Romanis terribiles erant, caede gaudere dicuntur. Suet. Oct. 21: »Germanos ultra Albim fluvium summovit; ex quibus Ubios et Sugambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit.« Eutrop. VII, 9; »Tiberius CCCC. M. captivorum ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit;« quamquam apud Sueton. Tiber. c. 9 legitur: »*quadraginta* milia dedititiorum traiecit in Galliam.«

Carmen XV.

Celebrantur Augusti quasi pacificatoris orbis honores ac merita; ad quae non insolito quidem sed proprio modo aditus sic paratur. »Bella, inquit, et victorias cum canere vellem, prohibitus sum ab Apolline, ne parvo carmine magnas res deterrerem. Sed est etiam alia ratio tuarum laudum, Caesar; tu enim non bellorum solum gerendorum sed pacis etiam restituendae artifex es, tu huic aetati pacem et eius omnia beneficia reddidisti.« Sic prima strophа coniungitur cum reliquis septem, quarum media, quae est totius carminis quinta, generalem sententiam habet de securitate totius imperii imperante Caesare Augusto; quam securitatem quibus artibus paraverit magnus ille vir, strophae ostendunt secunda, tertia, quarta. Deinde tribus extremis strophis bene describitur quid Augusti imperium et auctoritas in populos valuerit, primum in hostiles et barbaros, tum in ipsos Romanos. — Temporis quo scriptum sit carmen non certa quidem sed multa insunt vestigia. Nam praeter vv. 9. 16. 22, ex quibus potest aliquid effici, versus 21 demonstrat, cum hoc scriberetur, victos iam fuisse Raetos et Vindelicos; unde probabile est, carmen compositum esse vere anni 741, quo tempore Augustus ex Germania et Gallia rediit. Nam quod dicunt, v. 9 annum respici 744, quo Ianum tertium clausum affirmant, id duplici ratione infirmum est; nam primum universe laudatur Augustus, quod sua aetate Ianus clausus sit — id quod bis factum erat a. 725 et 729 —, deinde quamquam diserte scriptum est apud veteres, sene Augusto tertium Iani templum clausum esse, incertum tamen est quo id anno factum credamus. Quare in tam dubia re recte iudicatum est, non debere hoc carmen ab reliquis huius libri sine necessitate nimis removeri.

V. 2. *increpuit lyra*] pulsata lyra me admonuit, ne relictis levioribus carminibus grandia tentarem, quibus impar esset mea lyra. Apollo enim quasi choragus est, qui cantores ab rectis modis aberrantes graviter tacta lyra interpellat et *increpat* i. e. corrigit, erroris admonet. cf. Ovid. A. A. II, 493: »Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo Movit inauratae pollice fila lyrae.« Virg. Bucol. 6, 3: »Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem Vellit et admonuit.« Cave igitur, ne iungas *loqui lyra*, quo perversius vix quidquam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas
Fruges et agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis

Ianum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Iniecit emovitque culpas
Et veteres revocavit artes,

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortus
Solis ab Hesperio cubili.

potest cogitari. — *parva*] Non insolita poesis comparatio cum navigatione. cf. Propert. III, 9, 3: »Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor? Non sunt apta meae grandia vela rati.« Tyrrhenum autem mare non pro quovis mari, sed pro vasto, aperto mari positum est. — *uberes*] cfr. Carm. IV, 5, 18. — *signa*] Restituta a Parthis arma a. u. 734, Crasso aliisque olim erepta, inter pacifica Augusti opera commemorari bene poterant, quia non bello coacti sed solo nominis Augusti terrore permoti Parthi sua sponte ea reddiderant. Quam rem Augustus pro magna victoria habuit. Quare Horatius eam cum clauso Iano etiam Epist. II, 1, 225 coniungendam putavit. — *postibus*] templorum, in quibus suspensa fuerant. Peregrinis igitur diis erepta arma restituit Augustus *nostro Iovi*, i. e. rectis diis; quamquam re vera non Iovi sed Marti Ultori Augustus ea dicavit. Cf. Epist. I, 18, 56. — *Ianum Quirini*] In hac re summa Augusti cernitur laus. Nam: »Ianum Quirinum, inquit Suetonius (Oct. 22), semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit.« Dicebant quidem *Ianum Quirinum*, sed omnes codd. praebent *Quirini*. Reliquit Horatius vulgarem formulam, ut Ianum a Quirino positum Quiritium esse indicaret. — *ordinem rectum*] Per bella civilia pudor et severitas impudicitiae et luxuriae cesserant; restituit quantum quidem potuit Augustus castos mores legibus a. 736 de pudicitia atque de maritandis ordinibus perlatis. Cf. Carm. IV, 5, 21 sq., quod carmen totum cum hoc apposite comparari potest. — *artes*] Intelliguntur frugalitas, patientia paupertatis, iustitia, continentia animi. — *emovitque*] Legitur etiam in codd. *amovitque*: illud tamen Horatianum. cf. Sat. II, 3, 28. Epist. II, 2, 46.

V. 15. *ad ortus*] Multi editores singularem numerum *ortum* ex codd. praetulerunt, nimirum ne toties sibilet littera *s*; a qua quam non abstinuerit Horatius ut intelligas, compara hos locos: Carm. I, 2, 1. I, 12, 5. II, 18, 14. III, 7, 8. III, 17, 9. III, 18, 3. 4. III, 23, 1. III, 27, 73, alios. Deinde pluralis locum significat quo quotidie iteratur so-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.

Non qui profundum Danubium bibunt
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti;

Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi
Cum prole matronisque nostris
Rite deos prius apprecati

Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis

lis ortus. Eo enim consilio poetae pluralem saepe praetulerunt, ut quae certis temporibus certo ordine redirent ad exemplum naturae verborum vi describerentur. cf. Carm. III, 24, 37. III, 19, 6. Virg. Georg. II, 481. — *custode rerum*] cf. Carm. III, 14, 14. — *exiget*] In codd. legitur etiam *eximit*, *eximet*, *exuet*. Hoc extremum ex errore scribarum ortum est; alterum *eximet* a recentibus etiam editoribus praelatum ex glossa ortum videtur; nam ita saepius Horatius, veluti Carm. II, 2, 19. III, 14, 14. Epist. I, 5, 18. II, 2, 212. *Exigere* autem, exquisitius hoc certe loco vocabulum, est quasi extra agere, expellere. Cicer. Or. II, 48: »Neque reges ex hac civitate *exigi* sine nobilium dissensione potuisse.« Plaut. Aul. III, 1, 7: »Itaque omnes exegit foras.« Etiam Porphyrion aperte legit *exiget*: »*exiget* nunc *excludet* significat, quasi ἔξω aget.« — *vis*] bellica. — *inimicat*] inimicas inter se reddit. Grave hoc vocabulum Horatius primus ausus esse videtur; quare Porphyrion: »*inimicat* fictum verbum est.« — *bibunt*] vide ad Carm. II, 20, 20. Indicantur autem Vindelici et Pannonii. — *edicta Iulia*] leges ab Augusto iis impositas, foedera, pacta, — *Seres*] cf. Carm. I, 12, 56. et ad Carm. III, 29, 27. — *infidive Persae*] Sic rectius quam *infidique*; affertur enim novum Persarum exemplum. Infidi autem dicuntur, quia saepius pactiones cum Romanis initas violarunt. — *profestis lucibus*] cf. Sat. II, 2, 116. — *iocosi Liberi*] cf. Carm. III, 21, 15. — *apprecati*] Praeter h. l. hoc verbum non legitur nisi bis apud Apuleium. — *more patrum*] De his laudibus maiorum in epulis celebratis vide Cic. Tusc. I, 2. IV, 2. — *duces*] quorum grata memoria animi hominum delectantur et superbia quadam implentur. cf. Hom. Il. IX, 189. — *remixto*] Etiam hoc verbum *remiscere* pro *miscere* rarissimum; nam praeter duos Horatii locos (vide A. P. 151) duo tantum videntur esse loci Senecae, in quibus reperiatur. — *Lydis tibiis*] i. e. tibiis, quibus canitur ad modum Lydium. Ex diversis enim modis musicis (harmoniis) Lydius mollis et hilaris fuit conviviorumque hilaritati aptissimus. Ceterum compara hunc locum Plat. Polit. III, 10: »*Τίνες οὖν μαλακαί τε καὶ συμποτικαὶ τῶν ἁρμονιῶν; ἡ ἰαστί, ἥ δ' ὅς, καὶ λυδιστί, αὗται χαλαραὶ καλοῦνται. Ταύτας*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

οὐν, ὦ φίλε, ἐπὶ πολεμικῶν ἀνδρῶν ἔσθ' ὅ τι χρήσει; Οὐδαμῶς, ἔφη, ἀλλὰ κινδυνεύει σοι ἡ δωρισὶ λείπεσθαι καὶ φρυγιστί.« — progeniem Veneris] totam gentem Iuliam ab Iulo, Aeneae filio, ortam. Sic sensim ascendit oratio ad Augustum, qui ex tota stirpe Iulia summus et optimus a laetis et gratis convivis carminibus celebratur et libationibus colitur. cf. Carm. IV, 5, 31 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI

E P O D O N

LIBER.

Carmen I.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo:

Carmen I.

Epodorum librum editum videri anno 725 supra iam p. 16 dictum est; falsa enim eorum est opinio quibus Octavianus tam infirmo et pusillo, Horatius tam vili et humili animo fuisse videbatur, ut quae in his inessent liberiora carmina (Epod. 7. 16) neque illum benevole accipere potuisse neque hunc in vulgus edere ausum esse sibi persuaderent et mortuo demum Horatio Epodos a grammatico aliquo collectos esse affirmarent. Nomen autem hoc genus carminum accepit a metro, quo duo simplices versus ita coniunguntur, ut aut longiorem brevior excipiat aut breviorem longior sequatur. Quo metri genere ad exemplum Archilochi et aliorum Graecorum Horatius usus est in omnibus his carminibus excepto decimo septimo, quod, siquidem non metri, rei tamen natura reliquis cognatum est; de qua re memorabilis locus est ipsius poetae Epist. I, 19, 23. Monendum tamen est ne quis omnia quae in Epodis legantur nomina propter Archilochi imitationem vera statim habeat; immo vero consentaneum est in Epodis quoque fictis interdum nominibus aequales Horatii celari.

Anno u. c. 723 cum bellum in Cleopatram et Antonium pararetur, Maecenas Octavianum in bellum comitandi consilium cepit. Horatius pro necessitudine quae ei erat cum illo viro suum esse hoc carmine professus est, iisdem sese periculis quae amicus obiret obiicere. Etenim »tu, inquit, Maecenas, amicum tuum Octavianum comitaturus es in extrema belli pericula, idem ne ego faciam vetas. In qua re qui putas me tibi posse obtemperare? Immo paratus sum omnia tua pericula libenter obire, non lucri et praedae causa sed quia praesens tibi minus timeo quam Romae relictus.« Haec Horatius; Maecenas deinde qui urbanis negotiis praeesset ab Octaviano relictus captum ante consilium non est persecutus.

V. 1. *Liburnis*] Liburnae vel Liburnicae naves erant parvae et velocissimae a Liburnis, gente Illyrica, nominatae. Plura vide infra in Excursu. — *si superstite*] Alii *sit superst.*, quod minore codicum auctoritate nititur. Vocabula *te superstite*, quorum alterum in caesura alterum in fine versus collocatum est, locis distracta metro coniunguntur; non aliter v. 17 vocabula *minore metu*. Ordo hic est: quibus vita si te superstite (sit), iucunda; si contra, gravis. Similiter *esse* verbum omissum infra v. 8, ubi ellipsis sic explenda erit: non dulce

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid nos, quibus te vita si superstite
Iucunda, si contra gravis?
Utrumne iussi persequemur otium
Non dulce ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus et te vel per Alpium iuga
Inhospitalem et Caucasum,
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges tuum labore quid iuvem meo
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet;
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non ut adsit auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae,

futurum, ni tecum simul *persequemur*. Vide ad Carm. I, 20, 3. Ritterus ex coniectura *si est superstite*. — *si contra*] »posterius *si* pro *sin* ponitur, ut alii scriptores loqui amant, nunquam Horatius.« Bentl. — *utrumne*] cf. Sat. II, 2, 107. II, 3, 295. 317; ex usu poetarum, nam quod apud Ciceronem saepius legitur, veluti Tusc. IV, 27: »*utrum* illud*ne* non videatur aegre ferendum, *an*«, id longe diversum est; etenim *ne* part. per se quidem supervacanea est, sed vim addit vocabulo, cui adhaeret. — *laborem*] militiae. — *Caucasum*] cf. Carm. I, 22, 6. — *imbellis*] Carm. II, 6, 7. Alterum *firmus* ad valetudinem pertinet. — *Comes*] Respondent haec ad praecedentem interrogationem. — *Ut assidens*] »Quemadmodum avis implumibus pullis assidens serpentium impetus magis timet cum eos escae quaerendae causa reliquit, quam cum apud eos sedet, etiamsi praesens nihil possit auxilii ferre, ita ego quoque minore metu crucior praesens quam absens.« *Relictis* dativus est suspensus a verbo *timet* — *ut adsit*] i. q. etiamsi adsit. Altera lectio *uti sit*, quam Bentl. Meinek. Haupt. Linker. probarunt, orta est ex correctura mendi *ut sit*, quod in multis codd. reperitur; *Kellero* lectio *uti sit* propter nimiam vocalis I frequentiam improbanda videtur. Porphyrion rectam habet lectionem, quamquam prave explicavit. — *militabitur bellum*] Audacter et nove dictum. Sed compara similia Carm. III, 19, 4. III, 3, 43. Epist. I, 16, 25. — *in spem*] Particula *in* exprimitur res, cui efficiendae aliquid est destinatum, ad quam consequendam impellimur ad agendum. Tacit. Agric. 24: »partem Britanniae, quae Hiberniam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis,
Neque ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit; haud paravero
Quod aut avarus ut Chremes terra premam
Discinctus aut perdam nepos.

adspicit, copiis instruxit *in spem* magis quam ob formidinem.« Liv. XXI, 43, 7: »in hanc opimam mercedem arma capite.« Id. XLIV, 25, 10: »malebat *in spem* Romanae pacis non recusare impensam.« — *nitantur mea*] In antiquissimis quidem libris *meis*; at Bentleius: »possessivum, inquit, cum propiore nomine coniungi debet: neque vero in *meis pluribus iuvencis* aut duplex adiectivum aut prava et luxata collocatio tolerari potest.« — *Calabris*] »neque ut maxima ego latifundia habeam, quibus greges ante calores solis ex fervida Calabria in Lucaniam minus aestuosam aestivatum mittere possim.« Varro R. R. II, 1, 16: »Mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus aestivabant.« De mutandi verbo vide ad Carm. I, 17, 2. — *sidus fervidum*] ante Caniculae ortum. — *pascuis*] In codd. legitur etiam *pascua*. At Bentleius: »nos, inquit, ideo *pascuis* praeferimus, ne in tribus continuis epodis eadem exeat terminatio.« — *superni Tusculi*] Antiquum Tusculum in summo monte conditum erat, ubi nunc est *la villa della Rufinella*, non in clivo leniter assurgente, ubi nunc situm est oppidum *Frascati*; iam cum haud dubie amoenior esset villa quae haud procul a moenibus oppidi et in superiore parte collis quam quae in inferiore erat sita, nihil erit causae cur relativum adiectivum *supernus*, quo infernae v. inferioris partis ratio habetur, ad exemplum loci Carm. III, 4, 23 in *supini* cum Bentleio mutetur. *Supernus* neque apud Ciceronem neque apud Caesarem legitur. — *Circaea moenia*] vide ad Carm. III, 29, 8. — *satis*] cf. Carm. II, 18, 12. III, 16, 38. Sat. II, 6, 1. — *Chremes*] Exemplum avari senis ex Menandri aliqua fabula. — *discinctus*] luxuriosus; discingi enim ut corporis ita animi mollitiem et turpitudinem quandam designat. Ovid. Am. I, 9, 41: »Ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus.« — *perdam nepos*] Sic antiquissimi codices; unde postea factum videtur *perdam ut nepos*, quod Linker. Ritter. Keller. probarunt, Meinek. Haupt. merito repudiarunt. cf. Epod. 2, 5.

Excursus de Liburnis.

Appian. de reb. Illyr. c. 3: »Καὶ ναυτικοὶ μὲν ἐπὶ τοῖς Ἀρδιαίοις ἐγένοντο Λιβυρνοί, γένος ἕτερον Ἰλλυριῶν, οἳ τὸν Ἰόνιον καὶ τὰς νήσους ἐλῃστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις· ὅθεν ἔτι νῦν Ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα Λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν.« Idem bell. civ. II, 39: »ἕτερον γένος Ἰλλυριῶν Λιβυρνοὺς, οἳ τὰ περίοικα νησὶ ταχείαις ἐλῃΐζοντο· καὶ Λιβυρνίδας ἐντεῦθεν ἡγοῦνται Ῥωμαῖοι τὰς ναῦς τὰς ταχείας, ὧν ἄρα πρώτων ἐς πεῖραν ἦλθον.« Liburni igitur, gens Illyrica, piraticam diu ac feliciter facientes tantam rerum maritimarum peritiam adepti sunt, ut Pompeius contra Caesarem (cf. Caes. b. c. III, 5) et Octavianus contra

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sextum Pompeium (Appian. b. c. V, 99: »διεφθάρατο δ' αὐτῷ [Καίσαρι] νῆες βαρεῖαι μὲν ἑξ, κουφότερα δὲ ἓξ καὶ εἴκοσι, λιβυρνίδες δὲ ἔτι πλείους«) et contra Antonium (Veget. de re mil. V, 3. »Augusto dimicante Actiaco proelio, cum *Liburnorum* auxiliis praecipue victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, *Liburnorum* naves ceteris aptiores«) eorum auxilio uteretur. Navigia eorum propter celeritatem et agilitatem aptissima erant et in ipsis pugnis ad cingendas magnas naves et post proelia ad persequendos hostes. Plutarch. Anton. c. 67: »Ἐν τούτῳ δὲ Λιβυρνίδες ὤφθησαν διώκουσαι παρὰ Καίσαρος.« Praeterea iis utebantur duces, ut celeriter mare traiicerent (Sueton. Octav. c. 17: »repetit Italiam tempestate in traiectu bis conflictatus, primo inter promontoria Peloponnesi atque Aetoliae, rursus circa montes Ceraunios, utrobique parte *Liburnicarum* demersa, simulque eius, in qua vehebatur, fusis armamentis et gubernaculo diffracto«) vel ut classem circumveherentur adhortandorum militum causa vel alios ad usus. Appian. b. c. V, 111: »Λιβυρνίδος δὲ αὐτὸς ἐπέβαινε καὶ περιέπλει πάντας παρακελῶν.« Iam cum certum sit, in pugna Actiaca Antonium altiores et mole sua impeditas naves habuisse, Octavianum minores et faciliores, plurima pars interpretum *Liburnis* hoc Horatii loco Octaviani, *altis navium propugnaculis* Antonii classem indicari opinantes sic locum sunt interpretati: »Caesaris navibus ibis inter ingentes illas naves Antonii, cum hoc depugnaturus.« Non recte, opinor. Primum enim Octaviani classis non ex solis Liburnis composita erat, sed naves habuit satis altas, quamquam humiliores quam maximae erant Antonii. Florus IV, 11: »Nobis CCCC amplius naves, CC non minus *hostium*, sed numerum magnitudo pensabat; quippe *a senis in novenos remorum ordinibus*, ad haec turribus atque tabulatis allevatae castellorum et urbium specie; *Caesaris naves a triremibus in senos nec amplius ordines creverant*, itaque habiles ad omnia quae usus poscebat cet.« Plut. Anton. 61: »Ἀντωνίῳ μὲν ἦσαν αἱ μάχιμοι νῆες οὐκ ἐλάττους πεντακοσίων, ἐν αἷς ὀκτήρεις πολλαὶ καὶ δεκήρεις.« Inde intelligitur, maiores naves Octaviani bene potuisse dici *alta propugnacula*. Plin. H. N. XXXII, 1, 1: »Armatae classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut e muris.« Cic. Verr. II, 5, 34: »Navis ita magna, ut propugnaculo ceteris possit esse.« Nec, si Octavianus nullas habuisset nisi parvas naves, potuisset Virgilius scribere Aen. VIII, 691 sqq.: »pelago credas innare revulsas Cycladas aut montes concurrere montibus altos: Tanta mole viri turritis puppibus instant.« Deinde non video quomodo qui illa ratione locum Horatii interpretari velint, particulam *inter* intelligant. Nam si Maecenas *inter* alta navium propugnacula iturus est, non est pugnaturus contra ea, *inter* quae proficiscitur, sed cum iis contra hostes. Itaque non dubito iis accedere, qui *Liburnas* h. l. ea navigia esse voluerunt, quibus ad traiiciendum mare Adriaticum usurus erat Maecenas, ut pugnae quae instabat interesset. Ceterum Liburnicae rostra habuerunt et *κατασπώματα*. Plin. H. N. IX, 6: »Hoc scire orcas, infestam his (balenis) beluam. Irrumpunt ergo in secreta ac vitulos earum ac foetas, vel etiamnum gravidas lancinant morsu incussaeque ceu *Liburnicarum rostris* fodiunt.« Id. X, 23: »Olores Liburnicarum modo rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent.« Plut. Ant. 67: »ἐν τούτῳ δὲ λιβυρνίδες ὤφθησαν διώκουσαι παρὰ Καίσαρος· ὁ δ' (Ἀντώνιος) ἀντίπρωρον ἐπιστρέφειν τὴν ναῦν κελεύσας τὰς μὲν ἄλλας ἀνέστειλεν· Εὐρυκλῆς δ' ὁ Λάκων ἐνέκειτο σοβαρὸς, λόγχην τινὰ κραδαίνων ἀπὸ τοῦ κατασπώματος ὡς ἀφήσων εἰς αὐτόν.« Propert. III, 9, 44: »Liburna rostra.« Posteriore tempore ea quoque navigia, quibus divites et nobiles aut itineris faciendi aut delectationis causa per mare navigabant (Jachten), *Liburnicae* appellabantur. Sueton. Calig. 37: »Fabricavit et deceres Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum et porticuum et tricliniorum laxitate magnaque etiam vitium et pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter choros ac symphonias littora Cam-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

paniae peragraret.« id. Neron. c. 34: »datoque negotio trierarchis, qui *Liburnicam*, qua advecta erat (mater) velut fortuito concursu confringerent, protraxit (Nero) convivium.« *Vegetii* denique seu Valentiniani imperatoris aetate omnes naves bellicae appellabantur Liburnae. Veget. V, 3: »Liburnia namque Dalmatiae pars est, Iadertinae subiacens civitati, cuius exemplo nunc naves bellicae fabricantur et appellantur Liburnae.«

Carmen II.

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,

Carmen II.

Inducitur Alfius, fenerator eius aetatis notissimus, molliore quadam animi affectione nescio quo casu motus et rusticae vitae suavitates deliciasque facundo ore praedicans. Cuius qui seriam et severam orationem per sexaginta sex versus continuatam audiverit, exspectabit certo hunc hominem fenore posito urbem et negotia statim esse relicturum. Quae quidem spes egregie fallitur, nam »Naturam expellas furca, tamen usque recurret« (Epist. I, 10, 24). Laudat vir ille bonus vitam rusticam, redigit pecuniam in fenore positam Idibus tanquam praedia empturus, sed vincit avaritia et proximis Kalendis pecunia iterum fenori datur. Omnis carminis εἰρωνεία inest in gravi illo ἀπροσδοκήτῳ, quo homines alia saepe laudant alia sequuntur. Est igitur tota descriptio ex illo genere, quod satira prima alia ratione propositum et castigatum legimus. Fuerunt qui Horatium Virgilii locum Georg. II, 458 sqq. amabili quadam irrisione respexisse putarent; fuit etiam qui ad Tibulli carmina quaedam libri primi totum carmen accommodatum diceret; neutrum habet idoneas quibus possit recte defendi causas. Quo tempore carmen scriptum sit, non potest dici. Mirum est quod non pauci codices antiqui ex hoc uno carmine duo fecerunt, quorum alterius initium est v. 23. Ceterum Alfii etiam Columella mentionem fecit I, 7, 2: »Vel optima nomina non appellando fieri mala fenerator Alfius dixisse verissime fertur.«

V. 1. *negotiis*] saepe de omni genere quaestus, sed imprimis de eo quod ex fenore redit. Epist. I, 6, 38. — *exercet*] eleganter pro *subigit*. cf. Carm. IV, 14, 21. Virg. Georg. I, 99. — *truci*] ob sonitum ut hostibus ita saepe dormientibus vel otiantibus militibus terribilem. Lucan. IV, 395: »certos non rumpunt classica somnos.« Veget. II, 22: »Classicum appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperii, quia classicum canitur imperatore praesente vel cum in militem capitaliter animadvertitur.« — *ergo*] Ab his igitur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesve falce ramos amputans
Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,

molestiis agricola cum liber sit, totum se dare potest naturae amoenitatibus; quarum quidem magna quaedam tabula deinde proponitur. — *adulta propagine*] Novellae vites tertio anno cum radices satis egisse viderentur, *maritari* solebant. Vide ad Carm. II, 15, 4. *Altas* adiectivum ex natura earum arborum petitum non est inane neque mutandum in *albas*, in quod incidit Lambinus. — *aut in reducta*] Ne maritatio vitium ab simili opere putationis et insitionis arborum separaretur, multi editores invitis codicibus hunc versuum ordinem restituendum censuerunt, ut versus 11. 12 insequentium versuum 13. 14 locum occuparent. Maritatio autem mense fit Octobri, putatio et insitio Martio; inter utramque ad ordinem anni et naturae armentorum prospectus ponitur ut laborum intermissio et agricolarum voluptas. cf. Carm. I, 17, 17. — *inutilesve*] Sic ex Bentleii coniectura etiam Meinek. Haupt. Linker. pro *inutilesque*, ne diversa male coniungi videantur. Codicum auctoritatem secuti sunt Ritter et Keller. Idem iudicandum de versu 35. — *feliciores*] Frugiferae arbores felices nominantur. Virg. Georg. II, 81. Liv. V, 24.

V. 16. *infirmas oves*] imbelles, molles, quippe quae nihil resistant tondentibus. Ovid. Ib. 43: »Pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit, Cum *pecore infirmo* quae solet esse lupis.« — *vel cum*] »*Vel* sic usurpatum eam habet potestatem, ut transitum paret ad alia, *cum* respicit ad praegressa.« Wagner ad Virg. Aen. XI, 406. — *agris*] Hoc praeferendum auctoritate codicum alteri lectioni *arvis*; quamquam arva quoque pomifera sunt ut Prop. IV, 7, 81: »Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis.« — *ut gaudet*] cf. Carm. III, 25, 12. infra 61. — *insitiva*] ab ipso inserta. In ea re causa est gaudii, quod pyra licet decerpere, ab ipso, non ab aliis olim inserta. — *purpurae*] Codd. aliquot *purpura*; sed vide ad Carm. I, 3, 13. — *Priape*] Priap. 82, 4: »Assiduus custos ruris ut esse velis.« De Silvano vide Carm. III, 29, 23. Virg. Aen. VIII, 601. — *tenaci gramine*] vel propter altitudinem, quod pedes euntium quasi tenet; vel quod terrae firmiter adhaeret. — *ripis*] Sic ex bonis MSS. Bentleius; alii ex antiquis codd. *rivis*, Peerlkampius ex coniectura restituere voluit admisso

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumve leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum quas amor curas habet
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,

dactylo *rupibus*. — *obstrepunt*] iacenti. Liv. XXI, 56. Ingeniosa sed non necessaria Marklandi coniectura *frondesque* ad exemplum Propertii IV, 4, 4: »Multaque nativis obstrepit arbor aquis.« — *tonantis*] Est epitheton ornans, *ὑψιβρεμέτης, ὑψικέραννος, τερπικέραννος*. Alii interpretati sunt de tempestatibus, quae cum tonitru permixtae hiemis initio in Italia saevire solent. cfr. Carm. III, 5, 1. Describuntur gaudia hiberna. — *hibernus annus*] pro hiberna parte anni; cf. Virgil. Aen. VI, 311. Bucol. 3, 57. — *hinc et hinc*] Sic poetae, quibus quae remota sunt etiam praesentia videntur, pro *hinc* et *illinc*. Id imitati sunt prosaici scriptores a Livii tempore: Liv. XXI, 8, 8. I, 13, 2. cf. Epod. 4, 9. Carm. I, 34, 14 sqq. — *rara*] opponuntur densis; sic rariores silvae apud Tacitum Agr. 37. — *amite*] pertica aucupali. — *edacibus*] Bene additum; edacitas enim fraudi iis est.

V. 35. Notandus hic versus, qui celeritate anapaestorum et tribrachys cursum leporis et volatum gruis imitari videtur. Plin. X, 23, 31 grues hiemis, ciconias aestatis advenas appellat. — *laqueo*] »Fortasse etiam in *laqueo* synaloephe locum habet, non ut eximatur vocalis *e*, sed ut obscuretur tantum in pronuntiando, ut fit in *Prometheo, aureo, alveo* multisque aliis.« Meineke. — *amor*] Male intellexerunt amorem habendi, cum sit feminarum. De attractionis genere cf. Sat. I, 4, 2. I, 10, 16. Ovid. Met. I, 342: »Et quibus est undis audita, coercuit omnes.« — *Haec inter*] vide ad Carm. III, 3, 11. — *Quodsi*] Sic codices; Hauptius et qui eum sequi solet Linkerus: *Quid si*, interrogandi signo post v. 48 *apparet* posito. Particula *quodsi* ab hoc poesis genere non abhorret. — *in partem*] *κατὰ μέρος*, ex parte. Plaut. As. III, 3, 89: »agesis tu *in partem* nunc iam hunc delude.« — *Sabina*] vide ad Carm. III, 6, 38. Describitur inde ab hoc loco rusticorum vita domestica; ita ut tota haec laudatio in duas fere aequales partes dividatur, quarum altera vitam rusticam extra domum, altera in domo habeat. Quae de amore dicta sunt, ea ab altera parte ad alteram legentes transducunt. Ceterum Horatium imitatus est Statius Silv. V, 1, 122: »velut Apula coniux Agricolae parci vel sole infecta Sabina, Quae videt emeriti

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum
Aut herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori
Vel agna festis caesa Terminalibus
Vel haedus ereptus lupo.

iam prospectantibus astris Tempus adesse viri, propere mensasque torosque Instruit exspectatque sonum redeuntis aratri.« — *exstruat focum*] Ne quid audacter dictum putes pro *ligna in foco exstr.* compara Ciceronem Tusc. V, 21, 62. — *horna vina*] pro simplicitate rustica. — *inemptas*] domi natas. Virg. Georg. IV, 132 sq. — *Lucrina*] e lacu Lucrino Sat. II, 4, 32. — *scari*] Plin. H. N. IX, 17: »Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare herbisque vesci, non aliis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lectron sponte nunquam transit. Inde advectos Tiberio Claudio principe Optatus e libertis eius praefectus classis inter Ostiensem et Campaniae oram sparsos disseminavit.« — *Eois*] praecipue Syriae. — *intonata*] cum tonitru immissa; praeter h. l. non videtur inveniri haec forma; de significatione tamen comparari potest Val. Fl. III, 168: »Occupat os barbamque viri clavaque superne Intonat.« — *Afra avis*] gallina Numidica, Perlhuhn. Varro R. R. III, 9, 18: »Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae. Veneunt propter penuriam magno.« Plin. H. N. X, 26: »Africae hoc est gallinarum genus (Meleagrides), gibberum, variis sparsum plumis, quae novissimae sunt peregrinarum avium in mensas receptae propter ingratum virus.« — *attagen*] Plin. H. N. X, 48: »Attagen maxime Ionius celebratur, vocalis alias, captus vero obmutescens, quondam existimatus inter raras aves. Iam et in Gallia Hispaniaque capitur, et per Alpes etiam.« Martial. XIII, 61: »Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.« — *lapathi*] Sat. II, 4, 29. *Λάπαθον*, latine *rumex*. — *malvae*] Carm. I, 31, 16. Martial. X, 48, 7: »Exoneraturas ventrem mihi villica malvas Attulit.« — *Terminalibus*] a. d. VII Kal. Mart. Ovid. Fast. II, 653: »Spargitur et caesa communis Terminus agna.« — *ereptus lupo*] Parci agricolae non mactant haedos, sed lupo ereptos et iam admorsos

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Has inter epulas ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

Carmen III.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?

non spernunt, ita ex damno lucrum quasi capientes. Imitatus est Martial. X, 48, 14: »Haedus inhumani raptus ab ore lupi.« — *vomerem inversum*] Ovid. Fast. V, 497: »Tempus erat, quo versa iugo referuntur aratra.« Virg. Buc. 2, 66. — *ditis*] Poetica haec forma a prosaicis scriptoribus recepta est ab Augusti demum aetate. Liv. XLII, 34. cf. Tibull. II, 1, 23: »Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni.« Sat. II, 6, 66. — *examen*] imago ab apibus repetita. — *renidentes*] tersi ac politi; hellpolirt, spiegelblank. Fuerunt qui cum Acrone coniungere mallent *vernas renidentes circum lares*, quod nemo probabit nisi qui verborum insidias struxisse Horatium putet. — *iam iam*] vide ad Carm. II, 20, 9. — *Idibus*] Cic. Catil. I, 6. Hor. Sat. I, 3, 87. Kalendis, Nonis, Idibus pecunia a feneratoribus aut in fenus dabatur aut redigebatur a debitoribus. — *ponere*] cf. A. P. 421. Cic. pro lege Manil. 7, 18. *Redigere* pecuniam est apud debitores collocatam exigere. — *quaerit*] Ἀπροσδόκητον mirifice adiuvatur ἀσυνδέτῳ.

Carmen III.

Videtur olim Maecenas Horatio rusticum aliquod edulium, fortasse moretum, ex allio confectum commendavisse; quod cum gustasset Horatius visceraque ardore et dolore affecta haberet, seriam is rem in iocum vertit, exsecratur allium dirissimis venenis nocentius, Maecenatique, cuius iocosa quadam malignitate deceptum se sentit, iocosam etiam poenam optat. Quo anno carmen scriptum sit non liquet; neque tamen vehementer erraveris, si propter familiaritatem qua cum Maecenate poeta coniunctus iam vixit duobus tribusve post iter Brundusinum annis talia scribi potuisse putes.

V. 1. *olim*] vide ad Carm. II, 10, 17. — *fregerit*] Carm. II, 13, 6; quo scelere gravius nullum est. — *edit*] Sat. II, 8, 90. Etiam Cic. ad Fam. IX, 20 »ne comedim.« Antiqua forma. — *messorum*] qui ferre possint tam dirum venenum. Exclamatio admira-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum iuga
Perunxit hoc Iasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae,
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At si quid unquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

Carmen IV.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit
Tecum mihi discordia est,

tionem exprimit. cf. Virg. Buc. 2, 10. Ovid. Met. XIV, 643: »habitu duri messoris.« — *viperinus cruor*] ut Carm. I, 8, 9, praesentissimum venenum. — *Canidia*] vide ad Epod. 5. — *tractavit*] cf. Carm. II, 13, 10. — *praeter omnes*] Coniungenda haec sunt cum *candidum*, non cum *mirata est*; cum quadam elegantia pro *magis quam*. Epod. 11, 3. — *Iasonem*] ut is resistere posset flammis quas taurus evomere solebat. — *hoc*] Magna cum vi repetitur pronomen ex superiore versu, quo nihil certius esse indicetur nisi venenum Medeae ex allio fuisse factum. — *pellicem*] cf. Epod. 5, 63 sqq. Est Glauce vel Creusa, Creontis regis Corinthi filia, quam cum Iason in matrimonium duxisset, repudiata Medea palla veneno imbuta combussit; quo facto Medea curru draconibus alatis iuncto per aërem Athenas aufugit. cf. Carm. IV, 11, 26. — *vapor*] proprie calida exhalatio, deinde ipse calor unde illa efficitur. Sic Lucretius II, 148: »vapor is quem sol mittit.« Cic. de Sen. 15, 51. Senec. Oedip. 47: »Sed gravis et ater incubat terris vapor.« *Insedit* i. q. *incubuit*. — *siticulosae*] cf. Carm. III, 30, 11. — *munus*] Ovid. Met. IX, 130. — *efficacis*] Carm. IV, 8, 30. Cic. Fam. VIII, 10, 3: »Nosti Marcellum quam tardus et parum efficax sit.«

Carmen IV.

Invehitur Horatius acerbissime in hominem quendam, qui olim nequissimum mancipium malis artibus divitias sibi et auctoritatem parave-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hibericis peruste funibus latus
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium

rat. In qua re bene animadvertendum est, Horatium non servili qua ille fuisset condicione ut hominem vehementissime castigaret commotum esse, sed vilitate et nequitia quam paratae opes arrogantia et iactantia quasi cumulo auxissent. Pecunia enim non mores mutat, sed rationem, qua quales sint mores indicatur. Ille enim servus furta egit et nequitias, ut flagellis et compedibus a domino coerceretur; dives factus et tribunus militum omnium in via Appia ambulantium proborum hominum indignationem et odium sibi contraxit. Scriptum carmen est cum classis pararetur contra latrones et piratas S. Pompeii a. u. 718. Vide Velleii locum, qui infra ad Epod. 9, 7 transscriptus est. Scholiastae affirmant, tangi in hoc carmine Sextum Menam, Pompeii Magni libertum; is autem a. u. c. 718 neque tribunus militum fuit neque in partibus Octaviani stipendia fecit, sed classi S. Pompeii praefuit. Quare probabilius est castigari *Vedium* quendam *Rufum*, qui in titulis nonnullorum codicum nominatur. In incerta re dubium est, num recte huc referantur quae apud Dionem LIV, 23 leguntur: »κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει (739) Οὐήδιος Πολίων ἀπέθανεν, ἀνὴρ ἄλλως μὲν οὐδὲν μνήμης ἄξιον παρασχόμενος (καὶ γὰρ ἐξ ἀπελευθέρων ἐγεγόνει καὶ ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἐξητάζετο), ἐπὶ δὲ τῷ πλούτῳ τῇ τε ὠμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος;« et apud Plin. H. N. IX, 23: »Invenit in hoc animali (murena) documenta saevitiae *Vedius Pollio*, eques Romanus, ex amicis divi Augusti, vivariis earum immergens damnata mancipia.« Cf. Tacit. Ann. I, 10.

V. 1. *sortito*] sorte s. lege naturae. De discordia luporum et agnorum cf. Hom. Il. XXII, 263 sq. — *Hibericis*] ex sparto Hispanico tortis. — *peruste*] Epist. I, 16, 47. Urunt enim vulnera flagellis facta. — *compede*] In prosa oratione usitatus solus fuit pluralis numerus; aptior utique, cum compedibus pedes utrimque vineti constringerentur. Poetae primum usi sunt ablativo singularis, postea etiam genitivo et accusativo. — *ambules*] Sat. I, 2, 25. I, 4, 66; respicitur hominis affectatio dignitatis et gravitatis. Claudian. in Eutrop. I, 306: »erecto pectore dives Ambulat.« Catull. 29, 6: »at ille nunc superbus et superfluens Perambulabit omnium cubilia Ut albulus columbus aut Adoneus?« — *genus*] Male interpretati sunt servilem condicionem, cum sit genus morum. Illam Horatius libertini filius recto iudicio munitus non vituperasset. cf. Epist. I, 12, 10. — *Sacram metiente*] Sacram viam, quae ad Capitolium ducebat, frequentare solebat otiosorum hominum turba. Sat. I, 9, 1. *Metiri* autem acerbe dictum de homine qui otiosus et vanus totam viam perambulat, aliis scilicet ut ostendat quam amplis et pretiosis vestimentis utatur. Talis enim toga est quae insequenti versu describitur; cui nihil desit quod delicato etiam homini gratum et iustum possit videri. In codd. scriptum est *bis ter*; ex quibus verbis cum apta sententia non possit extorqueri, recipienda fuit ingeniosa Barthii coniectura *bis trium*, praesertim cum aliquid auxilii accedat ex scriptura duorum bonorum codicum *bis . i . ulnarum*; quam vides facile potuisse ab incautis scribis corrumpi. cf. Cic. Cat. II, 10 »velis amictos, non togis.« — *huc et huc*] poetice pro huc et illuc. Vide ad Epod. 2, 31. — *triumviralibus*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi iugera
Et Appiam mannis terit,
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum
Hoc, hoc tribuno militum?

Carmen V.

At o deorum quidquid in coelo regit
Terras et humanum genus,

Quae sequuntur usque ad finem carminis imitantur sermones hominum, qui tam nefarium hominem sumptuosis mollissimisque vestibus indutum gloriari indignabantur. Triumviri capitales de delictis servorum aliorumque hominum vilioris generis, etiam peregrinorum cognoscebant suppliciisque eorum praeerant. A quibus damnatus si quis caederetur, praeco simul criminis et poenae genus magna voce pronuntiabat. — *Falerni*] et amoenissimi et fertilissimi. — *mannis*] vide ad Carm. III, 27, 7. — *terit*] frequentibus ad sua in Campania praedia itineribus. — *Othone*] L. Roscius Otho trib. pl. a. u. c. 687 lege vetuit ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques aut equestri censu esset. Hic igitur homo tam fuit dives, ut legem Rosciam theatralem facile posset contemnere; equestrem enim censum divitiis suis longe superavit. — *Quid attinet*] nil expedit, nil prodest. Cic. Fin. IV, 22: »Quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare?« — *ora navium rostrata*] *Ora navium* sunt prorae, metaphora satis apta, quod prorae »paratam semper appulsui frontem« agunt (Tacit. Germ. 44). Bentleius, cum apud neminem poetarum *os navis* reperisset, corrigendum esse existimavit *aera*, ut *aera rostrata* idem esset ac *rostra aerata*; Sanadon hoc ipsum *rostra - Aerata* malebat; Peerlkampius elegantius certe »tot *aere* navium gravi Rostrata duci *pondera*.« At poetarum oratio non est coercenda vulgari dicendi ratione aut nostrorum lexicorum copia et legibus.

Carmen V.

Describitur in hoc carmine, quod totum dramaticum est, philtrorum magicorum terribilis apparatus. Quo consilio in medias res poeta legentes ducit raptumque puerum, cuius intestinis sagae uti volunt, mirantem et querentem, quod subita vi vestimentis privatum se videat, inducit. Iam indicatur quo ornatu mulieres quid agant; Canidia viperis in capillum insertis componit singulas partes philtri; caprificos et cupressus funebres, ova et plumas strigis ranae sanguine infecta, herbas magicas ex Thessalia et Hi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid iste fert tumultus? et quid omnium
Vultus in unum me truces?

beria collectas, ossa esurienti cani erepta eiusque sanie conspersa, quibus omnibus postea addenda sunt medulla et iecur pueri fame necati; altera, Sagana, domum conspergit aqua Averni lacus (cf. Cic. Tusc. I, 16); tertia, Veia, scrobem effodit, in quem iniiciatur miser ille puer; quarta, Folia, carminibus devocat sidera et lunam. Inter quas praecipua est Canidia, propter quam omnia parantur; ea enim Varum iam senem, a quo olim amata tum relicta est, magica vi ad se reducere tentat. Quae dicuntur in hoc carmine a Canidia (v. 49), a multis male intellecta sunt; ipsa enim cum hoc agit senem illum neque videt neque audit, nam quaecunque id indicare videntur ad furorem et ardentem cupiditatem mulieris referenda sunt. »Adeste, inquit, nocturna numina, mihi auxilio, adversariis meis terrori; Varum enim cogam, ut ardenti amore ad me agitatus nocturno tempore uncto capillo et delicato ornatu domum relinquat, canes ex somno excitet, vicinos ex domo eliciat ab omnibusque derideatur. Sic me ulciscar (v. 60).« Qui insequuntur versus causas ostendunt, quibus Canidia ira ac furore excitata ut certissimo et extremo artis suae genere utatur permota esse dicitur. Nam »quid, clamat, factum est? Cur solitae artes nihil adiuverunt? Nullas tamen neque herbas neque radices inexpertas reliqui, immo etiam lectulum eius unguentis illevi, quae aliarum amorem omnem ex eius animo delere debebant.« Quibus verbis cum acerbitate et ira ridens haec addit: »At vero alia et potentior saga me superasse videtur; sed nondum ostendi quid ego valeam.« Iam cum in eo sit, ut puerum in fossam iniiciat terraque usque ad os tegat, miser ille in dirissimas exsecrationes erumpit. Quibus Horatius sapienter carminis finem fecit; pueri enim necem poeta neque potuit describere neque debuit, cum, id quod vellet, nimirum ut insaniam immanium mulierum vehementer carperet, satis effecisset. Sunt carminis quattuor partes: 1) pueri nescientis quid sibi mulieres paraturae sint querela, v. 1—10; 2) apparatus omnium rerum quae sagis sunt necessariae, v. 11—46; 3) preces et consilium Canidiae, v. 47—82; 4) exsecratio pueri, v. 83—102. Principales igitur partes, altera et tertia, tricenos senos habent versus; quarta duplicem habet versuum numerum primae partis. *Gruppius* totum carmen Horatio indignum esse censuit, nimirum non causa aliqua vel probabili ratione motus, sed petulanti actus libidine, qua in Horatium aliosque scriptores grassari ausus est; Peerlkampio placuit quattuor versus (vv. 69. 70. 87. 88) ut spurios expellere, Bentleius de difficillimis versibus 87. 88 adeo desperavit, ut suspicaretur, locum sola spongia, nulla alia medicina, sanari posse. Videtur carmen eodem fere tempore esse scriptum quo Sat. I, 8; quae hic severe et graviter reprehenduntur, eadem satira illa ridendo proferuntur. In Satiris enim ridendo dicitur verum. Scholiastae affirmant Canidiam vero nomine fuisse *Gratidiam*, Neapolitanam unguentariam, a canitie iocі causa sic appellatam.

V. 1. *at*] Indicat particula dolorem et aegritudinem cum animi quadam vehementia. Incipit Ovidius Her. XII, 1 eadem particula. — *quidquid*] Liv. XXIII, 9: »iurantes per quidquid deorum est.« Ovid Met. X, 17: »quidquid mortale creamur.« Ceterum optime Bentleius reiecta altera lectione *quisquis* e *regis*: »neque vero invocatio deorum est, sed exclamatio duntaxat et obtestatio, qualia ista *Di boni, Di magni, proh Iuppiter, pro deûm atque hominum fidem*. Per omnes, ait deos, per quidquid deorum in coelo est, quid tumultus iste sibi vult?« — *et quid*] Orellius ex compluribus codicibus *aut quid*, quo turbatum pueri animum melius exprimi arbitratur. Praefero plurimorum et antiquissimorum codicum auctoritatem. — *te*] Alloquitur Canidiam

Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris aut uti
Petita ferro belua?
Ut haec tremente questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus quale posset impia
Mollire Thracum pectora,
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput
Iubet sepulcris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebres
Et uncta turpis ova ranae sanguine
Plumamque nocturnae strigis
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis
Flammis aduri Colchicis.

sagarum principem. — *partubus veris*] si liberos vere habes, non alios supposuisti. Epod. 17, 50. Poeta, pueri loquentis paene immemor, suam sententiam mordacissime interposuit. De Lucina cf. C. S. 15. — *purpurae*] togae praetextae. Quintil. Decl. 340. extr.: »Ergo vobis allego etiam ipsum sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac venerabilem.« *Inane* decus est, quia, cum tueri debeat, non tuetur puerum. Haec praetexta et bulla insignia sunt, quae leguntur v. 12. — *tremente*] Bentleius: »*trementi* habent quotquot vidi codices et Priscianus p. 707. Legerem tamen potius *tremente*, ut purus sit Iambicus, qualis iste proxime antecedens.« Eumque secuti sunt Meinek. Linker., codicum auctoritatem servarunt Haupt. Ritter. Keller. — *implicata viperis*] Furiarum instar. — *brevibus*] Sic apud Ovid. A. A. II, 376: »Nec *brevis* ignaro vipera laesa pede.« id. Remed. Am. 421: »*Parva* necat morsu spatiosum vipera taurum.« Est igitur parva quidem vel brevis, sed letifera. — *sepulcris erutas*] scilicet quae validiores in hac re haberentur. — *cupressus*] cf. Carm. II, 14, 23. Virg. Aen. III, 64. VI, 216. — *ranae*] bufonis. — *Iolcos*] Thessalae enim mulieres notae erant veneficiis et magicis artibus. Hiberia autem regio Ponti est: frequentes ibi venenatae herbae, quibus olim Medea usa est. cf. Tacit. Ann. VI, 34: »Ferunt (Hiberi) se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso post avectam Medeam genitosque ex ea liberos inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit.« — *Colchicis*] quales accendisse fertur Medea Col-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo,
Cum promineret ore quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsucta uti medulla et aridum iecur
Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum,

chica, additis infelicibus lignis. — *Sagana*] Haec Canidiae socia commemoratur etiam Sat. I, 8, 25. — *Avernales aquas*] Virg. Aen. IV, 512. — *currens aper*] in venatores ruens. Ovid. Halieut. 59: »Actus aper setis iram denuntiat hirtis.« Supervacaneae igitur coniecturae *Laurens, ruens, certans.*

V. 30. *humum*] in domus impluvio, ut videtur. — *bis terque*] Male olim *bis terve*; nam *bis terque* significat *saepius, bis terve* est pro *raro.* — *inemori*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *exsucta*] Probata haec lectio est bonis codicibus et antiquissimorum Cruquii codicum glossa *extracta.* In aliis *exsecta, exesa,* similia. cf. Iuvenal. 8, 90: »Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.« — *interminato*] interdicto, vetito; passiva significatione positum. Terent. Andr. III, 2, 16: »Interminatus sum, ne faceres.« — *cum semel*] simul ac. Sat. II, 1, 24. — *otiosa Neapolis*] Fuerunt qui ex hoc nomine concluderent scenam huius epodi Neapoli esse; in quo eos errasse docent versus 58 et 100. Canidia Romae vixit ibique scelus hoc nefarium committitur. Nominatur autem Neapolis, et quia Canidia Neapolitana fuit et quia otiosa fuit urbs (Ovid. Met. XV, 711 »in otia natam Parthenopen«), cuius incolae, talium rerum cupidi, rumores illuc quoque allatos avide arripuerunt. Liv. VIII, 22. Alii versum 43 ad solam *Foliam* referre maluerunt, quam suspicantur Neapoli notam fuisse vel ibi habitasse atque a Canidia in auxilium Romam esse arcessitam. Neque minus errare videntur qui Canidiam olim ab Horatio amatam tradunt. Nusquam enim amoris vestigium. — *excan-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque coelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido
Candidia rodens pollicem
Quid dixit aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae
Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite!
Formidolosis dum latent silvis ferae
Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus.
Quid accidit? Cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent?
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam

tata] Epod. 17, 4. Virg. Buc. 8, 69. Platon. Gorg. p. 513. A.: »τὰς τὴν σελήνην καθαιρούσας τὰς Θετταλίδας.« De voce Thessala vide ad Carm. I, 27, 21. — *irresectum*] Hoc quoque Furiis proprium, rabiei signum. — *livido*] ut vetulae. — *tacuit*] Epist. I, 7, 72.

V. 51. *Diana*] Hecate. Carm. III, 22, 4. Sacris omnibus silentio opus est, etiam magicis. — *hostiles domos*] earum quae Varum a Canidia ad se detraxerant. — *formidolosis*] Habet h. v. et activam et neutralem significationem: illa cum aperta sit altero loco Horatiano quo vocabulum legitur, Carm. II, 17, 18. praetuli hanc vetustissimorum codicum scripturam, quam confirmat antiqua glossa codd. Blandin. »propter horrorem noctis et ferarum.« In aliis codd. est *formidolosae*. — *Suburanae*] Subura regio urbis Romae, ubi habitabant diffamatae mulieres in iisque Canidia. — *latrent*] De accusativo cf. Sat. II, 1, 85. Epist. I, 2, 66. Plaut. Poen. V, 4, 64: »Etiam me meae latrant canes.« — *laborarint*] Ne antiquissimi quidem codices consentiunt; alii *laborarint*, alii *laborarunt* exhibent. Coniunctivus potentialis videtur praestare. — *Medeae*] Iisdem se gloriatur uti venenis, quibus olim Medea usa erat; *minus* igitur idem quod *non, nihil*, vel, si placet, *minus quam alias*. — *superbam*] Iasonis amore arroganter gloriantem. Sic in omnibus codd. Bland.; alii *superba*. — *Creontis*] vide ad Epod. 3, 13. — *palla*] »ἀεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον.« Eurip. Med. 786. — *Ah*,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Incendio nuptam abstulit.
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah ah! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque coelum sidet inferius mari
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer iam non ut ante mollibus
Lenire verbis impias,
Sed dubius unde rumperet silentium,

ah] risus cum acerba cavillatione. — *solutus*] Epod. 17, 45. — *Vare*] In veteribus carminis inscriptionibus nominatur *Alfius Varus*, qui quis fuerit nescimus. Ritteri opinionem, indicari Alfenum sive Alfinium Varum, Cremonensem iuris consultum (Sat. I, 3, 130), nihil est quod confirmet. — *vocata*] Sententia haec est: ad me recurres, sed non Marsae voces i. e. non vulgaria omnibusque nota erunt carmina, quibus mens tua vocata ad me redibit, sed maius parabo veneficium. Ovid. A. A. II, 106: »Philtra nocent animis vimque furoris habent.« Aliter Comment. Cruq.: »ita te defigam novis et insolitis maleficiis, ut mentem nunquam recipias, etiamsi Marsos tibi adhibeas; Marsi autem Italiae populi ita venenorum fuere periti, ut et saliva soliti sint etiam morsus curare serpentum.« — *Marsis vocibus*] Marsis carminibus: de quibus Gellius XVI, 11: Marsis hominibus vi quadam genitali datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint et incentionibus herbarumque sucis faciant medelarum miracula.« cf. Tac. Ann. IV, 22: »Mox Numantina, prior uxor eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.« Epod. 17, 28. Sat. I, 9, 29. — *atris ignibus*] nam atrum ipsum bitumen atrum fumum edit. cf. Virg. Georg. III, 451. — *sub haec*] Statim postquam Canidia haec dixit. Haec enim particula utrumque tempus significat et quod proxime aliquam rem praecedit et quod statim sequitur. De qua re compara Sat. II, 8, 43 et Carm. I, 9, 19. Sat. II, 1, 9. II, 7, 109. Epist. II, 2, 169. Sat. II, 7, 33. I, 1, 10. Epist. I, 16, 22. — *dubius*] tanto enim horrore

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quae vis deorum est manium,
Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus;
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites,

obrutus erat, ut nesciret, unde increpandi initium caperet. — *Thyesteas preces*] vide Cic. Tusc. I, 44. — *venena*] Difficillima ac diversissime tentata verba, si sana sunt, optime cum Lambino ita expedias, ut ex verbis *non valent* ipsum verbum *valent* omissa negante particula repetas: »Venena confundunt fas et nefas, cum venefici fas violent; sed venenis non potest sors humanae vitae immutari. Itaque licet venenis iura omnia humana ac divina perfringatis, effugere tamen non poteritis, quin vestrorum maleficiorum poenas detis.« Bentleius coniecerat: »Venena *magica* fas nefasque non valent, *Non* vertere *humanas vices*.« Pro *magnum* Rutgers. *magicum* divinaverat; quae verba solent confundi. Hauptius ingeniose scripsit: »*venena maga non fas nefasque, non valent* cet., eumque sunt secuti Meinekius et Linkerus. Peerlkampio in mentem venit: »*Venena magnum fas nefasque non valent Convertere immani vice*, sed mavult cum Guieto et Bentleio versus delere. *Kellerus* ex ingeniosa et facili coniectura: »*convertere humana invicem*.« Ad Lambini constructionem verborum compara Tacit. Ann. XII, 64: »Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.« cf. ib. XIII, 56: »Deesse nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur non potest.« Deinde cf. Suet. Aug. 66: »vicem suam conquestus est.« et Virg. Georg. I, 505: »quippe ubi *fas versum atque nefas*.« — *nulla expiatur*] cf. Carm. I, 28, 34. — *nocturnus furor*] Interfectorum animas perpetuo sequi et terrere eos, a quibus necati essent, vulgaris opinio fuit. Virg. Aen. IV, 385. Cic. Rosc. Am. 24, 67. — *curvis unguibus*] Furiis praelongi erant ungues et incurvi. — *deorum manium*] cf. Liv. III, 58: »Manesque Virginiae per tot domos ad petendas poenas vagati nullo relicto sonte tandem quieverunt.« Cic. leg. II, 29: »*Deorum Manium* iura sancta sunto.« Quintil. Inst. VI, prooem. »iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos *Manes, numina doloris mei*.« — *hinc et hinc*] vide ad Epod. 2, 31. — *Esquilinae alites*] rapaces, quae cadavera quaerunt. De Esquiliis cf. Sat. I, 8, 14. Hiatus proprio nomine excusatur. — *heu*] Luget quod parentes habitu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Neque hoc parentes heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

Carmen VI.

Quid immerentes hospites vexas canis
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis.
Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecunque procedet fera;
Tu cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.

rus sit superstites, cum naturae lege filii parentibus superstites esse debeant.

Carmen VI.

Acerbissimum carmen in hominem ignotum, qui innocentes et peregrinos homines, qui ipsi se non potuerunt defendere, malignis carminibus — nam videtur poeta fuisse — erat calumniatus. Horatius se comparat cum cane pastorali, qui natura fidelis ac mitis, si qua fera gregem aggressa sit, in furorem agatur; adversarium cum venatico ac malo, qui vehementi latratu fortitudinem quidem promittat, sed cum in silvam a domino missus sit muneris statim obliviscatur neque ferarum vestigia sed proiecti cibi odorem sequatur, fortitudinem autem in allatrandis viatoribus expromat. Scholiastae nominant Cassium quendam Severum, maledicum oratorem, qui a. u. 786 senex mortuus est et, quo tempore hoc carmen scriptum est, pueritiam vix egressus erat. Orta fortasse ea suspicio est ex eo, quod Tacitus scripsit Ann. I, 72: »Primus Augustus cognitionem de famosis libellis tractavit, commotus *Cassii Severi* libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat.« Suet. Calig. c. 16: »Cassii Severi scripta, senatusconsultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit (Caligula).« Alii de Maevio poeta cogitarunt; de quo vide Epod. 10; alii de Bavio, aeque malo poeta; Ritterus nuper de Furio Bibaculo iambographo, de quo Quintil. X, 1, 96: »iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus, quibusdam interpositus; cuius acerbitas in Catullo, *Bibaculo*, in Horatio non reperietur;« Tacit. Ann. IV, 34: »carmina *Bibaculi* et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur.« Vide ad Sat. I, 10, 36. Tempus incertum est, alii ad a. 716, alii ad a. 718 carmen retulerunt.

V. 1. *canis*] natura impudens. — *quin vertis*] Non recte in nonnullis codd., etiam in antiquissimo omnium Bland., *verte* et *pete*, quia priori certe imperativo metrum adversatur. De indicativo cf. Liv. I, 57. Cic. pro Rabir. perd. c. 6: »Quin continetis vocem indicem stultitiae vestrae? — *Molossus*] cf. Virg. Georg. III, 405. Soph. Ai. v. 8: »εὖ δέ σ' ἐχφέρει Κυνὸς Λαχαίνης ὥς τις εὐρινος βάσις.« — *procedet*] Sic rectius quam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener
Aut acer hostis Bupalo.
An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

Carmen VII.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae Karthaginis
Romanus arces ureret,

quod inest in plurimis codicibus *praecedet*: hoc enim vult poeta »quaecunque fera gregem aggressura silvam relinquet.« — *cornua*] cf. Carm. III, 21, 18. Sumptum ex imagine tauri. — *Lycambae*] Archilochus poeta Lycamben, qui filiam suam illi iam desponsam daturum se negaverat, tam contumeliosis versibus insectatus erat, ut et socer et sponsa aegritudinis medelam laqueo quaereret. Epist. I, 19, 25. 30 sq. — *Bupalo*] Plin. H. N. XXXVI, 5: »Bupalus et Athenis vel clarissimi in ea (sculpendi) scientia fuere Hipponactis poetae aetate, quem certum est LX Olympiade fuisse. Hipponacti notabilis foeditas vultus erat; quamobrem imaginem eius lascivia iocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum destrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est.« — *ut flebo puer*] Ordo verborum est: inultus flebo ut puer. cf. Ovid. Met. IV, 426: »Nil poterit Iuno nisi inultos flere dolores?«

Carmen VII.

Conqueritur poeta fatalem Romani imperii sortem, qua scelus olim interfecto Remo a Romulo commissum mutuis cladibus perpetuisque bellis civilibus posteri debeant luere. Scriptum videtur esse carmen a. 716, cum bellum pararetur inter Octavianum et S. Pompeium, qui Italiae littora iterum devastare urbemque ipsam Romam fame premere coeperat. Antonius ab Octaviano ad societatem belli vocatus Brundusium constituta quidem die venit, sed, cum Octavianum ibi non reperisset, nihil moratus in Asiam reversus est, ubi Ventidius legatus Parthos, qui Pacoro duce in Syriam excursionem fecerant, felici pugna devicerat. Octavianus deinde solus cum Pompeio certavit, sed non feliciter primis proeliis. Alii carmen ad bellum Perusinum a. 713, alii ad a. 722 referendum esse existimarunt, alii denique cum Acrone bellum Philippense significari putarunt.

V. 2. *aptantur*] Eleganter pro gladii stringuntur, educuntur. cf. Sen. Agam. 425: »Ad militares remus aptatur manus.« *Scelesti* autem sunt ἐναγεῖς, ut *scelus* (Carm. I, 2, 29) τὸ ἄγος. — *Neptuno*] per metonymiam pro *mari*. De praepositione

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via,
Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.
Furorne caecus an rapit vis acrior
An culpa? Responsum date!
Tacent, et albus ora pallor inficit
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

vide ad Carm. III, 3, 11. — *non*] Iusta hoc positum brevitate pro: »quod quidem non est factum, ut cet.« — *invidae*] Sal. Cat. 10. — *Sacra via*] vide ad Epod. 4, 7. »Ex porta Triumphali per Campum Martium, Velabrum, Circum maximum et qua nunc est arcus Constantini qui triumphabant inde per hanc viam procedebant usque ad locum arcus Septimii Severi, unde captivi dimittebantur ad dexteram in proximum carcerem Tullianum; triumphantes per clivum Capitolinum ad laevam ascendebant ad Capitolium.« *Fea.* — *unquam*] Sic omnes codices; in una antiqua editione *nunquam*, ex correctione, opinor, quam probarunt Bentleius, Hauptius, Meinekius, Linkerus. Qui mecum codicum scripturam tenent, ut Ritter. Keller., iis constituendus est hic ordo verborum: non feris unquam nisi in dispar (animal, genus). *Dispar* ut substantivum positum est. Ad sententiam cf. Iuven. 15, 159: »Sed iam serpentum maior concordia; parcit Cognatis maculis similis fera: quando leoni Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam Exspiravit aper maioris dentibus apri? Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam, saevis inter se convenit ursis.« Senec. epist. 95: »Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno? bella gerere, gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis ac feris pax sit.« — *caecus*] cf. Carm. I, 18, 14. Sat. II, 3, 44. Virg. Aen. II, 244. Bentleius ex tribus codd. recepit *caecos*, cum eoque Hauptius, Meinekius, Linkerus, Kellerus, non Peerlkampius. — *vis acrior*] fatalis necessitas. — *albus pallor*] qualis conspicitur in ore mortui hominis; quo quidem proditur terror divinus et conscientia culpae. Inde etiam *tacent, stupent.* — *ut*] vide ad Carm. IV, 4, 42. — *sacer nepotibus*] perniciosus. cf. Virg. Aen. III, 57. Altius calamitates, quibus per bella civilia premebantur Romani, repetit Virgilius Georg. I, 501 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen VIII.

Rogare longo putidam te saeculo,
Vires quid enervet meas,
Cum sit tibi dens ater et rugis vetus
Frontem senectus exaret,
Hietque turpis inter aridas nates
Podex velut crudae bovis?
Sed incitat me pectus et mammae putres,
Equina quales ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum,
Nec sit marita quae rotundioribus
Onusta bacis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Iacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi.

Carmen IX.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
Victore laetus Caesare

Carmen VIII.

V. 1. *Rogare*] Infinitivo utuntur Romani in interrogando ad exprimendam vel indignationem vel admirationem. Sat. II, 4, 83. I, 9, 72. II, 8, 67. Virg. Aen. I, 37. — *dens ater*] cf. Carm. II, 8, 3. — *vetus senectus*] cf. Ter. Eun. IV, 4, 21: »Hic est vetus, vietus, veternosus senex.« — *exaret*] Eadem metaphora apud Virgilium Aen. VII, 417. — *imagines*] vide ad Carm. II, 20, 24. p. 159. — *marita*] matrona. Rarissime sic usurpatur vocabulum; sed compara Ovid. Fast. II, 139: »Tu rapis, hic castas duce se iubet esse *maritas*.« — *ambulet*] vide ad Epod. 4, 5. — *amant*] vide ad Carm. II, 3, 10. — *pulvillos*] Anus dives et libidinosa libris philosophorum, etiam Stoicorum, inter sericos pulvillos in lectulo repositis doctrinae speciem affectat.

Carmen IX.

Statim post acceptum primum nun-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo,
Beate Maecenas, bibam
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu, posteri negabitis,
Emancipatus feminae
Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest,

tium de victoria Actiaca poeta ut laetitiam suam exprimeret, tantam rem non minus quam sexennio ante, cum Agrippa de S. Pompeio victoriam reportasset, hilari convivio celebrandam esse Maecenati ostendit. In qua re tantum aberat, ut Octaviano victori adularetur, ut simul indicaret, quid esset cur hac victoria tantopere gaudendum existimaret. Turpiora etiam vincula, quam quae olim servilis Pompeii exercitus, Cleopatrae et Antonii luxuria ac mollities Urbi et civitati paraverat. Vicit Romana disciplina; restituta est Romana dignitas; inde iusta de felici pugnae exitu laetitia.

V. 1. *repostum*] vide ad Carm. II, 2, 2. — *Caecubum*] cf. ad Carm. I, 20, 9. — *alta domo*] Magnam sibi Maecenas in Esquiliis, ubi olim sepulcra fuerant, domum aedificaverat. cf. Carm. III, 29, 10. Sat. I, 8, 14. — *sic Iovi gratum*] »Iovi enim victoriae auctori gratum ita animum testamur.« — *beate*] cui omnia ex voto cedunt. cf. Carm. I, 4, 14. — *mixtum*] cf. Carm. III, 19, 18. IV, 15, 30. Dorica harmonia ad bellicos cantus, Phrygia ad compotationes aptissima; utraque coniuncta bene miscetur carmen, quo laetitia de aliqua victoria percepta exprimatur. Catull. 64, 264: »Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.« — *actus freto*] Siculo, ubi prope Messanam S. Pompeius ab Agrippa victus est a. u. 718. — *nuper*] »*Nuper* saepe non tam praesenti tempori quam antiquiori apponitur.« Hand. Turs. T. IV. p. 346. Cic. de nat. D. II, 50, 126: »Quid ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt.« — *Neptunius*] S. Pompeius rerum mari gestarum magnitudine elatus Neptuni se filium esse gloriabatur. Appian. b. c. V, 100: »*Ὁ δὲ Πομπήϊος οὐδ' ἐπὶ τοιῷδε εὐκαιρίᾳ τοσοῖσδε ναυαγίοις ἐπιχειρεῖν ἠξίου· ἀλλ' ἔθνε μόναν θαλάσσαν καὶ Ποσειδῶνι, καὶ υἱὸς αὐτῶν ὑμνεῖσθαι καλεῖσθαι.*« Vellei. Pat. II, 73: »Is tum occupata Sicilia servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecerat, perque Menam et Menecratem, paternos libertos, praefectos classium latrociniis ac praedationibus infestato mari ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non depuderet vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.« Aurel. Vict. c. 84: »Cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est eumque bubus auratis et equo placavit.« — *emancipatus*] Emancipare se alicui est se alicui vendere, totum tradere. cf. Cic. de sen. 11, 38. Phil. II, 21, 51. — *Romanus*] non unus est Antonius, sed omnis exercitus Antonii. Singularis autem cum vi et indignatione positus: homines Romanorum civium nomine ornati, clarissimi totius orbis milites. — *fert vallum et arma*] cf. Cic. Tusc. II, 16.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium!
At hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Caesarem,
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Karthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico

Quod inter tantos labores tanta ipsi virium magnitudine instructi spadonibus, vilissimo hominum generi, et mulierculis servire potuerunt, illud indignissimum est; inde *potest* i. e. ab animo impetrat, sustinet. — *conopĭum*] *κωνωπεῖον*, unde etiam conopēum et conopĕum; fuit velum ad arcendos culices in Aegypto frequentes lectulis obtentum; quod turpissimum visum est Romanis mollitiei indicium. Apud Propert. III, 11, 45 »Foedaque Tarpeio conopea tendere saxo« Cleopatra minata esse dicitur. — *Sol*] Qui omnia videt, hoc quoque videt et indignatur. — *At hoc*] In codicibus *At huc* vel *Ad hunc* vel *Adhuc*, in uno *At hunc*. Quod recepi, ex emendatione Feae est: neque tamen ablativum ibi cum Fea video, sed cum Orellio accusativum cum verbo *frementes* coniungendum. Cuius rei Romanos non puduit, puduit Gallos (Galatas, milites Deiotari minoris). De accusativo compara Virg. Aen. VII, 460. XI, 132. Bentleius malebat *ad hoc*, ut sit: ad hoc conopium, ad hoc turpe spectaculum, nempe quod feminae et eunuchis parendum esset, quod inter signa conopium viseretur, prae indignatione transfugerunt. Sic etiam Meinek. Hauptius. Peerlkampio placuit *ab hoc* sc. Galli se averterunt; Linker. recepit *At hoc*, Keller. *Adhuc*. Ceterum Peerlk. cum Guieto vv. 17—20 spurios esse censuit. — *canentes Caesarem*] Plut. Ant. 63: »Ἐγένοντο δὲ καὶ βασιλέων ἀποστάσεις Ἀμύντου καὶ Δηιοτάρου πρὸς Καίσαρα.« De verbis compara Virg. Aen. VII, 698. Ovid. Met. XII, 241. — *hostiliumque*] »Etiam navalium copiarum pars pudore et metu perculsi navibus retrorsum actis (*puppes citae*) ignavi in portu latuerunt.« Quae res cum ab Horatio fingi non potuerit, haud dubie cum primo de pugna nuntio Romam perlata est; nam quod rerum scriptores qui ad nos pervenerunt nihil eius rei memoriae tradiderunt, Horatium id non potest refellere. — *sinistrorsum*] Aegyptum versus: *puppes ciere* est *remis inhibere*; quod fieri solet ne fuga ab hostibus sentiatur. — *Io triumphe*] vide ad Carm. IV, 2, 49. — *intactas*] quibus iugum non impositum. — *ducem*] Non tanta fuit neque Marii de Iugurtha neque Scipionis de Karthagine triumphantis gloria. Intelligendus est Scipio minor, cui virtus in ipso solo ubi Karthago steterat monumentum quasi erexit; nam id ipsum quod aemula olim imperii Romani Karthago deleta est, Scipionis perpetuum est monumentum. Non temere est factum, quod Iugurthinum et Punicum bellum in comparationem vocantur; Octavianus quoque ex Africa (Aegypto) unde summa imperio pericula semper imminuerant triumphavit. — *punico*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos
Et Chia vina aut Lesbia,
Vel quod fluentem nauseam coërceat
Metire nobis Caecubum:
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

Carmen X.

Mala soluta navis exit alite
Ferens olentem Maevium.

i. e. purpureo sago posito lugubre sumpsit; purpureo enim paludamento imperatores in proeliis utebantur. De forma *punico* Lachmann. ad Lucret. p. 123: »*punicum* et *puniceum* promiscue dixerunt de colore et de gente, ut *poenicum* Varro et Horatius in epodo 9; ita *punica rostra* Propert. IV, 3, 32 et Ovid. Am. II, 6, 22; contra lex Thoria 75 *bello Poinicio proxsumo* et idem Ovidius in Ibide 280 *a duce Puniceo*.« cf. Carm. IV, 10, 4. Florus IV, 11, 3 de Antonio: »Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis, diadema aderat.« — *mutavit*] Lachmann. ad Lucret. l. l. pro perfecto futurum *mutabit* necessarium habuit, contra omnes, quod sciam, codd.; quem secuti sunt Haupt., Meinek., Linker., non Keller. Perfecto *mutavit* bene Antonii dolor ob amissum proelium exprimitur. De constructione verbi cf. Carm. I, 17, 1. — *centum urbibus*] cf. ad Carm. III, 27, 33. — *non suis*] adversis. cf. Cic. Quinct. 7, 29: »Alphenus utebatur populo sane suo.« Ovid. Met. XIII, 195. — *exercitatas*] pro vulgari *exercitas*, ut Tacit. Agric. c. 5: »non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit.« — *coerceat*] quia Caecubum austerum. Nausea, si proprie intelligenda est, ad vomitum in Romanorum conviviis solitum neque apud illos pudendum referenda videtur; non inepte tamen sentias hoc loco fastidium spadonibus et luxuria Clepatrae motum (*fluens*). Peerlk. vv. 35. 36 ut spurios eiecit.

Carmen X.

Dira est detestatio Maevii, mali poetae, bonorum hominum obtrectatoris (Virg. Buc. 3, 90), Athenas tunc proficiscentis. Comparandum est Carm. I, 3, quo amicum Virgilium, item Athenas proficiscentem, optimis votis prosequitur. Quo anno scriptum sit hoc carmen dici nequit; probabilis autem est opinio eorum, qui exeunte a. 713, non diu postquam Horatius cum Virgilio familiaritatem contraxit, carmen compositum putant. Virgilii Bucol. 3 scriptum est vere anni 712.

V. 1. *Mala alite*] Carm. I, 15, 5. — *olentem*] putidum et animo et

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus inverso mari
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
Quam Graia victorum manus,
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis eiulatio
Preces et aversum ad Iovem,
Ionius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo littore

corpore. cf. Sat. II, 3, 75. — *Auster*] Concitantur in Maevii perniciem tres venti, Auster, Eurus, Aquilo. Quartus, Iapyx, non vocatur, quia secundus esset. Plane contrarius locus est Carm. I, 3, 4. — *niger Eurus*] nubes cogens. cf. Carm. I, 5, 7. — *quantus*] tanto impetu, quanto. — *sidus amicum*] cf. Carm. I, 3, 2. — *tristis Orion*] Epod. 15, 7. Carm. III, 27, 18, ubi vide annot. Optat ut ne amicum sidus appareat *ea nocte, qua* Orion cadens tristem tempestatem concitat. — *Ilio*] vide ad Carm. I, 10, 14. De pernicie Aiacis minoris lege Hom. Od. IV, 499 sqq. Virg. Aen. I, 39. Ceterum neque in hac comparatione inest quidquam festivitatis neque in ulla parte carminis, quod totum acerbum est et prope malignum. — *sudor*] ut Carm. I, 15, 9. — *pallor luteus*] Lutum herba est in palustribus et aquosis locis nascens, flore rufo vel aureo; quo pannorum infectores utuntur ut caerulei coloris pannos virides efficiant; nostratibus Wau, Gilbgrau, ap. Linn. reseda luteola. Ornatur hoc adiectivo pallor ad summum terrorem significandum. — *eiulatio*] Frequentior videtur altera forma *eiulatus*; illa tamen etiam apud Ciceronem de legg. II, 23. Cur ea *non virilis* sit, videbis apud eundem Tusc. II, 23, 55. cf. Epod. 16, 39. — *preces et*] vide ad Carm. I, 2, 9. — *sinus*] cf. Carm. I, 33, 16. III, 27, 19. Epod. 1, 13. — *Ionius*] De quantitate primarum syllabarum cf. Carm. III, 6, 21. Ep. 2, 54. Poetae latini fluctuant inter ⏑ – ⏑ ⏑ et ⏑ – ⏑ ⏑. Nam quod Servius ad Virgil. Aen. III, 211 docere videtur *Īŏnicum* ab Io, Inachi filia, *Ĭōnicum*, ab Ἰωνία fieri, nihil est. — *remugiens*] Carm. III, 10, 5 sq. III, 29, 57. — *opima praeda*] Non intelligo cum scholiastis de pinguitudine corporis Maevii, sed ut posita haec sunt vocabula apud Cic.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Porrecta mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper
Et agna Tempestatibus.

Carmen XI.

Petti, nihil me sicut antea iuvat
Scribere versiculos amore percussum gravi,
Amore, qui me praeter omnes expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.

Rosc. Am. 3, 8: »illam opimam praeclaramque praedam.« cf. Cic. Verr. II, 1, 50: »Indignum videri coepit, ex tanta aede non *opimum praeda* discedere;« et Valer. Fl. III, 143: »opima cadavera« i. e. ex quibus spoliantes ditescunt. — *porrecta*] de cadavere extento. Bentleii coniectura *proiecta* Linkero probata est, non Hauptio aut Meinekio aut Kellero; quamquam in uno cod. Orellii idem repertum est. — *iuveris*] Sic cum Meinek. Haupt. Linker. Keller. ex minore quidem parte MSS., sed quam magnopere adiuvat Commentator Cruquii, apud quem est *paveris*. Maior pars codd. habet *iuverit*. Ad sententiam, quae inest in verbo, compara Plaut. Capt. I, 2, 33 »neque unquam quidquam me iuvat, quod edo domi.« Stat. Silv. IV, 9, 51 »Aut cum me dape iuveris opima.« Quintil. Declam. IX, 15 »Si hominem cibo iuvissem.« — *mergos*] Qui quamquam cadavera non attingunt, insatiabiles tamen sunt. Plin. XI, 37, 79: »Insatiabilia animalium, quibus a ventre protinus recto intestino transeunt cibi, ut lupis cervariis et inter aves mergis.« — *Tempestatibus*] Virg. Aen. III, 120. V, 772.

Carmen XI.

Apud amicum Pettium conqueritur, se tantopere nunc captum esse amore ut ne versus quidem facere, dulcissimum ante studium, aut possit aut velit; nihil se posse aliud cogitare nisi amorem; eodem se semper vel ultro trahi. Pettius — sic in antiquis editionibus et inscriptionibus nomen scribitur — quis fuerit nescimus; neque potest definiri annus quo videatur scriptum hoc carmen, nisi quod tribus annis post Epod. 12 compositum esse versu 5 ostenditur. Suspicantur igitur non male, scriptum hoc esse a. 716; alii minore probabilitate ad a. 720 v. 721 retulerunt.

V. 2. *versiculos*] non sine aliquo contemptu Cic. orat. 20, 67: »Apud quos (comicos poetas), nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis;« sed cf. Sat. I, 10, 58. — *percussum*] Variant codd. inter *percussum* et *perculsum*; illud nunc praetuli cum Bentleio, qui haec docuit: »*percellere* maius quid quam percutere significat, tanta scilicet vi percutere, ut evertas et solo prosternas. Ergo in re graviore *perculsus* aptius vocabulum est; perculsus terrore, metu, formidine, clade, ruina passim in auctoribus occurrunt. Contra in leviore affectu *percussus* potius dixeris, ubi animus scilicet ut ictus, saucius, non eversus tamen et consternatus. cf. Epod. 7, 16. Virgil. Georg. II, 476. Aen. IX, 197.« Cruquius habet *perculsus*, quamquam de Bland. codd. nihil notavit. — *praeter omnes*] vide ad Epod. 3, 9. — *expetit urere*] me prae omnibus elegit quem urat. Vide ad Carm. I, 1, 8. De praepositione *in* compara Ovid. Rem. Am. 283: »in qua male vulneror una.« id. Met. VII, 21: »quid in hospite, regia virgo, ureris?« id. A. A. I, 731: »pallidus in Lyrice silvis errabat Orion.« Terent. Eun. III, 5, 19:

Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me, per urbem — nam pudet tanti mali —
Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quis amantem languor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar applorans tibi,
Simul calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quodsi meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta vulnus nil malum levantia,
Desinet imparibus certare summotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram,
Iussus abire domum ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes et heu
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam

»in hac commotus sum.« — *honorem*] frondes, ut Virg. Georg. II, 404. cf. Carm. I, 17, 16. — *nam pudet*] Similiter Graeci γὰρ usurpant ad explicandam non totam sententiam sed unam partem vel unum etiam vocabulum. Inest in his causa, cur *heu me* vocabulis doloris et aegritudinis sensum prodiderit. — *fabula*] Latinis fabulae dicuntur qui hominibus confabulandi et ridendi occasionem praebuerunt. cf. Epist. I, 18, 9. — *languor*] non pallor oris, sed torpor quidam animi et omnium rerum, de quibus agitur, negligentia. Inde oritur *silentium*. — *arguit*] Est perfecti temporis. — *Contrane*] Indignantis est exclamatio, ut Epod. 8, 1. — *lucrum*] cum Inachia ditiorem rivalem propter pretiosa dona ingenio pauperis poetae praeferret. — *applorans*] Praeter h. l. non videtur legi nisi semel apud Senecam. — *inverecundus*] Simulac vini largiore usu effectum erat, ut amore me captum profiterer. Aliter Bacchus *verecundus* est Carm. I, 27, 3. — *inaestuet*] ἅπαξ λεγόμενον; similiter Catull. 62, 47: »animo aestuante.« — *libera bilis*] cf. Epod. 4, 10. — *ventis dividat*] h. e. ventis dissipanda tradat. cf. Carm. I, 26, 1 sqq. — *fomenta*] querelas, ex quibus remedia saepe et solatia petuntur. cf. Epist. I, 3, 26. *Ingrata* sunt, quia vulnus nihil levant. — *imparibus*] ingenio inferioribus. Est tertius casus. Vide ad Carm. I, 3, 13. — *summotus pudor*] poetice pro: summoto pudore desinam certare imparibus. — *te palam*] Ovid. Trist. V, 10, 39: »meque *palam* de me tuto mala saepe loquuntur.« Liv. VI, 14, 5: »inde rem creditori *palam populo* solvit.« — *incerto pede*] cum pedes quasi invitum me ad Inachiam perducerent. — *postes*] cf. Carm. III, 10, 2. 20. — *mollitie*] Plurima pars codicum *mollitia*; illud Bentleius prae-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vincere mollitie amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,
Sed alius ardor aut puellae candidae,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

Carmen XII.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera quid mihi quidve tabellas
Mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis et quam malus undique membris
Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare; nec illi
Iam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili, iamque subando
Tenta cubilia tectaque rumpit!
Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
Inachia langues minus ac me;
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
Mollis opus. Pereat male quae te

tulit, ut evitaretur »vastus ille et inconditus sonus *a a.*« — *renodantis comam*] qui, ut puellae solebant, comam eleganter in nodum retro colligit.

Carmen XII.

V. 1. *barris*] »Apud Indos elephantus a voce *barrus* vocatur; vox eius *barritus.*« Isid. Origg. XII, 2, 14. — *quid mihi*] Praetulerunt alii, etiam Ritter. Keller. Peerlkamp. ex maxima parte codicum *cur*, non bene; nam orta est particula ex glossa, quae postea in versum irrepsit, ut modo *cur mihi quidve* modo *quid mihi curve* scriberetur. Recte igitur Bentleius simplicissimum elegantissimum revocavit *quid mi quidve*. Sic etiam Haupt. Meine Linker. — *tabellas*] epistolas amatorias. — *obesae*] crassae, pinguitum, quia pinguedo sagacitatem impedit, obtusae, hebetis. — *sagaci unus*] Unus saepe superlativis, ra comparativis additur. cf. Virg. Ae I, 15. — *polypus*] vide ad Sat. I, 40. — *vietis*] h. l. bisyllabum. *creta*] Ovid. A. A. III, 199: »Scit et inducta candorem quaerere creta — *stercore crocodili*] Plin. H. XXXVIII, 8, 28: »Intestina (croc dili) diligenter exquiruntur iucund

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? Tibi nempe,
Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos capreaeque leones!

Carmen XIII.

Horrida tempestas coelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant: rapiamus, amici,

nidore farta. Illita quoque ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit (crocodilea).« — *Lesbia*] lena. — *muricibus Tyriis iteratae*] dibapha. Vide ad Carm. II, 16, 35. — *pavet lupos*] De accusativo vide ad Carm. IV, 5, 25.

Carmen XIII.

Compositum videtur haud ita multo post pugnam Philippensem, quamquam alii annum potius 721 vel 722 significari putant. Est autem simillimum carmini I, 9; die enim hiberno ac pluvioso adhortatur amicos, ut genio indulgentes eas ante omnia removere velint molestias, quibus tunc ipsum iniquitate anni premantur, futuri temporis rerumque publicarum curam benignitati et consilio deorum bono animo mandent. Quod praeceptum ut auctoritate firmet, exemplo utitur Chironis, qui Achilli alumno, cum fatum Parcarum certa voluntate fixum ac destinatum effugere non posset, ut quidquid sibi vitae concessum esset laeto animo transigeret neve nimia futurarum rerum sollicitudine ipse perderet sapienti quondam consilio suaserat.

V. 1. *contraxit*] Cic. N. D. II, 40, 102: »Sol modo accedens, tum autem recedens quasi *tristitia quadam contrahit terram*, tum vicissim laetificat«; unde qualis in hoc verbo insit metaphora intelliges. — *Iovem*] pluvium. Sic Lucr. I, 251: »Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether In gremium matris Terrai praecipitavit: At nitidae surgunt fruges ramique virescunt Arboribus cett.« cf. Virg. Georg. II, 325 sqq. — *Threïcio Aquilone*] Hiatus in proprio nomine et arsi veniam inveniet. Cuius rei exempla ex Ovid. Metam. congessit Loersius ad Met. III, 184 haec: II, 244. V, 312. 409. 625. VIII, 310. XI, 93. IV, 535. XI, 17, quae tamen omnia praeter unum (V, 625) hoc habent commune, quod hiatus admissus est in arsi quinti pedis. Ceterum cf. Carm. I, 25, 11. — *amici*] Sic omnes libri, quorum auctoritas propter v. 6, ubi symposiarchum alloquitur, non debuit contemni a Bentleio, qui ex coniectura scripsit *amice*. Inter recentiores hunc secuti sunt Haupt. Meinek. Linker. Ne illud quidem necessarium est, quod Kellerus excogitavit: »equidem *amici* = *nos amici*, non = *vos amici* interpretandum esse arbitror.« cf. Carm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus,
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae

I, 27, 7. 37, 4. — *de die*] de praesenti die, nihil confisi futuro tempore. cf. Carm. III, 8, 27. — *virent genua*] cf. Carm. I, 9, 17. In genibus robur corporis inesse visum est antiquis hominibus. Plin. H. N. XI, 45: »Genibus hominum, inquit, inest quaedam religio observatione gentium; haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec ut aras adorant; fortasse quia inest iis vitalitas.« Inde Homerica illa *θεῶν ἓν γούνασι κεῖται* et *γούνατα λύειν*. — *obducta*] curarum nubibus. — *senectus*] severitas ac morositas senilis; sic Epist. I, 18, 47 *senium*. — *Torquato*] cf. Carm. III, 21, 1. Ex hoc loco Walckenarius nimis acute efficere conatus est, hoc carmen scriptum esse ab Horatio ipso suo natali die anni 714. — *move*] cf. Carm. III, 21, 6. III, 28, 7. — *cetera*] Intelligenda hominum discordia et perturbatus rerum civilium status; ut Carm. I, 9, 9. — *haec*] de quibus nunc sumus solliciti. — *Achaemenio*] cf. Carm. II, 11, 16. II, 12, 21. III, 1, 44. Neutralem positionem *nardum*, quae est etiam Epod. 5, 59, h. l. codicum auctoritas tuetur. — *iuvat*] Indicativus positus est ut Carm. I, 4, 9. 37, 1; poeta enim iam non optat aut adhortatur, sed ostendit ac docet; quare iniuria Peerlkampius *iuvet* scribi voluit. — *Cyllenea*] Mercurius, natus in Cyllene Arcadiae monte, lyram invenisse dicebatur. cf. Carm. I, 10, 6. — *grandi*] Referendum hoc ad ingentem corporis staturam, qualis esse solebat heroum. — *mortalis dea*] Noli negligere artem poetae, qui quae contraria sunt loci propinquitate coniunxit, ut vitae brevitas etiam Achillis deae filii clarius illustraretur. cf. Virg. Aen. VI, 365. VIII, 293. — *Assaraci*] Hom. Il. XX, 232. — *frigida flumina*] Plurali numero indicari videntur variae quas flumen per agrum Troianum serpens edit species. Cum *parvum* dicit Scamandrum, repugnare videtur Homero Il. XXI, 15. Sed non priscam aetatem sed suum tempus respexit, quo »(Caesar) Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat«, ut Lucan. Phars. IX, 972. In qua re si quid peccatum est, poetae tribuendum est, non scribis; itaque abstinendum erit a coniecturis *proni* (Bentl.), *puri* (Peerlkamp.), *torvi* (Hermann.), *tardi* (Meinek.), *flavi* (Heins.). Adversus Meinekii coniecturam, ab Hauptio et Linkero nuper receptam, Ritterus haec adnotavit: »*celeri* flumine in mare pergere Scamandrum Welckerus testis fidus mihi asseveravit.« — *lubricus et Simois*] Adiectivum, de celeri cursu positum, frequentissimum est fluviorum ornamentum; ut Ovid. Fast. IV, 337 »*lubricus Almo*«, ibid. VI, 238 »*lubrice Tibri*« Am. III, 6, 81 »*lubricus amnis*«. Et Si-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Rupere nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

Carmen XIV.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos

mois apud Virg. Aen. V, 261 *rapidus* est. — *subteminc*] poetica variatione pro *filo*, quod certo et immutato tempore sectum vitae finem imponit. — *cantu*] cf. Hom. Il. IX, 186. — *alloquiis*] quae, vina et cantus, dulcia sunt alloquia, solatia aegrimoniae. *Alloquium* ante Augusti aetatem non videtur fuisse usitatum. — *deformis*] quae deformat ut vultum sic animum. Eadem ratione Lucan. Phars. VIII, 81 »*deformis dolor*.« Ceterum conferas Stat. Silv. II, 1, 232: »noctesque Dulcibus alloquiis et vivis vultibus imple.«

Carmen XIV.

Simili ratione qua Epod. 11 Horatius quod carminibus conscribendis limandis edendisque operam dare non possit, saeva amoris potestate effici Maecenati amico candido animo profitetur. In qua re suas rationes comparat cum Anacreonte Teïo, quem quid sentiret amoris vi coactum saepe in carminibus deposuisse indicat, nimirum ut animum curis gravatum levaret, conscripta dein carmina iteratis curis non limasse, sed intacta reliquisse. En habemus vere lyricum poetam, qui ex intimo pectore sensus haurit, quaeque ipse vel passus est vel vidit vel fecit carminibus prodit. In fine carminis ipsum Maecenatem quid valeat amor sentire ait poeta; iam opponitur puella a Maecenate amata libertinae Horatii, unde non pauci interpretes concludere ausi sunt, amicam Maecenatis Terentiam esse, tum sponsam, nondum in matrimonium ductam. Sed cf. ad Carm. II, 12. Ceterum hoc carmen non ita multo ante editam συλλογὴν Epodorum scriptum esse videtur.

V. 1. 2. *imis sensibus*] ut Virg. Buc. 3, 54. cf. Epod. 11, 10. — *oblivionem*] earum rerum, quas promiserim me facturum. — *ducentia*] ut Carm. III, 27, 42; aliter Virg. Aen. IV, 560. — *deus nam*] *Nam* particula proxime est referenda ad v. *occidis*; dicit enim hoc: tu non desinis me rogare, ita ut perpetuis quaestionibus cruciatum me sentiam; nam quid ego aliud tibi respondeam nisi hoc unum, deum esse qui me absolvere non patiatur incepta carmina. Ceterum cf. ad Carm. I, 18, 3. — *olim*] iamdudum tibi promissum iamborum librum; quo nomine non est dubium quin epodos a maiori parte nominare voluerit. Carminis nomine lyrica poesis significatur, opposita epicae; sic apud Quintilianum II. 4, 2: »fabula, quae versatur in tragoediis atque *carminibus*.« Similiter Lucretius VI, 936 de toto primo libro: »Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res Commemorare, quod in primo quo-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teïum,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina neque uno
Contenta Phryne macerat.

Carmen XV.

Nox erat et coelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu magnorum numen laesura deorum

que *carmine* claret.« — *ad umbilicum adducere*] »Extremitas chartae papyraceae vel membranae, ex quibus conficiebantur volumina, agglutinabatur bacillo, cui circumvolvebatur totum volumen. Illius capita ex osse aut ligno facta *umbilici* vocabantur, quia in media parte libri erant.« *Fea.* Est igitur absolvere, ut Mart. IV, 91, 1: »Ohe, iam satis est, ohe libelle, Iam pervenimus usque ad umbilicos.» — *arsisse*] cum ablativo. cf. Carm. II, 4, 7. III, 9, 5, ubi vide. — *miser*] propter nimiam potestatem etiam felicis amoris. — *quodsi*] de usu huius particulae apud Horatium vide ad Carm. I, 1, 35. Fuerunt, quibus aut languida aut inepta videretur ea particula, et Peerlkampius: »in his, inquit, connectionem cum toto carmine video nullam, neque unus omnium interpretum ostendit.« Quibus ita videtur, iis magis placebit quod *Axtius* ex coniectura restitui iussit *quo si* (i. e. quandoquidem, siquidem, quia isto tuo igni non pulchrior cet.), quam quod *Orellius* ex uno antiquo codice, in quo est *do q'*, eruere voluit: *quando*. — *ignis*] Virg. Buc. 3, 66. — *neque uno*] i. e. ac ne uno quidem contenta. Liv. XXXVIII, 21, 6: »saxis nec modicis utebantur.« Sic augetur levitas mulierculae, ipso nomine *libertinae* iam indicata. — *macerat*] Carm. I, 13, 8.

Carmen XV.

Perfidiam Neaerae, quae sanctissimo iureiurando interposito perpetuam ei fidem promiserat, graviter accusat, et ita quidem, ut iamiam se eam relicturum aliamque sibi fide et animo parem etsi minus pulchram quaesiturum minetur, rivali autem nunc glorianti ostendat neque divitias Croesi neque sapientiam Pythagorae neque puchritudinem Nirei eum ab eadem perfidia tueri posse. Quo anno carmen compositum sit nos latet. Bene autem ii iudicant, qui hoc pulcherrimum carmen, si non antiquissimum omnium, inter antiquissima tamen Horatii habent atque a. 713 scriptum existimant.

V. 1. *Nox erat*] Sic incipit etiam Ovidii carmen Am. III, 5: »Nox erat et somnus lassos summisit ocellos,« et similiter eiusdem Am. I, 5: »Aestus erat mediamque dies exegerat horam.« — *minora sidera*] cf. Carm. I, 12, 47. — *in verba iurabas mea*] Liv. XXVIII, 29: »Milites in verba P. Scipionis iurarunt;« a militibus igitur ad amantes translata res. cf.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

In verba iurabas mea,
Artius atque hedera procera adstringitur ilex
Lentis adhaerens brachiis:
Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera!
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes
Et quaeret iratus parem,
Nec semel offensae cedet constantia formae,
Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicunque es felicior atque meo nunc
Superbus incedis malo,

Epist. I, 1, 14. — *artius atque*] *Atque* post adiectivorum comparativos pro *quam* ponitur rarissime aut nunquam ab oratoribus, saepius a poetis. cf. Sat. I, 1, 46. I, 2, 22. 5, 5. 6, 130. 10, 34. 59. II, 3, 241. 270. II, 7, 96. Virg. Aen. III, 561. — *hedera*] eadem imago Carm. I, 36, 20. Catull. 61, 33: »Mentem amore revinciens, Ut tenax hedera huc et huc Arborem implicat errans.« — *Orion*] vide ad Carm. III, 27, 18. I, 28, 21. Epod. 10, 10. — *infestus*] semel positum, cum bis necessarium sit ad explendam sententiam: dum pecori lupus infestus foret et nautis infestus Orion cet. Peerlkampius vv. 8. 9 ut spurios eiiciendos esse putavit. — *turbaret*] Sic et postea *agitaret* in plurimis codicibus; atque immerito prava paucorum codicum lectio *turbarit*, *agitarit* a Bentl. Meinek. Haupt. Linker. praelata est. Utique enim referenda sententia ad imperfectum *iurabas*, quo idem tempus vehementer efflagitatur. Suo more Horatius tres eiusdem rei imagines coniunxit, duas ex natura rerum, tertiam ex mythologia petitam. Gratae huius varietatis dilucida exempla exhibet Carm. II, 10. De Apolline vide ad Carm. I, 21, 2. — *mea virtute*] per me, meis viribus. cf. Plaut. Mil. III, 1, 82: »Deum virtute transeuntem hospitio accipere.« ibid. 142: »tua te ex virtute et mea Meae domi accipiam benigne.« Sententia haec est: quantum in me est, efficiam, ut tuae te perfidiae poeniteat. — *in Flacco*] Cum vi et gravitate nomen ponitur tanquam tertiae personae. Vide ad Carm. IV, 6, 44. — *parem*] cf. Epod. 11, 18; meo candore et ingenio dignam. — *semel offensae*] semel invisae, ut apud Ciceronem Sest. 58: »cui nos offensi invisique fuerimus.« Hoc minatur, si semel pectus ita intraverit dolor, ut aliam puellam quaesiverit, nunquam se hac relicta ad Neaeram quamquam pulchriorem rediturum. A coniecturis abstinendum est, neque enim Bentleii *offensi* neque Meinekii *intravit* necessaria est. — *superbus incedis*] cf. Epod. 4, 5. — *sis licebit*] cf. Carm. I, 28, 35. III, 27, 13. Sat. II, 2, 59. — *Pactolus*] Plin. H. N. XXXIII, 4: »Aurum invenitur fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Pado Italiae, Hebro Thraciae, Pactolo Asiae, Gange Indiae. Non ullum absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum.« —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sis pecore et multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea,
Eheu translatos alio moerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

Carmen XVI.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit,
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,

renati] vide ad Carm. I, 18, 10. — *Nirea*] vide ad Carm. III, 20, 15. — *risero*] Fut. exact. de re, quae aliam rem futuram vel comitabitur vel celerrime sequetur, ut ap. Cic. ad Attic. V, I: »Tu invita mulieres, ego accivero pueros.« id. Verr. II, 62. Caes. B. G. IV, 25.

Carmen XVI.

Memorabilis est Acronis scholiastae ad versum 41 annotatio: »In quo (Oceano) sunt insulae fortunatae, ad quas Salustius in historia dicit victum voluisse ire Sertorium;« cui fides accedit ex auctoritate Plutarchi in vita Sertorii c. 9 eandem rem narrantis. Iam cum Horatium misero reipublicae statu graviter afflictum hoc carmine idem civibus suis consilium dare videamus, non inanis videatur coniectura poetam Sertorianam illam vocem in simili omnium rerum desperatione arripuisse et poeticis imaginibus ac luminibus illustrasse. Summa autem Romanarum rerum desperatio, quae per totum carmen quasi regnat, quod aliud tempus ostendere potest nisi illud quo Brutianae partes dissipatae ac profligatae nullam restituendae libertatis spem reliquerant necdum Horatius cum contraria parte ita pacem fecerat ut salutem inde posset exspectare? Quare scriptum videtur carmen a. u. c. 713 sub initium belli Perusini. Scena quae carmini quasi subiecta est, sumpta est ex concione civium, ad quos poeta agit de republica; ut speciem praebeat orationis ad populum habitae metrorum vinculis circumclusae. In qua re quaerenda mihi videtur causa molestae cuiusdam ubertatis ac paene vitiosae latitudinis, quam ut in magna figurarum τοῦ ἀδυνάτου copia ita in nimia fortunatarum insularum descriptione reprehendas. Ceterum animadvertendum est, principalem sententiam eandem esse quam in Epod. 7 inesse vidimus.

V. 1. *Altera*] nam Sullana aetas prima fuit. — *teritur*] Recte Comment. Cruq. *consumitur*. — *suis et ipsa*] In pedestri oratione scriberemus *suis ipsius viribus*; *et* part. postposita est. cf. Epod. 7, 9 sq. Augustin. de C. D. 18, 45: »Roma late orbi terrarum imperans tanquam se ipsam ferre non valens sua se quodammodo magnitudine fregerat.« — *Marsi*] Tria in his versibus diversorum hostium quasi quaedam castra coniuncta, distichorum spatio inter se divisa. In qua re quod diversissimas quasque nationes coniunxit poeta, id consulto factum puto, nimirum quo magis pateret nihil unquam fuisse quod Romanam potestatem imminuere po-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube
Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor et Urbem
Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre! dissipabit insolens.
Forte quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus:
Nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum,

tuisset. Iam habes etiam cur vv. 6 et 8 non videatur necessarium librorum particulam *que* in *re* mutare. — *Capuae*] Cicer. de leg. agr. II, 32: »Maiores tres solum urbes in terris omnibus, Karthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.« — *Allobrox*] Videnda necessario coniuratio Catilinaria et bellum quod eam secutum est. Cic. de prov. cons. 13: »C. Pomptinus ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione (Catilinae) excitatum proeliis fregit eosque domuit qui lacessierant.« Allobroges Galli erant, de quorum novarum rerum studio certissimus locus est Caes. B. G. IV, 5. Ceterum singularis *Allobrox* non legitur nisi in poetarum libris. — *parentibus*] maioribus nostris. Qualem Romani Hannibalem cogitaverint, ex hoc loco Senecae de ira II, 5 intelligas: »Hannibalem aiunt dixisse, cum fossam sanguine humano plenam vidisset: o formosum spectaculum! Quanto pulchrius illi visum esset, si flumen aliquod lacumque complesset. Quid mirum, si hoc maxime spectaculo caperis innatus sanguini et ab infante caedibus admotus?« — *abominatus*] passive ut Liv. XXXI, 12, 8. — *devoti sanguinis*] exitio destinatae originis, ut Stat. Silv. V, 3, 116: »non tibi deformes *obscuri sanguinis* ortus« cf. Hor. Carm. III, 27, 65. — *rursus*] ut ante urbem conditam. — *cineres insistet*] Apposite ad primam verbi significationem oritur vis *calcandi* et *insultandi* cum notione contumeliae et contemptionis etiam in verbo *verberabit* conspicua, neque ita rarus est accusativus obiecti propter cognatas adeundi, incundi, ingrediendi notiones. Virg. Aen. VI, 563. Terent. Eun. II, 3, 3: »quam insistam viam?« — *carent*] h. e. nunc defenduntur, quia Romanis sacra sunt. »Sic dicit, quasi Romulus sepultus sit, non ad coelum raptus aut discerptus a senatoribus: nam Varro post Rostra fuisse sepulcrum Romuli dicit.« *Porphyrio.* — *videre*] Blandini quattuor habebant *videri*, sed iam *Glareanus* observavit activam formam praeferendam esse, ne hoc uno loco metrum, quod puris iambis compositum est, turbaretur. cf. Carm. I, 11, 1.

V. 15. *Forte quid*] Omissa particula *si*, ut Sat. II, 5, 74. Epist. I, 6, 56. Ordo est: »si forte quaeritis communiter (omnes) aut melior pars (cf. v. 37), quid expediat carere malis laboribus«, h. e. quid efficiat ut careamus. *Carere* enim infinitivus ad exemplum Graecae structurae obnoxius est potestati alterius verbi *expediat*. — *commu-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba miluo,
Credula nec ravos timeant armenta leones,
Ametque salsa levis hircus aequora.
Haec et quae poterunt reditus abscindere dulces
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes

niter] cf. Ovid. Met. VI, 262: »dique o communiter omnes.« — *Phocaeorum*] Herod. I, 165. — *exsecrata*] Herod. l. l.: »*ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας*. — *profugit agros*] ut Colum. I, 3: »ut propter iniurias vicinorum sedes suas profugerint.« Curt. X, 2: »ne servi quidem uno grege profugiunt dominos.« — *patrios*] In editionibus et veteribus et recentioribus *proprios*, quod ex interpretatione ortum esse statim vides. — *habitanda*] cf. Carm. III, 3, 40 sq. — *pedes*] cf. Carm. III, 11, 49. — *protervus*] Carm. I, 26, 2. — *saxa*] Ad exemplum Phocaeorum, qui ferri massam in mare iniecisse dicuntur. Aliud figurae *τοῦ ἀδυνάτου* exemplum praebet Claudian. in Eutrop. I, 350: »si talibus, inquit, Creditur et nimiis turgent mendacia monstris: Iam testudo volat, profert iam cornua vultur; Prona petunt retro fluvii iuga; Gadibus ortum Carmani texere diem, iam frugibus aptum Aequor, et assuetum silvis delphina videbo.« Versus 27—39 ut spurios notavit Peerlkampius, scilicet ne luxuriari videretur poeta ingenio. — *Matina*] vide ad Carm. I, 28, 3. — *ravos*] sic Blandin. codices omnes. Alii *flavos* (Haupt. Linker. Keller.) vel *fulvos*; sed vide ad Carm. III, 27, 3. — *levis hircus*] Oxymoron; nam natura villosus est hircus, levis factus cum per aquam natavit. — *haec et quae*] Coniunge cum *exsecrata*: his similibusque exsecrationibus factis. Accusativum compara cum hoc apud Ciceron. ad Attic. VI, 2, 2: »*quod* quidem illum soleo hortari.« — *dulces*] blandos; ad redeundum in patriam propensus est hominum animus. Pluralis *reditus* varia redeundi consilia et conatus significat. — *exsecrata civitas*] Consulto haec repetuntur ex v. 18, quo

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Inominata perprimat cubilia!
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et volate littora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivae
Suamque pulla ficus ornat arborem,
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae
Refertque tenta grex amicus ubera,
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis

par Phocaeorum et Romanorum status magis etiam inculcetur. — *Etrusca praeter*] Praepositiones postpositas (vide ad Carm. III, 3, 11) enclíticarum vocalarum instar nomini suo adhaerere caesura ostendit atque altera enclítica *et*. Alii tmesin vident, pro *praetervolate*. — *circumvagus*] ἀψόῤῥοος. Catull. 64, 30: »Oceanusque pater, totum qui amplectitur orbem.« — *arva*] De itérato in altero versu eodem vocabulo — in qua re quanta vis insit non est quod dicatur — conferas Epod. 11, 3. Virg. Aen. VII, 586 sq. Porphyrion: »Ordo est: Oceanus circum arva beata vagus.« Inde Peerlkamp. hanc formavit sententiam: »*Nos manet Oceanus circumvagus arva; beata Petamus arva*«; Bentl. et Keller. contra: *N. m. O. circumvagus arva beata; Petamus arva, divites et insulas.*« Neutrum tamen magis placet quam Axtii coniectura *circumvagus: eia, beata* cet. — *Cererem*] pro frumento, ut Vulcanus pro igne apud Ovid. Met. VII, 104: »Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant Aeripedes tauri.« id. VIII, 290 sqq.: »Is modo crescentes segetes proculcat in herba, Nunc matura metit fleturi vota coloni, Et *Cererem* in spicis intercipit.« Ceterum lege Ovid. Met. V, 341 sqq. — *pulla ficus*] matura. Ac nascitur ea in sua arbore, non in insitivis ramis; insitione igitur in beatis insulis non est opus. — *levis crepante*] »Eleganter ipso versu susurrum aquae desilientis imitatus est.« *Comm. Cruq.* Aquae quia currunt, apud poetas *pedem* quoque habent; ut Virg. Cul. 17: »Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.« — *tenta ubera*] ut Virg. Buc. 4, 21. — *vespertinus*] vide ad Carm. I, 2, 45. — *circumgemit*] Gemere dicuntur ea maxime animalia, quorum vox gementi similis est, sed extendunt poetae notionem, ut Virg. Aen. VII, 15. — *intumescit alta*] Voc. *alta* notione sua artissime cum *intumescit* coniungendum, ut sit »Noch schwillt von Nattern hoch der Boden auf.«

V. 53. *mirabimur, ut*] cf. Carm. III, 4, 13 sqq. — *radat imbribus*] proprio sensu; imbres enim agros diluunt et dilacerant. Paulo aliter Sat. II, 6, 25. — *nec*] postpositum; vide ad Carm. I, 8, 6. — *pinguia*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante coelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Iuppiter illa piae secrevit littora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aere, dehinc ferro duravit saecula: quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

sunt sucosa; artificiose igitur adiectiva per se contraria vicinitate locorum coniuncta sunt, ut saepe. — *Non huc*] Intactae illae insulae sunt ab hominum commercio neque infectae cupiditatibus, mercaturae et commercii illis quidem sociis. Cuius rei triplex affertur exemplum: Argo navis cum Medea, quae patre relicto peregrinum virum secuta est; Sidonii nautae, qui ut divitias conquirerent in remotissimas regiones penetrabant; Ulixes versutus et astutus. Praeterea notandum, eadem tria exempla clarissima esse per antiquitatem longinquis per Oceanum navigationibus. — *cornua*] antennarum capita. Virg. Aen. III, 549. Ovid. Met. XI, 476. — *Nulla nocent*] »Hoc loco hi versus in omnibus codd. leguntur. Interpretes eos aut in alium locum vel post v. 52 vel post v. 56 transferunt aut pro spuriis habent. Sed poeta primum eas insularum dotes, quae terra ipsa continentur, vv. 43—52 descripsit, deinde res quae extrinsecus veniunt subiunxit. Terra nihil in se continet quod aut agris aut incolis et gregibus noceat neque extrinsecus mala veniunt. Etenim agros neque nimiae pluviae vexant nec siccitas exurit, incolae a peregrinis non turbantur, pecudes denique nullis contagiis laborant. Igitur neque agris neque hominibus neque pecudibus quidquam timendum est.« Iahn. — *astri*] cf. Carm. III, 13, 9. — *aere*] Tres habet aetates, auream, aeream, ferream, omissa argentea. — *aere, dehinc*] Alii ex codd. *aerea dehinc* (monosyll.), qua lectione molestam, ut dicebant, anaphoram vitarent. At vero recte animadversum est, referri anaphora commotum poetae animum, quo intueatur humani generis depravationem. cf. supra v. 41. Deinde si quid ibi molesti est, id ne adiectivo quidem *aerea* pellitur. Praeterea Meinekius docuit *dehinc* Horatio nunquam esse monosyllabum, v. Sat. I, 3, 104. 5, 97. A. P. 144; contra eidem neque *dein* unquam bisyllabum neque *deinde* et *deinceps* trisyllabum est. — *quorum*] Genitivus est quem solemus obiectivum dicere.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmen XVII.

Iam iam efficaci do manus scientiae
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina
Per atque libros carminum valentium
Refixa coelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris

Carmen XVII.

Duobus carminibus, quae in Canidiam sagam ut veneficam acerbissime scripta erant (Epod. 5. Sat. I, 8), hoc tertium additur. Fingit enim poeta, Canidiam versibus suis in furorem gravissimamque iram agitatam magica arte etiam in se usam esse, non ut ludibrium et odium in amorem converteret, sed ut durissima quaeque mala in inimicum cumularet. Cuius quidem artis maximam vim iam nunc se sentire simulat inimicamque ut tandem sibi satis cruciato parcere velit supplex obsecrat. Sed surdae sunt aures Canidiae; nunquam ea furorem ultionemque minuet. Duae igitur carminis sunt partes, prior (v. 1—52) qua poeta quidquid olim calumniatus sit mentitum se esse humili animo videtur fateri; altera (v. 53—81) qua Canidia veniam se daturam non negat solum sed poenas etiam auctoram minatur. Qua carminis ratione novam salsissimamque Canidiae irrisionem addi supervacaneum prope videtur uno verbo indicare. Quo anno carmen compositum videatur inveniri nequit; vehementer enim erraret qui ex v. 23 concludi aliquid posse opinaretur. Frankio novissimus omnium epodorum esse visus est, scriptus circa a. 724, aliis a. 715, aliis a. 717.

V. 1. *do manus*] victum me profiteor. Cic. ad Att. II, 22: »Aiebant illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse.« — *Proserpinae*] a Canidia maga magnopere culta. Eadem de causa etiam Diana memoratur. cf. Epod. 5, 51. — *movenda*] movere deos est deos laedere, violare, irritare. Liv. XXV, 26: »intoleranda vis aestus omnium ferme corpora *movit*.« Fuit etiam proverbium *non movenda moves*, ἀκίνητα κινεῖς. — *per atque*] Ne credas cum Bothio esse scribendum *per teque*, recordare etiam *atque* postponi a poetis, ut Epod. 8, 11. Sat. I, 5, 4. I, 6, 131. I, 7, 12. — *carminum*] sunt formulae magicae. cf. Epod. 5, 45. — *refixa*] Sic scribendum ex optimis et antiquissimis codd., non *defixa*. Vide ad Carm. I, 28 p. 90. — *solve solve*] Iteratio est enixe precantis. Similiter Carm. I, 35, 15. — *turbinem*] rhombum magicum, qui ut per licia attracta et advoluta agitatus incantatos ad voluntatem magae adstrinxit, sic retro actus adstrictos vi solvit. cf. Theocr. II, 30: »Χῶς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας, Ὡς τῆνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύρῃσι.« — *Telephus*] Mysorum rex ab Achille (*Nerei* nepote) vulneratus consulto oraculo responsum tulit: ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. Achilles precibus eius motus ferru-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei
Volente Circa membra; tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit iuventas et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum ab labore me reclinat otium;
Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,

gine cuspidis hastae suae vulnus sanavit. — *unxere*] Boni etiam codices *luxere*, male; lugere etiam poterant non receptum, ungere non potuerunt. *Unxere* indicat redditum et receptum corpus Hectoris, *luxere* non indicat, nec magis *planxere*, quod proposuit Peerlkampius. Sic igitur recte, etiamsi Homerus Il. XXIV, 776 diserte non narrat quod rerum ratio tulit. — *addictum*] Hom. Il. XXIII, 183. — *homicidam*] Hom. Il. I, 242. De pedibus, qui hoc versu coniunguntur, egregie Meinekius: »Minus offensionis habet anapaesti cum tribracho coniunctio in verbis *pavidumque leporem* (Epod. 2, 35), quorum numerorum volubilitate leporis natura non male indicatur. Similis excusatio adhibenda Epod. 17, 12, quibus numeris non dubitandum videtur quin poeta rei atrocitatem augere voluerit. Nolim igitur negligentiam poetae accusare, de qua eo minus hic cogitandum est, cum epodus ille, si numeros spectas, eximia arte conditus sit, adeo quidem, ut in longo plus octoginta versuum carmine legem de quinto pede senarii, in brevioribus epodis saepius neglectam, ne semel quidem migraverit.« — *procidit*] Hom. Il. XXIV, 510. cf. Carm. I, 10, 14. — *pervicacis*] Carm. I, 6, 6. — *laboriosi*] Epod. 16, 60. De Circa vide Hom. Od. X, 388 sqq. Latina forma *Circa* ex bonis codicibus. Circa quoque, etiamsi venefica fuit, precibus molliri potuit. — *sonus*] vox humana. — *relapsus*] in bonis libris legitur *relatus*, de quo Bentleius: »in eo dumtaxat differunt, quod *relatus* externa vi reductum significet, *relapsus* ultro et sponte sua reversum.« — *multum*] vide ad Carm. I, 25, 5. — *institoribus*] vide ad Carm. III, 6, 30. Sed animadverte quanta insit in hac laude acerbitas et contumelia.

V. 21. *fugit*] Nimirum ficta sunt haec omnia; non verior est canities quam luridus color cutis. Verecundus color rubor est iuventuti proprius; is *ossa* relinquit, cum corpus macie confectum nihil est nisi ossa et cutis. Quare tenenda est codicum lectio *ossa* contra Bentleii coniecturam *ora*, probatam quidem Hauptio, Meinekio, Linkero. Kellerus vulgatam defendit his locis laudatis: Plaut. Aulul. III, 6, 28: »Ossa atque pellis totus est, ita cura macet;« id. Capt.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sabella pectus increpare carmina
Caputque Marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? O mare, o terra, ardeo
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma: tu, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis aut quod me manet stipendium?
Effare; iussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuvencos sive mendaci lyra
Voles sonari: Tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vicem
Fraterque magni Castoris victi prece

I, 2, 30: »ego ossa atque pellis sum misera macritudine.« Sil. II, 466: »iam lurida sola Facta cute et venis male iuncta trementibus ossa Exstant, consumptis visu deformia membris.« — *odoribus*] unguentis magicis. — *neque est*] οὐδ' ἔστι. — *negatum*] id quod olim negaveram. — *Sabella*] Sat. I, 9, 29. Ut Marsi sic etiam Sabelli et Peligni magicarum rerum periti. cf. Epod. 5, 76. infra v. 60. Vide ad Carm. II, 1, 38. — *Hercules*] Epod. 3, 17. — *virens flamma*] ad colorem sulfureae flammae, quam exhalat Aetna. Sic optimi codices, etiam Blandinii, quos Kellerus quoque secutus est; in aliis *urens*, in paucis *furens*, quod Bentleio, Hauptio, Meinekio, Linkero placuit. — *cinis*] »Tu veluti quaedam venenorum officina non cessabis me tuis venenis exurere, donec exaruerim et cineris in modum consumptus atque a ventis dispersus fuerim?» — *iniuriosis*] Summa in mortuos iniuria est cineres eorum ventis dissipandos dare. — *Quae finis*] exitus, eventus; sic non raro feminino genere: Virg. Aen. II, 554. Liv. XXII, 57. Cic. Leg. II, 22: »Necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae cet.« — *stipendium*] de poena, ut Catull. 64, 173: »Indomito nec dira ferens stipendia tauro«, de adolescentibus et puellis, quos Athenienses quotannis Minotauro miserunt. — *sive mendaci lyra*] Gravissima εἰρωνεία hic aperta; nam quam mendacem ita appellat lyram, ut mentitam eam in diffamanda Canidia videatur fateri, eam simul significat nunc mentiri in laudanda. Quae verba *mend. lyr.* cum praecedant, insequentem laudem omnem in irrisionem vertunt. — *perambulabis*] vide ad Epod. 4, 5. — *Infamis Helenae*] infamatae; Stesichorus enim poeta oculis captus esse dicitur, quia Helenam maledicis et contumeliosis versibus laceraverat. Plat. Phaedr. p. 243. A.: »Ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν παθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ· τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν καὶ ποιεῖ εὐθὺς Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος, οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας. καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν.« — *vicem*] Plurimi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Adempta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
† Tibi hospitale pectus et purae manus,
Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exsilis puerpera.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis,
Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus,
Velociusque miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,

codices *vice*; sed cf. Plaut. Rud. III, 5, 34: »vos respondetote istinc istarum vicem.« Cic. Fam. IV, 5: »An illius vicem, credo, doles?« — *potes nam*] vide ad Carm. I, 18, 3. Epod. 14, 6. Sat. II, 3, 41. 6, 78. Et compara Virg. Aen. VI, 116 sq. Hom. Od. IV, 237, 612. 827. V, 25 sqq. — *paternis*] sordidis parentibus ortam dicit. — *sepulcris pauperum*] cf. Sat. I, 8, 14—20. Divitum sepulcris sui erant custodes. — *novendiales cineres*] recentes; nono enim die omnia iusta mortuis peracta erant. *Dissipare* est *in magicum usum consumere*. † *Pactumeius*] Est nomen filii suppositicii, quem sibi filium esse dicebat. cf. Epod. 5, 5. Illud autem vere est nomen Romanum, nam in inscriptionibus reperitur. Indicatur certe homo ridiculus vel sordidus. *Venter* autem pro filio positus est, quod quamquam singulare est, tamen ipso loco videtur probari. Nam altera quae in MSS. reperitur lectio *partumeius*, ea probabilem explicationem nondum invenit.

V. 55. *Neptunus hibernus*] Metonymia; mare procellosum. Vide ad Epod. 16, 43. — *ut tu*] cf. Sat. II, 5, 18. Liv. IV, 2, 12. — *Cotyttia*] sacra nocturna et flagitiosa a Cotyttone Thracia dea impudicitiae dicta. — *pontifex*] Pontifex maximus iudex et arbiter erat omnium rerum sacrarum; quare Canidia Horatium invidiose pontificem appellat Esquilini venefici, cuius arbitrum eum fuisse ostendit Sat. I, 8. — *Pelignas*] vide ad v. 28. — *ditasse*] ut me suas artes docerent. — *Sed tardiora*] Non pauci et boni codices *si tard.*, quod cum olim praetulerim nunc tamen relinquendum video. Canidia enim hoc vult: »Quid

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Novis ut usque suppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi innectes tuo,
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos
Desideriique temperare pocula,
Plorem artis in te nil agentis exitus? †

proderat mihi magna mercede magicam artem didicisse, si te nunc ulcisci non possum? Verum senties meam potestatem; mori males quam vitam ducere a me tibi paratam. Sed tuis votis tardiora fata te manent cet.« Quod Keller. ex codd. praetulit *proderit*, ipsa sententia reprobatur. — *in hoc*] Ovid. Met. VIII, 77. Liv. XXI, 42, 2. Significatur res, propter quam aliquid fieri dicitur. — *Pelopis infidi*] quia in mare coniecerat Myrtilum aurigam, cuius ope Hippodamiam, Oenomai filiam, in matrimonium acceperat. Gravis in hoc loco anaphora *optat*; nam »tu quoque, inquit, nequidquam optabis a perpetua poena morte liberari.« — *obligatus*] tenacissime ligatus; ut dicunt Latini *nexu se obligare*, similia. — *Norico*] Carm. I, 16, 9. — *recludere*] aperire. Virg. Aen. X, 601. — *innectes*] Sic antiqui codices non pauci, etiam Barcellonensis Hauthalii; alii etiam boni *nectes* quos omnes recentiores editores secuti sunt. Sed difficilior lectio praestare videtur. cf. Virg. Aen. VI, 609. Lucan. II, 670: »Tunc placuit caesis innectere vincula silvis.« — *vectabor humeris*] In cervicibus tuis sedebo meamque potestatem in aërem sublata quasi triumphans comprobabo. Nec omnino dissimile est Graecorum καθιππάζεσθαι. Aesch. Eum. 778: »θεοὶ νεώτεροι παλαιοὺς νόμους καθιππάσασθε.« ibid. 731: »καθιππάζει με προσβῦτιν νέος.« — *cereas imagines*] Hoc quid sit, discas ex Virg. Buc. 8, 79 sqq. et Theocr. 2, 29: »Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ αὖν δαίμονι τάκω, Ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.« — *curiosus*] invidiose dictum: »cum tu ex insidiis arti meae interesses.« — *pocula*] Praestare videtur pluralis ex bonis codicibus; in aliis *poculum* et *exitum*. Sed plura amoris pocula (Epod. 5, 73) conficere illa norat variaeque artis plures exitus exspectabat. cf. Carm. IV, 14, 38. — *nil agentis*] nil efficientis; ut Sat. I, 9, 15. II, 3, 103.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARE

AD APOLLINEM ET DIANAM.

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi

Carmen saeculare.

»Augustus ludos saeculares celebravit a. u. c. 737, cum primum decennium, in quod prorogandum sibi a senatu imperium curaverat a. u. c. 727, praeterisset: qua occasione oblata partim praeclarum felicitatis imperii Romani se principe monumentum posteris proponere, partim Romanis legem suam de maritandis ordinibus sensim commendare studuit. Finis igitur huius caerimoniae omnino erat *πολιτικώτατος*. Compacto autem rem cum Quindecimviris sacris faciundis ita egisse videtur, ut hi pro eius voluntate dicis causa consultis libris Sibyllinis et compositis fortasse illis ipsis versibus, quos servarunt Phlegon Tralliianus et Zosimus, pronuntiarent, ultimos ludos saeculares celebratos esse a. u. c. 628, quo fortasse piaculum et lustrum aliquod sollenne populi Romani factum erat, cum re vera proxime superiores editi essent a. u. c. 605 vel 608, sequentibus (a. u. c. 705 vel 708) per bellorum civilium turbas intermissis: saeculum autem finiri annis CX, qua in re Etruscam doctrinam secuti esse videntur, cum consuetudo Latina v. *saeculum* pro centenis annis usurparet.« *Orellius*. Augusti iussu Horatius hoc carmen ludis saecularibus rite canendum composuit. Celebrabantur ludi tribus noctibus totidemque diebus continuis; incipiebant sub vesperam, *Νὺξ ἠνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ, Ἠελίου κρύψαντος ἑὸν φάος*, ut est in versibus Sibyllinis. Ex iis, quae apud Zosimum hist. Rom. II, 5 leguntur: »*Ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ ἐν τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων, οἳ πάντες ἀμφιθαλεῖς, ὅπερ ἐστίν, ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ὕμνους ᾄδουσι τῇ τε Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων φωνῇ καὶ παιᾶνας, δι' ὧν αἱ ὑπὸ Ῥωμαίοις σώζονται πόλεις,*« *Steiner* (progr. schol. Crucen. 1842) concludi posse arbitratus est, tertio die in Palatino Apollinis templo carmen saeculare recitatum esse. Dubitationem movit *Duentzer*, nec iniuria: nam idem Zosimus de prima nocte sic scripsit: »*τῇ δὲ πρώτῃ τῶν θεωριῶν νυκτὶ δευτέρας ὥρας ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν ὄχθην τοῦ ποταμοῦ τριῶν παρασκευασθέντων βωμῶν τρεῖς ἄρνας θύει, μετὰ τῶν δεκαπέντε ἀνδρῶν καὶ τοὺς βωμοὺς καθαιμάξας ὁλοκαυτοῖ τὰ θύματα. Κατασκευασθείσης δὲ σκηνῆς δίκην θεάτρου φῶτα ἀνάπτεται καὶ πυρά, καὶ ὕμνος ᾄδεται νεωστὶ πεποιημένος, θεωρίαι τε ἱεροπρεπεῖς ἄγονται.*« Iam cum certissimum videatur, hoc saeculare carmen Horatii eum ipsum *ὕμνον νεωστὶ πεποιημένον* esse neque praeterea alia carmina nove

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro,

facta et recitata esse, deinde cum, quae tertio die canebantur carmina Graeca et Latina, videantur alia esse antiquitus accepta et religiose servata, *Duentzer* conclusit, Horatianum carmen prima iam nocte in campo Martio a choro esse recitatum. Videntur autem septem illi et viginti pueri tribus ordinibus instructi fuisse, totidemque ordinibus septem et viginti puellae. cfr. Liv. XXVII, 37. XXXI, 12. Atque inter hos duos choros carminis saecularis strophas hoc modo distribuendas esse *Steiner* censuit:

Stropha 1 et 2 proodus
iuncti pueri et puellae

Str. 3 pueri — 4 puellae — Str. 10 pueri — 11 puellae

Str. 9 mesodus

5 pueri — 6 puellae — 12 pueri — 13 puellae

vs. 1 et 2 pueri
vs. 3 et 4 puellae

7 pueri — 8 puellae — 14 pueri — 15 puellae

Str. 16—19 epodus
iuncti pueri et puellae.

Qui ordo multo est veri similior quam qui aliis placuit puellis puerisque Quindecimvirorum etiam chorum immiscentibus. Puellas a puerorum choris seiunctas fuisse patet ex versibus Sibyllinis apud Zosim. l. l., nam v. 20 sic legimus: »*χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς.*« Bene autem *Iahnius* ad Virg. Buc. 4, 10: »Fuit, inquit, apud Graecos vulgata atque a philosophis Platonicis Stoicisque maxime exculta opinio de magno anno mundano, tum demum impleto, cum omnia sidera in ortus suos redirent et omnium rerum *ἀνακύκλωσις* et *ἀποκατάστασις* futura esset. Eadem fama etiam inter Etruscos et Romanos fuit, ubi in libris ritualibus Etruscorum et Romanorum libris Sibyllinis ille annus in decem menses magnos sive saecula divisus, neque tamen eorum mensium longitudo et exitus certis finibus circumscriptus erat, sed portentis divinitus missis indici credebatur. Unde etiam ludi saeculares apud Romanos diversis intervallis instituti sunt. In libris Sibyllinis praeterea scriptum erat, quis quoque mense imperaret deus. Primo mensi Saturnus praecrat, ultimus Soli sive Apollini tribuebatur. Apollinem praecessisse videtur Diana, cui etiam in civili anno mensis November sacer erat. Quamobrem in Horatii carmine saeculari Apollo et Diana prae ceteris dis celebrati sunt. Romani vero hoc ipso tempore saeculo decimo se vivere putaverunt. Etenim cum post mortem C. Iulii Caesaris stella crinita apparuisset, Volcatius haruspex hunc cometam significare exitum saeculi noni et ingressum decimi in concione dixit.« Hac fama usus Augustus, ut se suumque imperium populo commendaret, et Apollinis se filium esse gloriabatur, et Apollini templum aedificavit, eidemque deo et Dianae summos in saecularibus ludis honores attribuit. Nam antea hi ludi maxime inferis diis celebrari solebant. Quapropter Horatius carmen suum ita instituit, ut ex consilio Augusti Apollo et Diana ut dii tutelares populi Romani laudarentur. cf. Carm. IV, 6. Praeterea Sol et Luna aëris salubris et agrorum fertilitatis datores erant et ad pestem aliaque mala averruncanda praesentissima habebantur numina. cfr. Carm. I, 21.

V. 1. *Phoebe*] cf. Carm. I, 21. III, 22, 1. — *decus*] Singularis numerus de geminis numinibus Latoidarum, ut Carm. IV, 8, 31. — *Sibyllini versus*] Hi ipso carmine memorari debebant, quia eorum auctoritate ductus Augustus ludos habere dicebatur. — *lectas*] vide Zosimi l. l. Recte autem observatum est, utrum-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius.

Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis:

Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae feraci
Lege marita,

Certus undenos decies per annos

que adiectivum *lectas, castos* ad utrumque sexum pertinere. Debebant enim pueri et puellae ex confarreatis parentibus esse, senatoriae stirpis, patrimi et matrimi. — *celas*] Totus mundus naturali quadam caligine obductus radiis Solis illustratur; occidente igitur Sole priore nocte orbis necesse est tegatur. — *rite*] uti soles, cfr. Carm. III, 24, 10. Coniungendum hoc cum v. *aperire*; simillimus locus est Carm. II, 5, 22; etiam Epod. 11, 17. — *Ilithyia*] Hom. Il. XI, 270. XVI, 187. XIX, 103. Callim. Hymn. 3, 6: »Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν Καὶ πολυωνυμίην.« Soph. Antig. 1115, ubi Bacchus appellatur *Πολυώνυμε*. Multis igitur nominibus dii gaudent; quare duo alia addantur latina nomina, Lucina et Genitalis. Catull. 34, 21: »Sis (Latonia) quocunque tibi placet Sancta nomine.« cf. Sat. II, 6, 20. De nominativo cum infinitivo vide ad Carm. I, 37, 31. I, 2, 43.

V. 17. »Cum quarta stropha puellae Lucinam ut matres parturientes adiuvaret precatae sint, quinta stropha pueri hanc precationem excipientes optant, ut suboles partu edita eadem dea adiutrice laeta capiat incrementa et aliquando adulta legibus nuptialibus obtemperans novam ex se gignat prolem, ita ut alterius saeculi orbe impleto iidem ludi in Apollinis et Dianae honorem maxima civium frequentia denuo celebrari possint. Hanc alteram sententiae partem, ut secundariam, puellis attribuit poeta stroph. 6.« Steiner. — *iugandis feminis*] sunt leges de maritandis ordinibus, quas hoc ipso anno Augustus tulerat. Sueton. Octavian. c. 34: »hanc (legem) cum aliquanto severius quam ceteras emendasset (Augustus), prae tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum lenitave parte poenarum et vacatione triennii data auctisque praemiis.« Postea a. u. c. 762 M. Papio Q. Poppaeo coss. eadem lex paululum mutata est, unde appellata est lex Iulia et Papia Poppaea de maritandis ordinibus. — *lege marita*] ad coniugium pertinen-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die claro totiesque grata
Nocte frequentes.

Vosque veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servet, bona iam peractis
Iungite fata.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas:

te, ut Ovid. Her. XII, 87: »Iuno sacris praefecta maritis« — *referatque*] vide ad Carm. II, 7, 25. — *ter*] in toto carmine numerus ternarius quasi regnat: »tres sunt festi dies, tres noctes, ter novem pueri, ter novem puellae, ter singulas preces fundunt pueri in utraque carminis parte, ter puellae; ter ut preces exaudiantur precantur chori.« Steiner. — *frequentes*] Consulto h. v. in fine strophae positum, quo magis eius vis eluceat; quod consilium frequens apud Horatium. — *Parcae*] Preces ad Parcas et Tellurem (v. 29) praescriptae erant versibus Sibyllinis: »ἔνθα σὺ ῥέζειν Ἱερὰ ποντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας. Κυανέας δ' ἐπὶ ταῖς δ' Ἐλλειδυίας ἀρέασθαι Παιδοτόκους θυέεσσιν ὅπῃ θέμις. Αὖθι δὲ Γαίῃ Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱεροῖτο μέλαινα.« — *semel*] vide ad Carm. I, 24, 16. Romanis oraculo erat praedictum, quamdiu rite haberentur ludi saeculares tamdiu incolume fore imperium Romanum. — *servet*] Sic Scholiastae et antiquissimi plurimique codices, in aliis male *servat*, quod ex praecedenti indicativo *est* corruptum apparet. Ordo verborum hic est: »vos Parcae veraces cecinisse iungite bona fata iam peractis fatis, quod quidem semel dictum est quodque stabilis rerum terminus servet.« Bentl. coniecerat *dictum stabilis per aevum Terminus servet.*

V. 29. *Tellus*] vide versus Sibyllinos ad v. 25 scriptos. cf. iusiurandum Philippi cos. apud Dion. fragm. p. 128: »Ὄμνυε τὸν Δία τὸν Καπετώλιον καὶ τὴν Ἑστίαν τῆς Ῥώμης καὶ τὸν πατρῷον αὐτῆς Ἄρην καὶ τὸν γέναρχον Ἥλιον καὶ τὴν εὐεργέτιν ζώων τε καὶ φυτῶν Γῆν.« Et cfr. Tibull. I, 1, 15: »Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea.« — *fetus*] h. v. dicitur non solum de animalium partu, sed etiam de agrorum fructibus. Virg. Georg. I, 55. II, 390. Cic. Or. 2, 30: »Ager novatus et iteratus, quo meliores fetus possit et grandiores edere.« — *salubres*] Adiectivum medium inter nomina subst. positum ad utrumque referendum neque ulla distinctione segregandum a voc. *aquae* aut ab altero *aurae*. Aqua est pluvia cf. Carm. III, 10, 19. — *Condito tela*] Apollinis tela pestifera erant, et *Diana bicornis*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Littus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu,
Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter daturus
Plura relictis:
Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne.
Quaeque vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Impetret bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

i. e. luna alternis cornuum vicibus ad terrae fertilitatem plurimum conferre credebatur. Sic haec stropha optime cum praecedente cohaeret. cf. Hom. Il. I, 50 sqq, — *si vestrum est*] Particula *si* modestiam exprimit in precibus; est enim: *si vestrum est, ut est.* Cohaerent autem hae strophae a v. 33 usque ad v. 48 eadem ratione qua Chrysis sacerdotis preces in Iliad. I, 37–42. De re compara Virg. Aen. III, 93 sq. IV, 345. Hor. Carm. IV, 6, 21. — *iussa pars*] per appositionem. — *sine fraude*] Carm. II, 19, 20. De *casto* Aenea vide ad Carm. III, 2, 30. Hac laude Aeneae transitus paratur ad proximam stropham precesque de castitate morum. — *placidae*] Cic. de Sen. 5. Placidus est qui perturbatione animi caret, qui tranquillo animo est. Senes autem, quorum natura quieta est, requirunt et optant quietem. Alii e codd. aut *senectutis* aut *placidam*. Verum congruant inter se oportet *docili iuventae, senectuti placidae, Romulae genti.* Tertius huius strophae versus non sine arte primum et secundum complectitur. — *Romulae*] vide ad Carm. IV, 5, 1. — *quaeque veneratur*] i. e. quaeque venerando precatur, ut Sat. II, 2, 124. 6, 8. Vers. Sibyll. apud Zosim. l. 1. 12: »*Ζάλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων*« et v. 16: »*Καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων, Ὅστε καὶ Ἠέλιος κικλήσκεται, ἴσα δεδέχθω Θύματα Δηιαΐδης.*« — *impetret*] Sic recte ex optimis codicibus. Alii *Quique.* — *imperet.* De sententia cfr. Virgil. Aen. VI, 853.

V. 53. »Singulis precationibus ad deos peractis praeclara adiungitur laudatio Caesaris Augusti, ludorum saecularium auctoris, quem callide poeta stroph. 13 monstravit potius quam nominavit. Quae igitur chori antea a diis immortalibus precati sint: probos mores, quietem, rerum amplitudinem et copiam, ea populum Romanum Augusto principe iam aliqua ex parte consecutum esse profitentur. Caute autem Horatius, ne nihil a diis precandum superesse videretur, usus est verbis: *redire audet Pax* cet., *apparetque*; his enim verbis inchoata magis quam absoluta significatur civitatis salus ac felicitas.« Steiner. »Nota quam caute totum per carmen omnem bellorum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper et Indi.
Iam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam Latiumque felix

civilium quae imperium laceraverant vel occultissimam mentionem devitet ac de exteris dumtaxat nationibus ab Augusto domitis loquatur, tum v. 57 de fide ac pace ab eodem restituta.« Orellius. — *Albanas secures*] Securibus potestas et maiestas populi indicatur; cur, in promptu est. cfr. Caes. b. g. VII, 77 extr.: »respicite finitimam Galliam, quae in provinciam redacta, iure et legibus commutatis, *securibus* subiecta, perpetua premitur servitute.« Albanae sunt, quia Romani Alba Longa oriundi sunt. — *responsa*] Carm. IV, 15, 22. De re vide ad Carm. II, 13. — *superbi nuper*] de Scythis dictum, non de Indis. cf. ad Carm. IV, 14, 42. — *Copia*] Carm. I, 17, 14. Epist. I, 12, 28. »Pacatum autem et quietum iam terrarum orbem cum verbis tum numeris lenioribus egregie declaravit poeta, qui in duabus his strophis quinquies molli caesura trochaica usus sit. Eiusdem caesurae in primo odarum libro sex exempla reperies, in altero unum exemplum, in tertio nullum, ut mirum sit, quod quarti libri tria carmina sapphica viginti duas exhibent caesuras trochaicas, unumque carmen saeculare undeviginti.« Steiner. Cuius quidem dissimilitudinis causa si quae potest inveniri, in argumenti magis ratione quam in aetatis Horatii differentia quaerenda videtur. — *Augur*] »In proodo chorus cecinit: Date quae precamur, Phoebe et Diana. In mesodo eandem sententiam iteravit: audite nostras preces, Apollo et Luna. Denique in epodo universus chorus hanc sententiam ita repetit, ut non iam numina ipsa alloquatur, sed ad populum ni fallor conversus tertia persona dicat: Phoebus et Diana cum Quindecimvirum pias preces, quas illi in sacrificando pro imperii incolumitate susceperunt, tum nostra quae modo nuncupavimus vota benigne curent. Postremo omnibus precibus rite perfectis idem chorus iam domum discessurus se certam spem habere profitetur, fore ut Iuppiter cunctique dii quae chorus precatus sit rata esse velint.« Steiner. — *fulgente arcu*] *χρυσότοξος, ἀργυρότοξος.* — *fessos*] morbo. Est enim Apollo *Παιήων*. cf. Hom. Il. XVI, 514 sqq. — *si videt*] i. e. siquidem, quandoquidem. cf. supra v. 37. — *arces*] Ne optimi quidem et antiquissimi codices concordes sunt; in aliis *aras*, quod Kellero placuit. Sed *arces* sunt colles. Virg. Georg. II, 535. Ovid. Met. XIII, 196;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Alterum in lustrum meliusque semper
Prorogat aevum.

Quaeque Aventinum tenet Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curat et votis puerorum amicas
Applicat aures.

Haec Iovem sentire deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

ex cuius significationis ignoratione facilior illa scriptura exoriri potuit. cf. ad Carm. II, 6, 22. In monte Palatino undecim annis ante Apollini ab Octaviano aedes dedicata erat. — *Latiumque felix*] Sic coniunge verba; adiect. *felix* magna cum vi versum claudit; nam *felix prorogat* est »felicitatem qua nunc Augusto principe gaudet Latium prorogat.« Ceterum cum omnibus prope optimis codd. indicativum modum *prorogat, curat, applicat* coniunctivo praetuli; etenim non iam ad precationes redit chorus, sed confidit, Apollinem Dianamque placidis oculis Romam urbem adspecturos eaque, quae ante precatus sit, daturos esse. Apud Kellerum scriptum est *proroget*, deinde *curat, applicat*. — *Aventinum*] Zosimus l. l.: »Συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου παντὸς ἔν τε τοῖς ῥηθεῖσι τόποις καὶ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ὃ ἐν τῷ Ἀουεντίνῳ λόφῳ καθίδρυται.« — *Algidumque*] Carm. I, 21, 6. — *quindecim virorum*] Tacit. Ann. XI, 11: »Collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura (ludorum saecularium), et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimonarium.« — *puerorum*] »Pueri appellatione etiam puella significatur.« Paul. de Verb. sign. p. 78 ed. Cramer. — *Haec*] quae precati sumus. — *doctus*] cf. Carm. IV, 6, 43. — *laudes*] Phoebi et Dianae. Sic vocabula coniungenda esse intelliget, qui versus recte recitaverit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
SATIRARUM
LIBER PRIMUS.

Satira I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa

De Satirarum origine scriptoribusque brevis expositio.

De origine satirarum praecipuus locus est Livii VII, 2, a quo satiras primo rude aliquod fabularum genus fuisse docemur, quod descripto ad tibicinem cantu congruenti motu perageretur, certo tamen argumento careret. Ex qua rei natura nomen sumptum est, nam: »Satira, inquit Diomedes (p. 483. P.), dicta a *satura lance*, quae referta *variis multisque primitiis* in sacro apud priscos diis inferebatur ... sive a quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum, saturam dicit Varro vocitatum.« Inde vides quid sit habendum de prava illa scribendi nominis ratione, qua hoc genus vere Romanum, quasi petitum esset a satyrica Graecorum fabula, *satyram* appellare solebant. Deinde cum Livius Andronicus fabulas argumento serere primus esset ausus, iuventus autem Romana fabularum actu histrionibus relicto inconditis suis nullaque lege impeditis ludis diu etiam delectaretur, sensim factum est, ut saturae scriberentur non quae agerentur sed quae legerentur, et eae quidem mixtae et rerum et versuum diversitate neque omnino prosam orationem, ut videtur, spernentes. Patet autem ex ipsa origine qualis saturarum fuerit natura nam cum de certo argumento non ageretur, ex vita sermones petebantur, castigabantur aequales quorum aut res gestae aut mores non placerent, laudabantur etiam qui laudem viderentur merere. Sed quoniam in vituperationem magis inclinat humanus animus quam in laudem, in vellicandisque hominibus ioco risuique maior campus patebat, saturas plenas fuisse probabile est irrisionis et contumeliosi saepe ludibrii. Ennius quoque Porphyrione teste (ad Horat. Sat. I, 10, 46) quattuor libros satirarum scripsisse fertur, quae si recte iudicamus, mixta fuerunt carmina, et severa et iocosa, diversis versuum generibus composita. Plurimum tamen ad excolendum hoc genus contulit *C. Lucilius*, eques Romanus, Suessae Auruncae a. u. c. 606 natus, cum, id quod sua maxime aetas ad luxuriam et voluptates iam propensior postulare videbatur, quaecunque in hominum vita aut bona aut mala inter se certant, in carminibus componeret, describeret, illustraret propositisque malorum hominum verissimis exemplis reliquos quid sequi deberent docere studeret. Is triginta libros satirarum scripsisse fertur; quamquam alii ipsum duobus libris edidisse carmina suspicantur, quos quidem postea grammatici in minores partes distraxerint, priorem in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis

XXI minores libros, posteriorem in IX. Hunc imitatus est et superavit *Horatius*, quem de Lucilio iudicantem audimus Sat. I, 4. I, 10. II, 1. Post Horatium nominandi sunt *A. Persius Flaccus* et *Decimus Iunius Iuvenalis*. Et ille quidem (natus prid. Non. Dec. anni p. Chr. 34. Volaterris, mortuus a. d. VIII. Kal. Dec. a. 62) acerrimo virtutis amore, vitiorum odio incensus, Stoicorum austeris doctrinis deditissimus et magna quadam animi tristitia paene oppressus Neronis tempora non magis tolerare potuit quam Dec. Iunius Iuvenalis Domitiani corruptam aetatem postea tulit. Verum ut Persii nobilitatem animi sex satiris quae ad nos pervenerunt comprobatam diligimus et admiramur, ita Iuvenalis sedecim satirae ingentem animi acerbitatem, aetatis suae moribus omni vitio contaminatis procreatam, Domitiani saevo imperio diu repressam, et quasi quandam in describendis pingendisque cuiusvis generis turpissimis flagitiis delectationem produnt. Iuvenalis vita nunc caligine quadam premitur, sed suspicatus est *Heinrichius*, de interpretandis Iuvenalis satiris optime meritus, vixisse eum inde ab a. 42 p. Chr. usque ad a. 122. — Iam ut ad Horatium revertar, fuerunt qui ipsum poetam quattuor libros satirarum et epistolarum uno nomine *sermonum* comprehendisse (Epist. I, 4, 1. II, 2, 60) affirmarent; quibus cavendum est ne quis obtemperet. Manifestum est enim, eo ipso nomine (sermonum) Horatium et satiras et epistolas ut *sermoni* i. e. prosae orationi propiores (Sat. I, 4, 42) contra altius genus lyricorum carminum collocavisse, nunquam ut proprio quodam titulo inscripsisse.

Satira I.

Horatium, qui iam puer contemplandis variis hominum studiis assuetus erat, haudquaquam fugere potuit communis omnium hominum omniumque aetatum de suae sortis iniquitate querela. Hanc igitur poeta risu et castigatione abundantem partim iocosa partim severa ratione reprehendit eiusque originem quaerendam esse docet in invidia, qua cum singulis quibusque hominibus certum quendam locum certumque officium natura et condicione attributa in iisque recte et fideliter explendis summam laudem unamque felicitatem cernendam esse nesciamus, nostra soleamus contemnere, aliena ut praestantiora laudare. Iam cum satiricum genus dramaticum esset, factum est ut Horatius et adversarium aliquem saepe statueret et vigore suae orationis ex vita sumptas tabulas legentium oculis proponeret. Cuius quidem rei egregium exemplum initium statim praebet huius satirae, quo loco bis composita habes vota veteris militis et mercatoris, iuris consulti urbanis negotiis occupati et agricolae urbanam vitam suae praeferentis. Iam cum quaeritur, unde fiat ut tam multi homines sua sorte non sint contenti, respondendum erit nimias esse hominum cupiditates, quibus plura etiam expetantur quam quibus ad bene vivendum opus sit; neque minui eas mutata sorte ac rerum statu; cupiditatibus autem curas nasci, curis desiderium alienae sortis. At habent etiam homines quo suas curas cupiditatesque excusatas atque probatas velint. Scilicet a) alii id tantum se curare aiunt ut senectutem sibi securam et placidam parent (v. 31); imitari se formicae exemplum quae aestate colligat quibus hieme vitam sustentet. Nae isti in colligendis quidem opibus formicae similes sunt, in fruendis dissimillimi, cum nunquam congestis fruantur, aurum autem ipsum sine sapiente usu nullius sit pretii. cf. Carm. II, 2 (v. 50). Iam sunt b) alii, quibus suave videtur de magno sumere posse acervo. Qui quidem non minus stulti sunt (v. 60). Tum sunt c) qui suam agendi rationem excusaturi nihil satis esse affirment, quoniam cum rebus etiam dignitas et auctoritas crescat. Quibus ita persuasum est, ii miseri

Αριστοτέλειο Κεντρικό Βιβλιοθήκη Βορείου

Miles ait multo iam fractus membra labore.
Contra mercator navim iactantibus Austris:
Militia est potior. Quid enim? Concurritur; horae
Momento cita mors venit aut victoria laeta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi

sunt neque possunt sanari. Hi comparandi sunt cum Tantalo suavissimas fruges semper contemplanti sed perpetua fame vexato. Opes iis non commoda parant sed metum ac sollicitudinem. Nemo est qui tales homines amet, ne cognati quidem; nam ne ipsi quidem quemquam amant. Quo fit, ut in ipsa hominum societate ab omnibus destituantur, deserantur. v. 92. Quid igitur d) inde decernemur? Desistendum aliquando a colligendis divitiis, fruendum tandem esse ne mala vita malum habeat exitum (v. 100). Neque propterea in contrarium vitium delabamur oportet, nam »est modus in rebus« v. 106. Versu 117 respondetur ad primi versus interrogationem. Satira quando scripta sit ignoramus; probabile tamen est ex ultimis eam esse huius libri, et scriptam a. 719, non ita multo postquam primus liber Georg. Virgilii editus est; versus enim 114 sqq. apertam habent imitationem Virgil. Georg. I, 512 sqq. Is autem liber Virgilii a. 719 editus est.

V. 1. *sortem*] vitae genus. — *fors*] Cic. Leg. II, 11, 28: »*Fors*, in quo incerti casus significantur magis (quam in Fortuna)« Etiam *obiicere* verbum incertum casum significat. — *illa*] In codicibus legitur etiam *ulla*, quod ferri nequit propter relativum *quam*, quo demonstrativum requiritur. — *laudet*] Ex negante vocabulo *nemo* affirmans *quisque* per zeugma intelligendum est. — *gravis annis*] Sic codices, quorum auctoritas non debuit cedere coniecturae Bouherii *armis*; quamquam *anni* non magis militiae sunt quam vitae. Significatur enim miles, qui multa stipendia meruit neque tamen tantum sibi paravit, ut »senex in otia tuta« recedere posset. v. 31. cf. Virg. Aen. IX, 246. II, 435. Liv. X, 34, 12. Etiam particula *iam* Bouherii coniecturae repugnat. — *Austris*] Carm. III, 27, 21. IV, 14, 21. — *quid enim*] Sat. II, 3, 132. Apud Ciceronem semper sequitur altera interrogatio. — *cita*] Alii *aut cita*: sed cf. 72 et 101. cf. Liv. XXI, 43: »hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis.« — *momento*] cf. Liv. IX, 16: momentoque unius horae caesus Samnis, Satricanus captus et omnia in potestate consulis erant.« — *iuris peritus*] Non est patronus causae vel orator, sed vir iuris scientia insignis qui vel in foro ambulans vel domi in atrio sedens de iure responsa dat. Epist. II, 1, 104. Cic. Mur. c. 9. Martial. I, 50, 35: »Non rumpet altum pallidus somnum reus, Sed mane totum dormies.« — *vadibus*] Vades apud praetorem spondebant reum in iudicium sisti: quod ni fieret fore ut ipsi litis aestimationem sufferrent. Cic. de off. III, 10, 45. Proprie autem cum *vades* in re capitali essent, non in re civili, ii videntur recte intellexisse, qui rusticum *vadimonio facto* in urbem tractum existimant. Auson. Idyll. 12: »Quis subit in poenam capitali iudicio? vas. Quid, si lis fuerit nummaria? quis dabitur? praes.« cf. ad Sat. I, 9, 36. — *clamat*] fortiter contendit. Sat. II, 3, 130. Ep. II, 1, 80. — *Fabium*] Idem Sat. I, 2, 134. Stoicus aretalogus, quem equitem Ro-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo rem deducam. Si quis deus, En ego, dicat,
Iam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus; hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
Quid statis? — nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram, — quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima; —
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,

manum Narbonensem fuisse et aliquot libros ad Stoicam philosophiam pertinentes scripsisse scholiastae tradiderunt. — *valent*] vide ad Carm. I, 34, 12. — *en ego*] sc. adsum, ut ap. Virg. Aen. I, 461. Cic. Deiot. 6. Noli igitur *ego* cum *faciam* coniungere, id quod Kruegero placuit. — *eia*] est impatientis et adhortantis. Sat. II, 6, 23. — *nolint*] Est apodosis. cf. Sat. II, 7, 24. — *beatis*] De attractione cf. Cic. Tusc. I, 15. id. Flacc. 29: »Cur his esse liberis non licet?« — *buccas inflet*] cf. A. P. 94. Plaut. Casin. III, 3, 19: »hic . . nescis quid se sufflavit uxori suae,« unde intelligis *illis* dat. positum esse pro *adversus illos*. — *praeterea*] Tota sententia ἀνακολουθία est; abrupta per parenthesin oratio continuatur quidem particula *sed*, alia tamen ratione. Similis locus Cicer. Tusc. II, 1, 3. — *iocularia*] sc. percurrit. — *olim*] vide ad Carm. II, 10, 17. — *percurram*] Virg Aen. VI, 627. H. l. cum obiecto careat idem est quod pergere usque ad finem. — *terram qui*] Meinekius »Ad Horatii, inquit, artem qui attenderit, haud invitus opinor concedit scribendum esse *duro qui terram vertit aratro*. Hac enim numerorum conformatione Horatius cum alias saepe, tum in re ardua et difficili constanter utitur. Sat. I, 4, 20. Epist. II, 1, 259. II, 2, 27.« Quem ne cum Linkero sequaris, compara hos locos: Sat. I, 3, 80. I, 4, 81. II, 3, 288. II, 4, 23. Epist. I, 1, 7. I, 14, 20. II, 1, 10. II, 1, 39. — *perfidus hic caupo*] Non pauci interpretes, cum eosdem homines, qui supra inducti sunt, hic quoque quaererent neque novum hunc cauponem, genus illud Romae frequentissimum, inferri paterentur, in alia omnia discesserunt coniecturisque locum emendare conati sunt. Sic *Fea: Perfidus, hic campo miles*. Sed locus sanus est. De caupone cf. Sat. I, 5, 4. Nominantur homines qui lucrum sequuntur; quid inter hos iuris consultus, quem iniuria desiderarunt? Ne rusticus quidem idem est qui v. 11 producebatur. Pronomina *ille, hic* exempla proponunt ex vita petita satisque frequentia. — *naulae*] mercatores. Carm. II, 13, 14. Epod. 17, 20. — *hac mente*] eo consilio cf. Sat. II, 2, 90. — *senes*] Senec. de brev. v. 4: »audies plero-

Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria; sicut
Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris
Ore trahit quodcunque potest atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit et illis utitur ante
Quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas vilem redigatur ad assem.
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Milia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus: ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias quam

que dicentes: a quinquagesimo in otium recedam, sexagesimus annus ab officio me dimittet.« — *exemplo est*] cuius illi exemplo utuntur. Virg. Georg. I, 186. — *magni laboris*] vide ad Carm. I, 36, 13. Consulto *parvula* formica contra *magnum* laborem ponitur.

V. 36. *Quae*] At ea. — *Aquarius*] »Sol transit in Aquarium XII. Kal. Februar.« *Porphyrio.* Annus antiquis est circulus quem sol in coelo conficit; inde Horatius *inversum* annum dixit ad exemplum Homericorum *περιπλομένων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν*. Macrob. Sat. I, 14 p. 178 Gron. »Sicut *lunaris annus* mensis est, quia luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit. ita *solis annus* est quem peragit, dum ad signum se denuo vertit ex quo digressus est: unde annus vertens vocatur.« Senec. Nat. Quaest. VII, 27: »Quid est quare in *Leone* semper sol ardeat et terras aestibus torreat, in *Aquario astringat hiemem, flumina gelu claudat*? — *sapiens*] Carm. I, 7, 17. Sat. II, 7, 73. Sic antiqui codices; in aliis etiam bonis crebra confusione *patiens*; male. — *cum te*] Ad unum ex multis conversa oratio ad vitam redit unde petita est. — *furtim*] Certabant interpretes, illud vocabulum utrum referendum sit ad *defossa* an ad *deponere*. Tu noli in partes dissecare *defossa deponere terra*. — *quod si*] Ex mente cupidorum hominum haec interponit Horatius: *at id si*, ut supra v. 36. — *redigatur*] Modus est potentialis, quo idem efficitur, quod graeco optativo cum particula *ἄν*. — *milia centum*] sc. modiûm. — *triverit*] est modus concessivus. — *area*] cf. Carm. I, 1, 9. Virg. Georg. I, 298. Terebantur fruges equis vel bobus ad tribulum iunctis. — *hoc capiet*] Sat. I, 3, 93. I, 9, 8. De *ac* part. post adiectivi comparativum vide ad Epod. 15, 5. — *inter*] vide ad Carm. III, 3, 11. Inter servos qui cum domino iter faciunt unus tantum est, cui imponitur reticulum panis; et tamen hic non plus accipiet quam reliqui. Eadem res avari hominis. — *referat*] in dativo *vicenti* non est haerendum. Similis est Taciti locus Ann. XV, 65: »non referre dedecori, si citharoedus demoveretur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui nil portarit. Vel dic quid referat intra
Naturae fines viventi, iugera centum an
Mille aret? At suave est ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho et dicas: Magno de flumine malim
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? Iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis

et tragoedus succederet.« Non necessaria igitur Chabotii et Cuningamii coniectura *viventis*; *viventi* est dativus commodi. Discrimen Doederlinius bene sic expressit; nihil refert viventi = es ist einerlei in meinen Augen; n. r. viventis = für mein Interesse. — *venter*] cf. Eurip. Phoen. 555: »*πᾶς γὰρ ἐμπλησθεὶς ἀνὴρ ὁ πλούσιός τε χὠ πένης ἴσον φέρει.*« — *intra naturae fines*] Qui intra naturae fines vivit, is nec plus consumere gestit quam natura patitur nec alia quam quae natura efflagitat. Qua sententia avari eo facilius refelluntur, quo diligentius ab omnibus abstinent, quae non videntur quam maxime necessaria. — *at suave*] haec interponuntur ab avaro vel ex eius sententia. — *tantundem*] quantum tu ex magno acervo, i. e. quantum natura poscit. — *cumeris*] Epist. I, 7, 30. Videntur fuisse vasa viminea, in quibus frumenta condebantur. Cumerae pauperum sunt, granaria divitum. — *urna*] dimidia pars amphorae paulo maior fuit quam undecim modii (Quart) Berolinenses; *cyathus*, duodecima pars sextarii, magnitudinem vix aequiparat poculorum vitreorum quo vinum nos bibere solemus. — *malim*] Non consentiunt neque codices neque editiones; in aliis *malim*, in aliis *mallem*. Illud rectius; quid enim quominus ad flumen eat talem hominem prohibet? *Aufidus* deinde infertur, quia patrio fluvio libenter poeta utitur. cf. Carm. III, 30, 10. IV, 14, 25. Species igitur pro genere et imago pro ipsa re posita est. Constantem se praebuit poeta in imagine inchoata; Aufidus enim illatus ab eo est, quia antea avarus homo magnum flumen sibi magis placere dixit quam fonticulum. — *egel*] desiderat. Epist. I, 10, 11. A. P. 154.

V. 61. *cupidine*] vide ad Carm. II, 16, 15. — *bona pars*] est satis magna pars, ex qua unus deinde protractus et loquitur et refellitur (v. 63 *illi*, *miserum*). — *quia tanti*] Lucilius apud Schol. Iuv. 3, 143: »Quantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis.« Plut. *περὶ φιλοπλουτίας* c. 7: »*Κέρδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς.*« Ceterum *sis* non per anacoluthiam positum est pro *es*, quasi praecederet *nil satis esse ait*, *quia*, sed est potentialis modus, ut apud Lucilium. — *facias*] cf. Cic. pro Caec. 11, 30: »Quid huic tu homini facias?« id pro Sext.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina . . . . Quid rides? Mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians et tanquam parcere sacris
Cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius; adde
Quis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus
Aut alius casus lecto te afflixit, habes qui

13, 29: »Quid hoc homine facias?« — *quatenus*] quoniam. Carm. III, 24, 30. Sat. I, 3,76. — *facit*] Generale hoc verbum in alterius verbi vicem ita substituitur ut nostrum *thun* et Graecum *ποιεῖν* (non *πράττειν* Stallb. ad Plat. Crit. p. 48. E.). Sat. I, 4, 79. Cic. de off. I, 1, 1. I, 38, 136. I, 40, 144. — *quidam memoratur*] Schol. explicant de Timone *μισανθρώπῳ*, glossa cod. Bland. nominat *Fabium* aliquem; sed nescio quid insanius sit quam in eiusmodi fabulis veritatem certosque et locos et homines quaerere. Et si sciremus, quid inde lucraremur? Non refellitur ab Horatio argumentum illud de crescente cum pecunia auctoritate, sed ostenditur eorum hominum miserrimus status, non ex populi contemptione sed ex perpetua fame, quae nunquam paratarum rerum usu restinguitur. Inde exemplum Tantali, cuius nomen solum nominatum avaro satis quid poeta velit ostendit. Ridet ille, cum nesciat quid ea ad se pertineat fabula. — *inhians*] cf. Sat. I, 2, 88. Etiam in ore dormientis conspicitur cupiditas; nec cogitanda sunt cum Doederlinio bona ab avaro nondum possessa; aperto ore indormit avarus saccis argento refertis, quasi cupiat simul omnes absorbere. — *sacris*] Carm. III, 3, 52. Sat. II, 3, 110. Recte monitum est, lusum esse aliquem verborum inter *saccis* et *sacris*. — *tabellis*] quae nullum usum praebent nisi adspectum. — *sextarius*] sexta pars congii, paulo maior quam dimidia pars modii Berolinensis ($^1/_2$ Quart = 29,0452 Kubz.). — *quis*] quibus. Menander p. 103. Mein.: »*Τἀργύριον εἶναι σοὶ, μειράκιον, φαίνεται Οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον Τίμην παρασχεῖν δυνατόν, ἄρτων, ἀλφίτων, Ὄξους, ἐλαίου, μείζονός τ' ἄλλου τινός;*« — *doleat*] *ἀλγοίη ἄν*. — *bonorum*] quae quia curas habent et molestias mala potius dicenda sunt. Ironia efficitur certamine quod est inter *pauperrimus* et *bonorum*. De genitivo cf. Sat. II, 3, 142. Sic etiam *dives* c. gen. Carm. IV, 8, 5. Sat. I, 2, 74. Epist. II, 2, 31. — *frigus*] Sat. II, 3, 290. ibid. 163. — *afflixit*] Sic antiquissimi codices, alii *affixit*, quod cur praetulerint recentissimi editores satis causae esse non videtur. Vim aliquam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac natis reddat carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet quem non merearis amorem?
At si cognatos nullo natura labore
Quos tibi dat retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus et finire laborem
Incipias, parto quod avebas, ne facias quod
Ummidius quidam. Non longa est fabula. Dives

casus in altero inesse aiunt, quae si quid video non abhorret ab hoc loco. Ovid. Met. XII, 139: »Cygnum Vi multa vertit terraeque afflixit Achilles.« Codicum auctoritatem nunc Doederlinius quoque restituit. — *assideat*] ad lectum. — *suscitet*] a dormiente translatum verbum ad aegrotantem in lectuloque cubantem. Generalis eius verbi notio cernitur in commovendo homine aliquo quiescente, tam cubante quam sedente. cf. Carm. II, 10, 19. III, 27, 11. Virg. Aen. IX, 463. Ovid. Met. VIII, 643. — *pueri atque puellae*] ex proverbio, ut nos Jung und Alt. Sat. II, 3, 130. — *post omnia ponas*] Tmesis, ut Cic. de off. III, 17. Virg. Aen. I, 412. — *at si*] Etiam optimi et antiquissimi codd. dissentiunt; alii *at si*, alii *an si* habent; pauci etiam *ac si*. Quam varietatem interpretes coniecturis etiam auxerunt: *ut si*, *aut si*, *non si*. Refellit autem poeta avarum, qui cognatos quos ultro ei obtulit natura — ultro autem datis rebus quid gratius est avaro? — nulla etiam impensa amicos sibi servare velit, non minus stultus quam si quis asellum freno currere velit docere. Quare verba *nullo labore ἀπὸ κοινοῦ* posita sunt. — *in campo*] Martio, ubi equi exercebantur. cf. Carm. I, 8, 4. II, 9, 18. cf. III, 1, 11. Asinus autem ad equestrem cursum indocilis est.

V. 92. *denique*] nos: kurz und gut, mit einem Worte. — *plus*] Metuunt homines paupertatem, opes quaerunt. Iam cum plus habent quam eo tempore quo maxime metuebant, minuendus etiam metus est. Sic Acron.: »cum aucta sit pecunia tua, minus iam debes paupertatem metuere, et labor tuus finem debet accipere, cum habeas acquisitum quantum optaveras. Habes enim, ait, quantum avidus fueras quaerere.« Intelligunt alii *plus quam opus est*, non bene. *Plus* et *minus* eadem ratione intelligenda sunt; tum si illud voluisset poeta suo more *plura* posuisset, ut Sat. II, 2, 109. Epist. II, 2, 196. *Cumque* in omnibus libris repertum est, in nullo *quoque*, quod Cruquius tacite scripsit, Muretus praetulit cum eoque Heindorfius; Doederlinius idem scripsit, sed interpretatus est *et ut eo plus*. — *facias*] Generale verbum est ut Germanicum *machen*, quo tota agendi et vivendi ratio significatur, non excluso tristi exitu. — *Ummidius*] Est nomen Romanum, quod alias quoque reperitur. Alii cum Charisio grammatico *Nummidius*, quod nomen etiam in duobus Fece codicibus est, et fictum putant a nummis. *Silbermann*. — *dives*] tam dives ut. Sat.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus ne se penuria victus
Opprimeret metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
Quid mi igitur suades? Ut vivam Maenius? aut sic,
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere: non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli,
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc unde abii redeo, nemo ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentes,
Quodque aliena capella gerat distentius uber
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret.
Sic festinanti semper locupletior obstat,
Ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum

I, 7, 13. I, 5, 33. Epist. I, 16, 11. II, 2, 87. — *metiretur*] cf. Xenoph. Hellen. III, 2, 27: »οἱ περὶ Ξενίαν τὸν λεγόμενον μεδίμνῳ ἀπομετρήσασθαι τὸ παρὰ τοῦ πατρὸς ἀργύριον.« Germanis idem proverbium est. — *divisit*] ut apud Virgil. Aen. IX, 750. Iocose igitur vel comice dictum non est. — *fortissima Tyndaridarum*] Masculina forma *Tyndaridae* utrumque sexum comprehendit; quare quod per synesin quandam femininum genus additur mirandum non est. Carm. I, 37, 21. Sat. I, 9, 4. Suet. Ner. 33: »Locusta venenariorum inclita.« Iocose illa libertina appellatur fortissima earum mulierum, quae, ut olim Clytaemnestra Agamemnonem, viros trucidarunt. Iuvenal. 6, 657: »Clytaemnestram nullus non vicus habebit.« — *Maenius*] Hic et Nomentanus noti eius aetatis nepotes et ganeones. cf. Epist. I, 15, 26. Sat. II, 3, 175. II, 8, 25. II, 1, 22. De omissa particula *ut* (ut Maenius) cf. Epod. 1, 34. — *vappam*] a vino corrupto ad hominem perditum translatum. — *Tanais*] hic spado fuit, Visellii socer herniosus. — *nemo ut*] Sic recte ex codicibus, quamquam in multis etiam antiquissimis *nemon ut*, ortum illud ex inepto hiatus timore. Nam intolerabilis hoc loco esset admirantis aut cum admiratione indignantis exclamatio. De part. *ut* vide ad Carm. I, 9, 1. I, 14, 3. Haupt., Meinek., Linker. scripserunt *qui nemo, ut avarus, Se probet* ex cod. Bland.; Doederlinius ex coniectura *nemoque ut avarus Se probet.* — *hunc atque hunc*] Uno superato alterum statim videt cui invideat. — *Sic festinanti*] Sic fit, ut obstet. Cui verborum coniunctioni non adversatur ea quae v. 117 sequitur ratiocinatio. Sententiarum ordo est hic: »sic fit, ut semper locupletior obstet, et inde fit, ut raro

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit ut raro qui se vixisse beatum
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur reperire queamus.
Iam satis est: ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne

inveniatur, qui beate se dicat vixisse.« — *illum*] non equum, sed aurigam. — *temnens*] In pedestri oratione simplex rarissimum. Sat. II, 2, 38. Virg. Aen. VI, 620. VII, 236. — *Crispini*] Sat. I, 3, 139. II, 7, 45. I, 4, 14. Fuit philosophus Stoicus, qui quotiescunque potuit emendandos mores insulsis suis versiculis clamabat nomenque aretalogi ab aequalibus acceperat. Lippitudo eius non minus ad mentem referenda videtur quam ad oculos; quamquam his quoque laborasse eum necesse est. Ex frequenti lippitudinis mentione apud antiquos recte videtur concludi posse, fuisse aliquid ridiculi in eo oculorum morbo. De sua autem lippitudine Horatius non cogitavit nec impudentis est, quod, cum ipse interdum oculis laboraret, Crispinum ob idem vitium deridebat. Otiosa igitur est Bentleii coniectura *lippum*. Ceterum quam frequens is morbus apud Romanos fuerit, videre licet ex multis remediis, quae apud Plinium in Nat. Hist. nominantur. Admirabilis autem Horatius est propter egregiam inveniendi exitus artem, qua satiris et epistolis inexspectato quodam ioco finem saepe imposuit legentiumque animos grata affecit hilaritate.

Satira II.

Occasionem scribendae huius satirae accepisse videtur Horatius mortuo M. Tigellio, Sardo, qui musicae artis peritissimus propter raram vocem gratiosus fuerat apud C. Iulium Caesarem, Cleopatram, Octavianum; homo tamen pestilentior sua patria (Cic. fam. VII, 24) et in facilitate parandarum opum maxime prodigus. Argumentum generali sententia proponitur v. 24, cui quattuor exemplis diversissimis, prodigi hominis et avari, nepotis et feneratoris, aditus paratur. Iam versum 24 bina iterum exemplorum paria sequuntur, ut inde a v. 28 generalis illa sententia quam sit vera in certa re, qua tum maxime Romana civitas laborabat, demonstretur. De tempore quo satira scripta videatur non consentiunt viri docti. Hoc certum est, ante tertiam et quartam huius libri hanc compositam esse. Iam alii, qui sibi persuaserunt versu 25 ficto nomine Malchini vel Maltini Maecenatem vellicari, neque credunt facere id potuisse Horatium in Maecenatis familiaritatem iam receptum, satiram anno 714 vel 715 attribuunt; alii ad a. 717 referendam putant. Quorum opinio mihi quidem probabilior videtur, quoniam satira tertia ante a. 717 haudquaquam scripta est (vide ib. v. 64) neque veri simile est hanc, cuius haud dubie in tertia ratio habetur, duobus vel tribus annis ante scriptam esse. Et vide infra ad v. 25.

V. 1. *ambubaiarum*] Sunt »mulieres tibicinae lingua Syrorum: etenim Syris tibia sive symphonia ambubaia dicitur.« Comm. Cruq. Compara אַנְבּוּבָא, plur. אַנְבּוּבְיָא. Suet. Ne-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coëmens obsonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet: laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis;
Dives agris, dives positis in fenore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget;
Nomina sectatur modo sumpta veste virili

ron. c. 27: »coenitabatque nonnunquam et in publico inter scortorum totius urbis *ambubaiarum*que ministeria.« *Collegia* iocosa dicta sunt, quasi his mulieribus, ut collegiis pontificum, augurum, aliorum, ex S. C. coire liceret. — *pharmacopolae*] medicorum quoddam genus circumforaneorum, qui per urbes cursitabant creduloque popello medicamenta venditabant. Cic. Cluent. 14: »Tum repente Anconitanum quendam L. Clodium pharmacopolam circumforaneum aggreditur.« — *Mendici*] ἀγύρται; harioli, Galli, quorum impudentia mendicandi summa fuisse traditur. Etiam Iudaei Romae vagabantur mendicantes et quaestus causa hariolantes. — *balatrones*] scurrae, qui loquacitate divites delectabant. Inde Servilii cognomen Sat. II, 8, 21. — *Tigelli*] Hic Sardus diversus est ab Hermogene Tigellio, cuius mentio fit in Satira quarta et decima huius libri. — *benignus*] ex sententia illorum hominum, re vero prodigus. — *ingrata*] quia nunquam satiatur. Lucret. III, 1016: »Deinde animi *ingratam* naturam pascere semper Atque *explere bonis rebus satiareque* nunquam.« — *stringat*] deminuat, radat. »Sumpta metaphora a ramis quos stringimus, quando illos nudamus foliis« Comm. Cruq. cf. Virg. Buc. 9, 61. — *omnia conductis*] *Conducere* h. l. est fenori sumere, ut Iuven. XI, 46: »Conducta pecunia Romae Et coram dominis consumitur.« Compara Sat. II, 3, 224—230. Pers. VI, 21: »hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer.« — *animi parvi*] cf. Cic. off. I, 20: »nihil est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias.« — *Fufidius*] Feneratorem hunc hominem fuisse locus ipse docet: praeterea nihil de eo scimus. — *dives*] Hunc versum ut ex Art. poet. v. 421 huc illatum removerunt Sanadon, Lachmannus, Hauptius, Meinekius, Linkerus. — *capiti*] sorti, Capital. Sordidissimus homo quinas centesimas in singulos menses de sorte extorquet, *exsecat*; quo verbo bene castigatur crudelitas hominis quintuplicatam usuram (60 Procent) debitoribus exprimentis. — *nomina*] de re pecuniaria. Cic. Planc. 28: »*nomen* quod urget dissolvere.« id. Rosc. Com. 1: »Non refert parva *nomina* in codices.« de off. III, 14. — Etiam debitores nomina appellantur: Epist. II, 1, 105. Cic. Att. V, 21: »Nam aut *bono nomine* centesimis contentus erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat.« — *veste virili*] Lege Laetoria (Cic. off. III, 15) vetitum erat ne XXV annis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non,
Iuppiter! exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quaestu sumptum facit hic. Vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quaerat: Quo res haec pertinet? illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus:

minores stipulari possent. Quare feneratores si perditis adolescentulis suo periculo pecuniam fenori darent, maiores etiam usuras expresserunt. — *pro quaestu*] Schol. Cruq. »pro maiori quaestu, unde nascitur opulentia, maiorem sumptum facit et plus expendit.« — *Terenti*] In Ἑαυτοντιμωρουμένῳ Menedemus pater se cruciat dies noctesque, quod filium Cliniam nimia severitate eo egerit ut relicta domo in Asiam militatum iret. — *peius atque*] vide ad Epod. 15, 5. — *quo res*] Similis ad ipsam rem transeundi ratio Sat. I, 1, 14 sq.

V. 25. *Malchinus*] Nomen fictum a graeco μαλακὸς, quo veteres etiam latini poetae usi sunt, ut Plaut. Mil. glor. III, 1, 75: »cinaedus malacus.« Qui ex aliis codicibus *Malthinus* vel *Maltinus* scribendum censuerunt, ab antiquo vocabulo *malta* i. e. *mollis* repetendum nomen docent. Scholiastis auctoribus *Maecenas* hoc nomine tangitur, qui teste Seneca Ep. 115 soluta tunica per urbem ire solebat. Seneca l. l.: »Quomodo Maecenas vixerit, notius est quam ut narrari nunc debeat; quomodo *ambulaverit*, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio eius aeque soluta est quam ipse *discinctus*?« De qua re cum olim non esset dubitatum scrupulum nunc moverunt doctissimi viri, qui scurrilem et ab Horatii Maecenatisque coniunctione alienissimam putarent Maecenatis sub ficto nomine irrisionem. Attamen et illa scholiastarum annotatio antiquitus tradita videtur neque in ipso hoc loco quidquam est tam malignum aut contumeliosum ut Maecenas, sive coniunctus iam fuit cum Horatio sive non fuit, iure potuerit offendi. Nam »stulti prope omnes« dicuntur Sat. II, 3, 32; cum quo loco cf. Sat. II, 3, 307. II, 7, 42. Deinde ne amicorum quidem vitiis Horatius pepercit; id quod perspicuum est ex loco Sat. I, 3, 26, quem non sine huius loci ratione scriptum esse veri simile est. Praeterea ne hoc quidem recte concluditur, qui ita Maecenatem ipsum vituperaret cum nondum potuisse amicum fuisse Maecenatis. Nam si quid iniuriarum in hoc loco inerat, non minus inerat cum coniunctae ederentur satirae primi libri quam cum haec una scriberetur; ut idonea ex ea re inveniri non possit causa cur haec satira ante scripta esse debeat quam Horatius a Maecenate esset inter familiares receptus. — *tunicis demissis*] solutis. cf. v. 99. Non videntur esse demissitiae vel talares. Cic. in Cat. II, 10. — *ambulat*] vide ad Epod. 4, 5. Senec. Nat. Qu. VII, 31: »Tenero et molli incessu suspendimus gradum, non ambulamus, sed repimus.« — *subductis*] Quintil. XI, 3, 138: »Cui lati clavi ius non erit ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum.« Varro de vit. pop. Rom. ap. Non. de gen. vest.: »Postquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste;
Contra alius nullam nisi olente in fornice stantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis;
Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent,
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem caesus, fugiens hic decidit acrem

subuculam (virorum) et indusium (mulierum).« — *facetus*] eleganter se vestitum esse putans. Sic Plaut. Most. I, 1, 41: »Non omnes possunt olere unguenta exotica, si tu oles neque tam *facetis*, quam tu vivis, victibus.« — *Pastillos*] cf. Sen. ep. 86: »Descripturus infamem et nimiis notabilem deliciis Horatius quid ait? Pastillos Rufillus olet. Dares nunc Rufillum, perinde esset ac si hircum oleret et Gargonii loco esset, quem idem Horatius Rufillo opposuit.« Martial. I, 87: »Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino, *Pastillos* Cosmi luxuriosa voras.« Hi homines satis noti fuerunt neque minimae dignitatis, ut eorum irrisio poetae invidiam conflaverit. cf. Sat. I, 4, 91 sq. — *hircum*] foedum alarum odorem. Epist. I, 5, 29. Catull. 69, 5: »laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper.« id. 71, 1: »Si quoi iure bono sacer alarum obstitit hircus.« — *instita*] fasciola fimbriata in ima stola matronarum. — *fornice stantem*] Extremam syllabam in positione non debili corripuit Horatius in satiris ante *sc* et *st*; cf. v. 71. 3, 44. 5, 35. 10, 72. II, 2, 36. 3, 43. 296. — *laudarier*] vide ad Carm. IV, 11, 8. cf. infra 78. 104. Sat. II, 8, 67. Epist. II, 1, 94. II, 2, 148. — *Cupiennius*] C. Cupiennius Libo Cumanus Augusti familiaritate clarus. — *albi*] »Respexit ad stolam candidam, qua vestiebantur matronae; nam meretrices habebant nigram vestem.« Comm. Cruq. — *audire*] »Urbane abutitur Ennianis versibus: Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.« Schol. — *moechis*] Sic optimi codices. Alii *moechos*, quem casum cur praeferas, ex Ennii loco idoneam causam non invenies. Ceterum acute Meinekius: »moechos ab omni parte laborare non ii opinor docendi erant, qui nolunt moechos recte procedere, sed ii potius qui favent moechis eorumque causam defendunt. Itaque scripturae vitium latere puto, ac cum plurimi optimique libri non *moechos* habeant, sed *moechis*, nescio an scribendum sit *procedere recte qui moechis rem vultis*. Qua emendatione admissa locus etiam similior evadit Ennianis versibus a scholiasta comparatis.« Sed nihil mutandum est; nam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Praedonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos,
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro. Iure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico; Salustius in quas
Non minus insanit quam qui moechatur: at hic si,
Qua res, qua ratio suaderet quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantum satis esset nec sibi damno
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: Matronam nullam ego tango.
Ut quondam Marsaeus, amator Originis ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicunque. Quid inter
Est in matrona, ancilla peccesve togata?

ii ipsi, qui moechis non favent, libentissime audiunt quam iis male res procedat. Qui moechis rem bene procedere volunt, nulli sunt nisi ipsi moechi; hi autem maximam partem ipsi senserunt, quam saepe inter dura pericula ceciderint. — *praedonum*] nocturno tempore per urbem grassantium.

V. 46. *Galba*] Serv. Galbam iuris peritum dicit Comment. Cruq., cui non obsecuti recentiores interpretes A. Galbam Octaviani scurram praetulerunt, non sufficiente causa. — *Salustius*] vide ad Carm. II, 2. Fuit qui historicum Salustium indicari vellet. At is decessit a. u. c. 719 iam quinquagenarius, ita ut in hoc iocus Horatii ineptus videatur. — *Marsaeus*] homo ignotus. — *donat*] praesens pro perfecto in exemplo rei satis vulgaris ac saepe observandae. Non est syncope pro *donavit*. *Origo* mima videtur fuisse illo tempore notissima. — *malum gravius*] Grave est malum patriam rem effundere, gravius famam corrumpere. — *personam*] moechi. — *Quid inter Est*] cf. Sat. I, 9, 51. II, 3, 117. Epist. II, 2, 93. 188. A. P. 290. 424. Lachm. ad Lucret. p. 82: »Dactylicos heroicos binos ita semper coniunxerunt, ut continua esset neque interrupta συνάφεια, ergo hic pedi sexto spondeus convenit, non trochaeus. Hoc certissimum est, perperam in Horat. Serm. I, 2, 62 plerosque scribere *quid inter — Est in matrona.*« — *peccesve*] Sic plurimi et antiquissimi codices in iisque omnes Cruquiani; quod quamquam insolitum est, tamen retinendum videtur. Sententia est: quid interest, sive in matrona, sive in ancilla sive in to-

Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus: Quid vis tibi? Numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis ac non fugienda petendis
Immiscere. Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? Quare ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos, —
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, — tenerum est femur aut crus

gata pecces? Et brevius dictum est, quid interest, in matrona, in ancilla, in togatave pecces? Tibull. IV, 5, 20: »Quid refert *clamve palamve* roget?« ubi Lachmannus et Dissenius non scripserunt cum aliis *clamne palamne*. Eadem varietas infra Epist. I, 11, 3. — *Villius*] Faustae, Sullae filiae, Milonis uxoris adulter; unde cum acerba irrisione *Sullae gener* appellatur. Eiusdem mulieris moechus Longarenus videtur fuisse. Milo ipse, quem propter staturam sub Longareni nomine latere alii voluerunt, non potest intelligi. Ceterum Meinekius acute, ut solet: »non intellexisse videntur critici illud *in Fausta* ex praecedente versu »quid inter est in matrona, ancilla peccesne togata« suspensum esse. Hinc consequens est Horatium scripsisse *Sullae genero*.« — *fore*] Singularis positio h. v. rarior est, sed cfr. Liv. VI, 34: »forem, ut mos est, virga percutere.« Terent. Ad. II, 3, 11: »foris crepuit.« — *opis*] antique pro *opum*. Natura dives opis suae est; itaque facile potest ei satis fieri. — *Tuo vitio*] »utrum tua culpa labores an propter externam rerum necessitatem, quam superare non potes.« — *Quare*] Haupt. obss. critt. p. 12: »Horatius in sermonibus (I, 2, 77. II, 3, 176) non abstinuit a causali *quare* in recta oratione posito pro eo quod est *propterea*, abstinuit in epistolis, atque in carminibus *quare* plane nusquam ab eo dictum est.« — *sit licet hoc*] Simplicissima ratio haec est, ut *hoc* ad *lapillos* referatur; similis locus est infra v. 97. Haupt. scripsit: *nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum est femur*, quem secuti sunt Meinekius et Linkerus. Bentleio sic placuit: *inter . . lapillos sit licet, o Cerinthe, tuo tenerum est femur*. Contra quos recte monitum est non posse latine dici *sit licet inter lapillos* pro *licet ornata sit lapillis* nec aptam videri comparationem femoris matronae cum Cerinthi, qui haud dubie vanus fuit aliquis homo, non »pul-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Rectius, atque etiam melius persaepe togatae est.
Adde huc quod mercem sine fucis gestat, aperte
Quod venale habet ostendit, nec si quid honesti est
Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies ut saepe decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa
Quae mala sunt spectes. O crus! o brachia! verum
Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, — nam te
Hoc facit insanum, — multae tibi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa et circumdata palla,
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.
Altera, nil obstat; Cois tibi paene videre est
Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;

cherrimum scortum, insigni specie et candore‹ vel puer delicatus, id quod scholiastae docere student. Cerinthus externo vestitus splendore capi se passus est. — *tuum*] Haec tua res sit, tibi relinquo. — *magis tenerum*] quam togatae; quae verba ex iis quae insequuntur, facile intelliguntur. — *honesti*] pulchri. — *regibus*] vide ad Carm. I, 4, 14. Inde ab hoc versu in nonnullis codicibus nova incipit satira; male. — *hiantem*] cf. Sat. I, 1, 71. — *molli pede*] Non tenui et agiliore, sed infirmo ac debili. Diversus enim locus est Virg. Georg. III, 76. — *Hypsaea*] Plautia Hypsaea, ita caeca, ut in proverbium abiret. Eius enim caecitas ponitur contra Lyncei aciem. Lynceus unus fuit ex Argonautis, filius Apharei, Messenius, qui tanta fuisse oculorum acie traditur, ut vel parietem visu penetraret. Occisus est a Polluce. — *depugis*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *Catia*] impudica mulier. — *hoc facit insanum*] Hoc referendum ad praecedentium verborum sententiam: interdicta petere. — *ciniflones*] »Ciniflones et cinerarii eadem significatione apud antiquos habebantur ab officio calamistrorum in cinere calefaciendorum, quibus matronae capillos crispabant. Dicti autem ciniflones ab eo, quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum.« *Acro.* — *Altera*] Sententiae filum abruptum ex imitatione sermonis quotidiani. Doederlinius sententiam apte sic explevit: »Altera *quominus ex omni parte cerni possit*, nil obstat.« — *Cois*] cf. Sen. de Benef. VIII, 9: »Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in

Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? „Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,“
Cantat et apponit, „Meus et amor huic similis: nam
Transvolat in medio posita et fugientia captat.“
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque graves e pectore pelli?
Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum faucēs urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo venerem facilemque.
Illam „Post paulo“: „Sed pluris“: „Si exierit vir“
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio neque cunctetur, cum est iussa venire.
Candida rectaque sit: munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi,

quibus nihil est quo defendi aut corpus aut denique pudor possit.« — *Leporem venator*] Expressit epigramma Callimachi 33: »Ὠγρευτής, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν Διφᾷ καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος, Στίβῃ καὶ νιφετῷ κεχρημένος· ἢν δέ τις εἴπῃ· Τῇ τόδε βέβληται θηρίον, οὐκ ἔλαβεν. Χοὐμὸς ἔρως τοιόσδε, τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ Κείμενα παρπετάται.« Ex quo vides quid sit *positum*. cf. tamen Sat. II, 2, 23. — *pelli*] Optimi codices dissentiunt; in aliis *pelli*, in aliis *tolli*; utrumque sua natura rectum et aptum. *Pelli* alliteratione videtur commendari. — *quem*] Interrogativum in fine versus. Cf. Sat. II, 7, 104. II, 3, 187. — *soldo*] De syncope vide ad Carm. II, 2, 2. Solidum inani opponitur splendori, ut Cic. de fin. I, 18: »Illi negant bonum quidquam esse nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido quam splendido nomine.« ibid. 21: »In quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio.« — *pavonem*] vide ad Sat. II, 2, 23. — *rhombum*] cf. Epod. 2, 50. — *Philodemus*] Epicureus philosophus et poeta, Ciceronis aequalis. — *Gallis*] Cybelae sacerdotibus castratis. — *candida*] ut statim *alba* de grato

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec vereor ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
Ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel iudice vincam.

Satira III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat

faciei colore. Epod. 11, 27. — *Ilia et Egeria*] nobilissima et antiquissima nomina. — *vepallida*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *conscia*] ancilla conciliatrix. — *cruribus*] Infidelibus servis crudeles domini crura saepe frangebant. — *doti*] Mulieres adulterii convictae dotis parte multabantur. — *Fabio*] Sat. I, 1, 14. Is etiam, qui verborum linguaeque certamine nemini unquam cessit, hoc verum esse concedet ipse fortasse expertus.

Satira III.

Patet ex v. 63 (*saepe*) Horatium cum haec satira scriberetur in amicitiam Maecenatis fuisse iam receptum; amplius nihil poterit de tempore affirmari, modo teneatur haud ita magnum spatium intercedere potuisse inter hanc et superiorem. Familiaritatem Horatii cum Maecenate tota satira declarat, in qua nihil est timiditatis aut incertae sese gerendi rationis. Scribendae autem huius satirae causam et voluntatem ipsa altera praebuisse videtur, quippe qua castigatis multorum hominum perversitatibus non paucos sibi adversarios excitasset poeta, clamantes eos quidem malignum eum esse hominem qui ne ab amicorum quidem parvis vitiis abstinuerit Maecenatique illudere au-

sus sit. Quare nunc ostendit
les homines esse soleant, qui
vitia non videntes alios malign
tuperent, quidque discriminis i
sit inter sinceram etiam amico
reprehensionem correctionemqu
malignum levissima vitia aug
efferendique studium. Cui prav
cum excusatio quaeri saltem p
in Stoicorum philosophia, poeta
ultro ducitur, ut doceat, eius se
nimis severam disciplinam,
omnia peccata aequalia esse
tenderunt (v. 76), opposita Ep
reorum doctrina (v. 99—112) ab
mani generis ratione et vita
minus alienam et remotam
quam miram illam Stoicorum
perfecto sapiente sententiam.
cum haec satira scripta sit eo
silio, ne altera in posterum p
intelligeretur, ab eodem Tig
Sardo paulo ante mortuo init
cepit eiusque miros mores pe
tuamque vivendi inconstantiam
pide descripsit, ut ab hoc s
vituperato ad suam rem com
nemque hominum invidendi alio
vellicandi consuetudinem viam
muniret. De iocoso exitu vide
sunt adnotata ad finem primae
tirae.

V. 2. *cantare*] utrimque pe
et ab *induc. animum* et ab *ro*
— *habebat*] Non recte ex hoc

Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret: Io Bacche! modo summa
Voce, modo hac resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo: Sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus
Quamvis crassa queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus

perfecto nonnulli concluserunt. Tigellium iam *pridem* mortuum fuisse. Quod secus est; neque enim quidquam eius rei in imperfecto tempore inest neque poeta pridem mortui nomine et moribus sic uti potuit. Ad significationem v. habendi cf. Cic. Phil. II, 32: »Habebat hoc omnino Caesar;« intellige hoc moris, consuetudinis; hoc mirum, singulare. — *Caesar*] Octavianus. — *patris*] C. Iulii Caesaris, a quo Octavianus adoptatus erat. — *ab ovo*] »Ovum initium coenae erat, quippe quod in gustatione statim a balneis offerebatur; poma vero cum bellariis in secundis mensis erant.« Schol. — *Io Bacche*] Significatur cantilena convivalis, cuius strophae iterato hoc versu, ut videtur, claudebantur (Refrain). Posterior syllaba v. *Bacche* in arsi producta est; quod noli mirari, quia haec verba, quae velut obiectum quod vocatur a verbo *citaret* pendent, ex ipsa cantilena convivali in hunc versum recepta sunt et cessationem quandam vocis post se efficiunt. Quare exemplum Hauptii et Ritteri non est imitandum, qui Lachmanni (ad Lucret. p. 75 sq.) et Turnebi auctoritatem secuti ex paucis libris recipere non dubitaverunt *io Bacchae*, in qua scriptura nihil videndum est, nisi inane corrigendi versus studium. Si quid mutandum videtur, praestat cum Fabricio scribere *et modo summa*. — *modo summa*] »Tigellius modo utebatur ea voce, quae summa chorda tetrachordi, *τῇ ὑπάτῃ*, resonat i. e. gravissima *τῇ βαρυτάτῃ*; modo ea quae ima chorda, *τῇ νήτῃ*, eademque acutissima, *τῇ ὀξυτάτῃ* resonat.« Gesner. — *chordis*] est ablativus instrum.; nam *resonare chordis* est *prodire ex chordis*. — *Iunonis sacra*] Cic. off. I, 36. *Κανηφόροι* sacra capite portantes lento gradu incedebant. Sat. II, 8, 13. — *decem servos*] admodum parvus numerus. cf. Sat. II, 7, 118. I, 6, 116. I, 6, 107. Valer. Max. IV, 4, 11: »M. Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quae de vita sua scripsit, refert. Ait enim sibi *decem sola* mancipia, totumque censum centum quinque ac triginta milium nummum relictum.« — *modo reges*] Modo nihil nisi magna loquens amicitiam suam cum regibus magnisque viris iactabat, modo minima etiam sibi sufficere dictitabat. — *omnia magna*] modo de regibus et tetrarchis narrabat, nihil denique nisi magna in ore habens. — *decies centena*] sc. milia sestertium; quae ad nostram rationem redacta efficiunt fere 95457 flor. Rhen. Martial. I, 104: »Si dediderint superi decies mihi milia centum.« Ex proverbio est ut nos »eine Million.« — *impar*] Senec. epist. 121: »Omnes

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Πάτρας

Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?
Nullane habes vitia? Immo alia et fortasse minora.
Maenius absentem Novium cum carperet: Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
Cum tu pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paulo, minus aptus acutis

isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius Flaccus, nunquam eundem nec similem quidem sibi; adeo in diversum aberrat.«

V. 20. *et fortasse*] Sic recte scribitur ex omnibus prope codicibus, altera lectio *haud fort.* paucorum tantum codd. auctoritate sustentatur. »Habeo, inquit, vitia sed alia et spero minora, non tanta vituperatione digna.« Sat. I, 4, 130. I, 6, 65. Iam sic videtur poeta pergere: »quod quidem cum intelligam, neque mihi ipsi ignosco et aliorum vitiis libenter veniam dare soleo; nam bene perspexi omnia vitia paria non esse, immo alia severe quamquam non maligne reprehendi, aliis benevole ignosci debere.« In quo loco ne arrogantiae ac superbiae Horatium accuses, consideres velim antiquos homines alienissimos semper fuisse a fucata illa et simulata modestia qua nostra aetas immerito gloriari saepe solet, deinde Tigellii vitia quae vituperasset poeta non solum non parva fuisse sed quae totam hominis vitam temeritati et cupiditatibus obnoxiam omnemque operam et laborem irritum vanumque redderent. — *Novium*] potest esse fenerator Novius ex Sat. I, 6, 121. — *Maenius*] Sat. I, 1, 101. — *pervideas*] Recte sic codices praeter duos, in quibus *praevideas*, quod quibus placuit interpretantur *praetervideas*, nulla sane auctoritate adiuti. *Pervideas* eo ipso quod certare videtur cum *oculis lippus inunctis* praeferendum est Est Oxymoron; qui lippis oculis pervidet, is male pervidet, parum pervidet. Ceterum non bene ex nonnullis codicibus alii receperunt *male lippus*, ut v. 31 *male laxus*. *Mala* sunt vitia, ut Epist. II, 2, 126. — *Epidaurius*] Epidauri templum fuit Aesculapii, cui sacri serpentes. — *iracundior est*] Rectius esse praecipit hominum parva vitia patienter ferre et ponderandis etiam magnis saepe virtutibus benevole compensare. Suo igitur more hominis aliquam imaginem exprimit, ad quam efficiendam putant lineamenta quaedam suorum morum (Sat. II, 3, 323. Epist. I, 1, 94, I, 20, 25) eum admiscuisse. Quod cum de vitiis possit concedi, de virtutibus non potest; nam siquidem ingenium sibi esse nunquam negavit (Carm. II, 18, 9. III, 30.) Horatius, tamen ingens sibi ingenium (v. 33) non magis unquam, nedum hoc tempore, arrogavit quam singularem animi bonitatem, ut alium quemquam meliorem se auderet negare. Peius etiam est quod apud Acronem legitur: »Hic dicitur pulsare Virgilium, qui indecori corporis et habitus fuit.« — *acutis naribus*] quibus minima etiam aliorum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Naribus horum hominum; rideri possit eo quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum, vitia aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit vitium non fastidire: strabonem

vitia odorantur. — *horum hominum*] i. e. quales urbani nunc esse solent. — *tonso*] cf. Epist. I, 1, 94. Ovid. A. A. I, 517: »Nec mala deformet rigidos tonsura capillos; sit coma, sit docta barba resecta manu.« Senec. brev. vit. c. 12: »Quis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbari quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore quam de salute?« — *defluit*] cf. Epist. I, 1, 96. Indicatur toga parum composita. — *male*] coniunge cum *haeret*, ut sit: calceus non satis pedes premit, circumcludit, quod dedecuit urbanum hominem. Ovid. A. A. I, 516: »Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.« Theophr. Char. 4: »ὁ ἄγροικος τοιοῦτός τις, οἷος μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν.« — *tibi*] Fictus significatur adversarius. — *concute*] idem quod *excute*, quo libentius utebantur prosae orationis scriptores. Dicimus enim excutere vestem alicuius hominis, ut si quid ibi celatum sit id excidat. Arrian. Epict. 3, 14, 3: »περιβλέψαι, ἔνσεισθῆτι, ἵνα γνῷς τίς εἶ.«

V. 38. *praevertamur*] Praeverti est altera re relicta ad alteram sese convertere, ut hanc habeamus sententiarum iuncturam: »Iam cum nemo sit qui purum se liberumque vitiis dicere possit, summa lenitas adhibenda est in iudicandis amicorum vitiis imitandumque exemplum amantium, quibus amatorum hominum etiam pravitates placent, aut certe parentum, qui puerorum vitia blandis saepe nominibus celare student. — *vitia*] Recte monuit Horkelius Anal. p. 148, comma ponendum esse post v. *caecum*; nam *turpia vitia* duriora esse quam quae possint tolerari. — *polypus*] »Primam syllabam Latini poetae constanter producunt, Aeolicam illi formam quae πώλυπος est, sequentes.« Meineke Fragm. Com. I. p. 256. Est autem vitium foedum ipsarum narium. Iam animadvertenda est satirica acerbitas in ipso exemplo; dicunt enim significari L. Coelium Balbinum, qui hoc tempore proscriptus, postea reversus a. u. c. 724 consul suffectus est. Hagna libertinae nomen. — *honestum*] Nam ii quibus sensus est aequi bonique, eam inter amantes lenitatem non possunt non probare. — *At pater*] Etiamsi adamare non possumus amicorum vitia, tamen non fastidire ea, sed quantum possumus celare debemus. — *strabonem*] »Strabo dicitur qui est detortis oculis; paetus autem qui est oculis leniter declinatis cuique huc atque illuc tremuli celeriter volvuntur.« Comm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Appellat paetum pater, et pullum, male parvus
Si cui filius est, ut arbortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paulo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acres inter numeretur. Opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo ille:
Tardo cognomen, pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias nullique malo latus obdit apertum,

Cruq. De correpta syllaba ante *str.* vide ad Sat. I, 2, 30. — *pullum*] »Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.« Festus. Ceterum haec nomina, quibus patres filiorum vitia vel pravitates celare student, omnia sunt cognomina Romanarum familiarum, in quibus erant Paeti, Pulli, Vari, Strabones, Scauri. — *Sisyphus*] M. Antonii triumviri pumilio fuisse dicitur, ob calliditatem hoc nomine ornatus. — *balbutit*] infantes imitans. Varus est cuius pedes introrsum retorti sunt, scaurus qui talos habet exstantes vel inversos et tortuosos (Klumpfuss). — *ineptus*] Cic. de Orat. II, 4, 17: »Qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.« — *concinnus*] »Si ineptus est et paulo iactantior, tu eum excusa dicens: officiosa sedulitate amicis sese studet commendare.« — *simplex*] Contrarius est *duplex*, ut Carm. I, 6, 7. Simplex ut sentit ita loquitur. — *inter*] vide ad Carm. III, 3, 11. cf. infra v. 60. — *opinor*] Praeter hunc tribus locis apud Horatium legitur Sat. I, 7, 2. Epist. I, 16, 78. II, 2, 17; ubique versum claudit, nimirum eo consilio ut insigni loco ironica eius verbi vis augeatur. — *incrustare*] »Adeo perversi sumus, ut et purum vas corrupto aliquo liquore eiusque faecibus obducere cupiamus.« Orellius. Homines igitur aliorum mores non tales iudicare solent, quales sunt, sed in praviorem speciem a se maligne conversos; cuius iam rei exempla adduntur.

V. 57. *ille*] Restitui scripturam codicis Bland. omnium vetustissimi, neque addidi quod contra codices Bentleio placuit *tardo ac* vel Hauptio *tardo et*; sententia enim sic optime procedit per asyndeton, quae additis particulis haec est: si quis probus (simplex) nobiscum vivit, si ille est multum demissus (modestus) homo, tardo ei, pingui cognomen illico damus. Ut protasis, ita apodosis bipartita est; neutrius tamen partes coniunctionibus inter se copulatae sunt. cf. Cic. Mur. 40: »Sit apud vos *modestiae* locus, sit *demissis hominibus* perfugium, sit auxilium *pudori*.« id. de Or. II, 43: »Ea omnia, quae proborum, *demissorum*, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, benevolentiam conciliant.« — *multum*] vide

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat, Quovis sermone molestus
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis ut aequum est,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscet verrucis illius: aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non

ad Carm. I, 25, 5. — *versetur*] Sic Kirchnerus quoque ex plurima parte codicum; alii, ut Bentleius, Hauptius, Meinekius, Linkerus, Doederlinius ex antiquo cod. Bland. *versemur*. — *fictum*] Is est fictus qui se ipse fingit, talem se non praebet qualis est. — *qualem me*] i. e. qualem me tibi saepe obtuli et libenter obtuli, ut ne nunc quidem poeniteat. *Libenter* est sponte, consulto, ut Sat. I, 1, 63. Simplicem igitur et rectum neque nimiis falsae cuiusdam urbanitatis legibus obsequentem se esse apud Maecenatem dicit poeta, quo clarius sua familiaritas ab omni assentatione libera eluceat. Ne rusticitatis aliquid Horatio obtruderetur, Horkelius *licenter*, Schneidewinus *libenti* scribendum esse docuerunt; sed neque excusatione neque adulatione opus est. — *quovis*] Vituperantis verba ita nunc constitui, ut Doederlinius docuit; Meinek. Linker. Kirchner. Ritter., alii *quovis sermone* non bene coniunxerunt cum *impellat*. — *communi sensu*] eius quod decet. Quint. I, 2, 20: »Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet, cum se a congressu, qui non hominibus solum sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit?« Senec. de benef. 1, 12: »sit in beneficio sensus communis: tempus, locum, personas observet, quia momentis quaedam grata et ingrata sunt.« — *amicus dulcis*] vide ad Carm. I, 16, 28. — *cum mea compenset*] *Cum* non est praepositio sed coniunctio. De praepositione a nomine suo disiuncta cf. Sat. I, 10, 91. 5, 51. 6, 115. II, 6, 34. Epist. I, 2, 6. *Compensare* verbum duplici ratione potest coniungi, ut mutandi quoque verba, de quibus vide ad Carm. I, 17, 2. Cf. Ovid. Her. 3, 51: »Tot tamen amissis te compensavimus unum.« *Ut aequum est* in fine versus posita sunt et ne seiungantur ab adi. *dulcis* et quo efficaciora reddantur, ut v. 74. — *inclinet*] Asyndeton *compenset . . inclinet*. — *hac lege*] Videnda lex in verbis *pluribus hisce inclinet*, non in vv. 73 sq., qui rationis red-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus
Semesos pisces tepidumque ligurierit ius,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est! Paulum deliquit amicus,
(Quod nisi concedas, habeare insuavis): acerbus
Odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris;
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.
Comminxit lectum potus mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide sponsumve negarit?

dendae causa adduntur. — *qualenus*] vide ad Sat. I, 1, 64. — *stultis*] ex sententia Stoicorum omnes stulti sumus praeter vere sapientem. Sat. II, 3, 32. Qualem Stoici vere sapientem cogitaverint lege apud Ciceron. de off. III, 4. — *Si quis*] Est argumentum a minori ad maius. — *tepidum*] ius tepidum factum, non iam calidum nec domino aut convivis gratum. cf. Sat. II, 4, 79. — *Labeone*] M. Antistius Labeo, clarissimus Ictus, quem scholiastae significari dicunt, cum haec satira scriberetur, vix octavum vel nonum aetatis annum superaverat; is igitur tangi non potuit. Labeonem autem, quem indicat poeta, vere insanum fuisse, locus suadet. — *inter sanos*] i. q. a sanis. — *hoc*] quod statim dicam. — *acerbus*] Virg. Aen. X, 904. Cic. ad Attic. X, 8: »odium acerbissimum.« Non bene alii distinguunt: *habeare insuavis, acerbus*: *Odisti*. — *Rusonem*] »Octavius Ruso acerbus fenerator esse traditur; idem scriptor historiarum.« Schol. — *Kalendae*] vide ad Epod. 2. fin. Ceterum cf. A. P. 474. — *audit*] Debitores coacti sunt tristi recitationi Rusonis adesse, ne crudelem feneratorem offendant. — *Euandri*] prisci illius regis. Romani enim antiquorum vasorum cupidissimi erant. Sat. II, 3, 20. Mart. VIII, 6, 7 sqq.: »Hoc cratere ferox commisit proelia Rhoecus cum Lapithis: pugna debile cernis opus; Hi duo longaevo censentur Nestore fundi: Pollice de Pylio *trita* columba nitet.« — *mea quia pullum*] Negligentior qui videtur ordo verborum restituitur caesurae ope, qua *mea in parte* facile coniunguntur. — *ante*] adverbialiter, ut Tibull. I, 1, 13: »Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.« id. II, 5, 98: »coronatus stabit et ante calix.« — *fide*] vide ad Carm. III, 7, 4. — *quis*] quibus. De hac Stoicorum sententia, cf. Cic. de fin. IV, 19, 55: »recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria: quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probantur; sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset neu latro neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti
Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

veritas clamabat quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.« — *fere*] ut graecum σχεδόν; cf. Epist. I, 6, 9. 17, 24. II, 1, 236. Stoicorum rigida sententia addita particula lenitur. — *ad verum*] relicta sterili doctrina ad ipsam vitam. — *primis terris*] novis. — *usus*] necessitas. Cic. Tusc. II, 16, 37. — *ignotis mortibus*] cf. Carm. IV, 9, 13 sqq. Numerus pluralis ad res plures et diverso tempore gestas est accommodatus. — *venerem incertam*] quae contraria est *connubio stabili*. Virg. Aen. I, 73. — *editior*] i. e. superior; cuius significationis aliud exemplum vix reperiatur. — *iura inventa*] Ex Epicuri sententia; nam Stoici τὸ δίκαιόν φασι φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει. — *natura*] Homines natura non docentur tam accurate distinguere, quid honestum sit, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quam quid sit utile, quid non sit.

V. 115. *ratio*] Ratione nitebantur Stoici ad evincendam suam sententiam. Sat. II, 3, 225. *Vincere* est adversarium vincendo demonstrare; sic apud Cic. Cluent. 44, 124: »Vince deinde, bonum virum fuisse Oppianicum.« Graece: οὐδὲ αἱρήσει ὁ λόγος. — *sacra legerit*] inde sacrilegus. — *scutica*] Scutica et ferula paeda-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nam ut ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor, cum dicas esse pares res
Furta latrociniis et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex;
Cur optas quod habes? Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens. Qui?
Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis clausaque taberna
Sutor erat, sapiens operis sic optimus omnis

gogi utebantur ad castigandos pueros, flagello autem servi puniebantur. Epod. 4, 11. — *Nam ut ferula*] »Nam ne graviora lenioribus poenis coërceas, illud profecto non est timendum.« Non offendendum in particula *ut*, quam tu noli coniungere cum verbo *vereor*. Cui verbo cum addideris *illud*, omnia bene se habent ad exemplum huiuscemodi sententiae: Cic. de divin. II, 31, 66: »De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui; sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum.« cf. Liv. XXVIII, 22: »Nihil minus quam ut egredi moenibus auderent timeri poterat.« — *furta latrociniis*] Dativus suspensus est a v. *pares*, ut constructio evadat paulo contortior pro: cum dicas pares res esse furta et latrocinia, vel: cum dicas paria esse furta latrociniis. — *magnis parva*] Vide quam sit brevis et concisa lingua Latina. Simili enim ratione atque ea, quam ad Carm. II, 6, 14 observavimus, haec posita sunt: »parva mineris simili te falce recisurum ei falci qua magna.« *Recidere* est nimia et exuberantia caedendo rem ad iustum modum reducere. — *regnum*] Epist. I, 1, 106 sqq. Cic. Acad. II, 44: »Xenocrates et Aristoteles unquam dicerent sapientes solos reges? solos divites? solos formosos? omnia quae ubique essent, sapientis esse?« Plutarch. de tranq. an. 12: »Ἔνιοι τοὺς μὲν Στωϊκοὺς οἴονται παίζειν, ὅταν ἀκούσωσι τὸν σοφὸν πῶρ' αὐτοῖς μὴ μόνον φρόνιμον καὶ δίκαιον καὶ ἀνδρεῖον, ἀλλὰ καὶ ῥήτορα καὶ στρατηγὸν καὶ ποιητὴν καὶ πλούσιον καὶ βασιλέα προσαγορευόμενον, αὐτοὺς δὲ πάντων ἀξιοῦσι τούτων, κἂν μὴ τυγχάνωσιν, ἀνιῶνται.« Ceterum utitur poeta hoc vocabulo ad hilarem satirae exitum parandum. — *optas*] sc. regnum. — *pater Chrysippus*] cf. Sat. II, 3, 44. 287. Epist. I, 19, 7. Εἰ μὴ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά. Diog. Laert. VII, 183. — *Hermogenes*] vide ad Sat. I, 2, 3. Tigellii Sardi filius adoptivus fuisse videtur. Sat. I, 9, 25. — *Alfenus vafer*] »Urbane satis Alfenum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina quam in municipio suo exercuerat Romam venit magistroque usus Ser. Sulpicio Rufo Icto ad tantam pervenit scientiam, ut consulatum gereret et publico funere efferretur.« Schol. Apud Cruquium nomen scriptum est *Alfinius*, Orellius *Alfenius* scribendum esse docuit, ita ut trisyllabum sit; nam P. Alfenium cos. suff. a. u. c. 755 reperiri in Inscript. Apud Pighium Ann. Rom. anni 754 consules sunt P. Vinucius M. f. P. n. et P. *Alfinius* P. f. *Varus*. — *Sutor*] Bentleius eumque qui secuti sunt alii

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coërces,
Urgeris turba circum te stante miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
Ignoscent si quid peccaro stultus amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

Satira IV.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae
Atque alii quorum comoedia prisca virorum est,

ex uno, sed omnium antiquissimo codice Bland. *Tonsor* receperunt, ne exemplum ex eodem artificii genere, sed ex diverso peteretur. Kirchnerus et Doederlinius vulgatam scripturam *sutor* recte servarunt. — *barbam*] Praeter barbam abolla (ἀμβόλλα, ἀναβολή), pallium philosophicum, insigne fuit Stoici. Inde iocosum votum Sat. II, 3, 17. Gell. N. A. IX, 2: »Video, inquit Herodes, barbam et pallium; philosophum nondum video.« — *rumperis et latras*] rumperis latrando. cf. Sat. II, 1, 85. Latrant canes; stoici autem semicynici erant. — *quadrante*] In publicis balneis tenuiores homines quadrante lavabant. — *stipator*] Cic. de off. II, 7, 25. Varro L. L. VII, 3, 91 fin.: »Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, quos postea a stipatione stipatores appellarunt.« Deridetur igitur regia philosophi dignitas. — *Crispinum*] vide ad Sat. I, 1, 120. — *inque*] Hic unus Horatii locus, in quo *que* part. *in* praepos. adhaeret. cf. I, 4, 66. — *peccaro*] Alii *peccavero*. »Neque enim *o* finale in verbis temere invenies correptum apud huius aetatis scriptores.« *Bentleius*. Sed cf. Sat. I, 4, 104. I, 6, 119. 1, 9, 2. 17. — *stultus*] non sapiens, non Stoicus.

Satira IV.

Haec quoque satira scripta est a poeta, ut se satirasque suas ab iniusto iudicio vindicaret. Duplex autem fuit criminatio, quam in editas tunc satiras adversarii coniicerent. Ac primum quidem negabant poetam esse Horatium, quippe qui nihil nisi paucos versus conscripsisset, deinde malignum esse hominem qui ne amicis quidem, scilicet ut risum sibi excuteret, parceret. Quae ut refelleret inchoavit satiram ab origine generis satirici et auctore suo Lucilio, qui cum multa scripsisset facilem ad priorem criminationem paucorum versuum transitum praebuit (vv. 9—22). Neque minore arte ad alterum crimen transitur Fannio quodam poeta imperitae multitudini gratissimo in comparationem vocato. Iam versu 38 ad ipsam defensionem accingitur; in qua primum ne ipsum quidem poetam se habere affirmat, cum non versus sed res et rerum ingeniosa tractatio poetam faciat (v. 63). Deinde a malignitate sese defendit: neque se timendum esse ait cuiquam nisi malis neque se satiras suas in medio foro primo cuique recitare (v. 78), neque delectari laedendis hominibus, cum absentes

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;

non rodat nec falsa fingat nec commissa prodat nec quibus videatur esse amicus ex insidiis calumnietur (v. 103). Iam cum qualis non sit ostenderit, addit qualis velit haberi quaque ratione ex puerili institutione paulatim exorta sit sua hominum contemplandorum consuetudo, qua ut puer tunc quoque ad animum suum in dies magis excolendum utatur; hoc suum esse vitium. Cui qui ignoscere nolint, in eos iocosas minas in clausula satirae proiicit. De tempore certum est non potuisse haec scribi nisi pluribus iam satiris divulgatis; ex iis quae ad nos venerunt secunda prior (v. 92), decima posterior (10, 1) est. Nihil amplius certum; priores fortasse etiam tertia et sexta. Scripta esse videtur Frankio et Webero a. u. c. 716, Grotefendio, Duentzero, Zumptio a. 718, Kirchnero a. 722.

V. 1. Triplex fuit comoedia graeca; *antiqua*, cuius principes erant Eupolis c. a. 430, Cratinus mortuus c. 427 centesimum annum egressus, Aristophanes, qui maxime floruit intra a. 427—392. Haec liberrima erat et insectandis vitiis deditissima. Moderatior iam *media* erat, cuius tamen argumenta ad civiles res pertinebant, id quod probatur fragmentis Antiphanis Rhodii a. 408 et Alexidis Thurii a. 336. Tandem cum Macedonum auctoritas graecam libertatem opprimeret, *nova* comoedia delapsa est ad res privatas; in qua eximius Menander fuit intra a. 342—290. cf. A. P. 281—284. — *virorum*] Sat. I, 10, 16. Designatur et nomine et loco, quem hoc nomen bis accepit, virilis illa libertas in castigandis vitiis conspicua. — *numerisque*] Epist. I, 19, 24. Cum pedibus coniunctus numerus est, ῥυθμός. Lucilius praeter hexametrum etiam iambicis et trochaicis pedibus usus est. Io. Laurentius Lydus de magistr. R. R. I, 41: »Ῥίνθων ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἁρμοὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατῖνον καὶ Εὐπόλιδος χαραχτῆρα ζηλῶσαντες τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν.« — *emunctae naris*] quasi purgatis naribus ut vitia bene odoraretur. Sat. I, 3, 29 sq. — *durus*] durities, qua non tactus solum sed sapor etiam et auditus laeditur, a versu ad ipsum hominem est translata. Plin. H. N. XXXV, 11: »Mechopanes pictor durus in coloribus.« Horatii iudicium fragmentis Lucilii egregie comprobatur. — *stans pede in uno*] brevissimum tempus significatur. — *flueret lutulentus*] Quint. X, 1, 93: »Ego ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat.« *Cum* particula est causalis; iam ut *fluere* dicitur eius oratio, cui quae alii multo labore consequuntur nullo prope negotio in mentem veniunt, ita poeta quasi fluit qui facillime versus componit. Imago autem a flumine sumpta verbo *lutulentus* continuatur, quod per quandam πρόληψιν positum sententiam satis illustrat. *Tollere* est recidere, non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit.
Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote plures

reservare aut laudare. Seneca Controv. 2, 10: »Naso rogatus aliquando ab amicis suis ut tolleret tres versus.« cf. Sat. I, 10, 50. Eadem imagine usus est Callimachus de Apollonio Rhodio hymn. in Apoll. 107: »Ἀσαφέος ποταμοῖο μέγας ῥόος· ἀλλὰ τὰ πολλὰ λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συφετὸν ἕλκει.« — *multum*] Multum scribere posse non magna laus est, quam insulso etiam et loquaci Crispino libenter concedam. Vide ad Sat. I, 1, 120. — *minimo*] »Minimo provocare dicuntur ii qui in stipulatione plus ipsi promittunt quam exigunt ab adversario.« Schol. Crispinus suis viribus egregie confidens ac de victoria securus *minimo* provocat Horatium i. e. ita, ut maximum ipse promittat, alter minimum debeat pignus contra ponere. Sic bene procedit oratio neque pro superlativo comparativum modum requirit, uti visum nuper est Horkelio, qui *numero* scribendum esse ratus est, ut numero versuum, non bonitate Crispinus se superiorem fore speraret. At bonitatis quoque laudem ille, opinor, sibi arrogasset, si de ea ageretur. — *accipiam*] Melioris haec lectio autoritatis est quam quae aliis placuit *accipe iam*. *Ego* pronomen necessarium non est. — *hora*] temporis spatium quod ad scribendum utrique conceditur. — *custodes*] ne alieni versus afferantur. — *quodque*] vide ad Carm. II, 7, 25. — *At tu*] Fictus adversarius appellatur. — *follibus*] Tumidum et verbosum genus facete comparatur cum vento ex indefessis follibus emisso. Poetarum enim spiritus est et spirare. Carm. IV, 3, 24. IV, 6, 29.

V. 21. *Fannius*] Sat. I, 10, 80. Salse praedicat Fannium, cui a docta plebe pretiosae capsae, in quibus tumida sua carmina conderet conservaretque, et imago coronata ultro oblata esse videntur. Nam quod Scholiastae tradunt, in publicas bibliothecas eius carmina et imaginem delata esse, id quidem ut ex male intellecto ipso loco ortum videtur ita omni probabilitate caret. Nam in Pollionis bibliothecam a. u. c. 716 conditam M. Terentii Varronis unius viventis imago recepta est. Fannius autem etiam tunc vixit. Memorabile tamen est quod apud Schol. Cruq. legitur: »Fannius Quadratus .. poeta malus, cum liberos non haberet, heredipetae sine eius cura et studio libros eius et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scriptoris.« Quid scripserit Fannius, nescimus. — *timentis*] Coniunge cum pronomine *mea*. Sic Ovid. Heroid. 5, 45: »nostros vidisti flentis ocellos.« Martial. VII, 50: »Si tenet absentis nostros cantatque libellos.« — *plu-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Culpari dignos. Quemvis media erue turba,
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo
Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps
Fertur uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poëtas.
Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque
Et pueros et anus. Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,

res] per attractionem quandam cum *sunt quos* coniunctum atque explicandi gratia additum. — *erue*] Sic Hauthalio teste plurimi vett. codd. Horatii; alii non recte glossam *elige* praetulerunt; *erue quemvis* est: sume aliquem temere, nullo delectu habito; in eligendo inesset consilium et iudicium. *Eripe*, quod in tribus Blandiniis legebatur, a loco alienum est; *eripimus* enim ex periculis et laboribus. — *ob avaritiam*] Male alii ex coniectura duobus codicibus adiuta *ab avaritia*; nam neque Horatius *laborare ab aliqua re* dixisse unquam videtur, neque, si unquam, hoc loco dixisset, ubi morbus, non membrum vel pars ex qua dolor oritur, significandus erat. cf. Liv. XXXVIII, 39: »non tam *ob recentia ulla merita*, quam originum *memoria*.« Tacit. Ann. II, 42: »non *ob crimina*, sed *angore* finem vitae implevit.« Salust. Iug. 22: »ob easdem artes a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse.« Nec recipienda est nonnullorum codicum scriptura *miser* pro *misera*, ut nunc *Kirchnero* visum est, ut sit: aut ob avaritiam miser, aut miser ambitione laborat. — *Albius*] homo ignotus. cf. v. 109. — *tepet regio*] Epist. I, 20, 19. — *pulvis collectus*] Carm. I, 1, 4. — *ut rem*] *ut* part. coniungenda cum *metuens*. — *odere poetas*] oderunt praecipue satirarum scriptores, ab iisque odium in omne genus poetarum extendunt. Ex qua intemperantia adversariorum Horatius primam defensionis rationem (v. 39) nanciscitur. Sententia est: metuunt versus *ac propterea* odere poetas. Bentleii coniectura *poetam* facile caremus. — *foenum*] »Quando feriunt boves, eorum in cornibus ligatur foenum.« Schol. — *furno*] Acron.: »Redeuntes servos a pistrino sive a nympha.« — *lacuque*] M. Agrippa aedilis DCC aquae receptacula in urbe fecit; praeterea CV salientes. — *poetas*] Sic ex auctoritate omnium codicum; alii cum Heinsio et Bentleio ex attractione *poetis*, de quo genere cf. Sat. I, 1, 19. I, 2, 51. I, 6, 25. A. P. 372. Cui scripturae auctoritatem parare studuerunt ex Acronis schol. ad Sat. I, 6, 25: »Fieri tribuno, figurate per dativum, ut supra *dederim quibus esse poetis*.« Sed illud scholion non legitur in edit. Basil. a. 1527 neque in edit. prima Henricopetrina. Reperitur tamen in Comment. Cruquiano. — *concludere versum*] cf. Sat. I, 10, 59. II, 1, 28. — *comoedia necne poëma*] Comoedia poema non est neque verbis (Form) neque

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si quis scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Idcirco quidam comoedia necne poëma
Esset quaesivere; quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque et quod prius ordine verbum est
Posterius facias praeponens ultima primis,
Non, ut si solvas „Postquam discordia tetra
Belli ferratos postes portasque refregit,“
Invenias etiam disiecti membra poëtae.
Hactenus haec: alias iustum sit necne poëma,

rebus (Inhalt); omnia enim vulgaria sunt et ex vitae quotidianae sermone sumpta. Cic. Orat. 20: »Video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum quam comicorum poetarum, apud quos nisi quod versiculi sunt nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.« Dubium non est quin construi debeat *comoedia poëma esset necne*. cf. v. 63. — *At pater*] Res in comoediis frequentissima, quam adversarius ut in comoediis etiam incitatiorem esse orationem demonstret potuit afferre. — *ardens*] sc. ira. Virg. Aen. II, 41. — *nepos*] dissolutus, ἀσελγής. — *cum facibus*] cf. Pers. V, 168: »An siccis dedecus obstem Cognatis? an rem patriam rumore sinistro Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto?« — *Pomponius*] ut locus suadet, luxuriosus iuvenis, cetera ignotus. — *puris verbis*] Acron: »sine figuris et magno sono.« Quintil. I, 11, 6: »nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire.« — *personatus*] in comoedia. — *postquam discordia*] Versus Ennii testibus scholiastis. — *etiam*] etiam tum. — *hactenus*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis
Magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Coeli Birrique latronum,
Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli;
Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent sunt multi quique lavantes;
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes,
Inquit, et hoc studio pravus facis. Unde petitum

Omissa uberiore eius rei explicatione ab hoc certe loco alienissima ad alterum crimen transgreditur. — ***Sulcius et Caprius***] »Hi acerrimi delatores (id est quadruplatores) et causidici fuisse traduntur et ideo *male*, valde *rauci*, quod in contentione iudiciorum altissima voce clamarent.« Schol. Argumentum petit Horatius a maiore ad minus. — ***libellis***] accusatoriis. — ***sim***] Sic optimi codd. Est modus potentialis *οὐκ ἂν εἴην*, ut Sat. I, 1, 19. 48. 55. 79. I, 2, 5. 35 al. — ***habeat***] optativus modus. — ***taberna***] cf. Mart. I, 118. 10 sqq.: »Contra Caesaris est forum taberna Scriptis postibus hinc et inde totis, Omnes ut cito perlegas poetas.« Epist. I, 20, 1 sqq. — ***pila***] columna ante tabernam; cf. A. P. 373. Propert. III, 23, 23: »I puer, et citus haec aliqua propone columna.« — ***quis***] eo consilio, ut iis insudet. — ***Hermogenis***] vide ad Sat. 1, 2, 2. Huius igitur hominis iudicium nihil melius esse iudicio imperitae multitudinis acerbissime indicatur. — ***recitent***] Horatius meliora sua carmina habet quam quae nullo locorum aut occasionum habito delectu recitentur: intelligendae utique sunt pravae illae recitationes, quibus divites saepe ac nobiles homines ingentia sua ac tumida carmina ad taedium clientium et debitorum recitarunt. Sat. I, 3, 88 sq. — ***inanes***] Doederlinius sic coniunxit: ***suave locus vocis resonat conclusus, inanis. Hoc iuvat*** cet., ut duplex sit genus recitantium, alterum eorum, qui medio in foro coram omnibus scripta legant, alterum eorum, qui in balneo nullo praesente, in inani loco recitent sibique ipsi placeant ac plausum edant. ***Inanis*** semper ait significare hominem nullius pretii, vilem; nunquam gloriosum vel ambitiosum. — ***haud illud***] »Gravior negatio in iis apparet, ubi unum vocabulum sua negatione intenditur atque una res reliquis opponitur. Huius generis sunt demonstrativa pronomina atque adverbia.« Hand. Turs. III. p. 32. — ***sensu***] communi. Sat. I, 3, 66.

V. 79. ***inquit***] Ut graecorum *φησί* usurpatur non certa cogitata persona (heisst's). Sat. II, 2, 99. Cic. Tusc. I, 39, 93. V, 41, 118. — ***studio***] cf. Cic. Rosc. Am. 32: »ut omnes intelligant, me non *studio* accusare sed officio defendere.« — ***defendit***] De ultima syllaba

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas coenare quaternos,
E quibus unus amet quavis adspergere cunctos
Praeter eum qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
Infesto nigris; ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe;
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud

producta vide ad Carm. I, 3, 36. — *captat risus*] Cic. Tusc. II, 7, 17. Frequentativa verbi forma studium et operam hominis ostendit. — *niger*] Cic. pro Caec. 10: »Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens.« — *caveto*] Loquitur poeta tanquam legem proponens. — *quaternos*] summus numerus elegantiorum hominum. — *amet*] Sic scribendum est etiam cum uno cod. Bland.; alterum *avet* nihil habet nisi voluntatem ac studium adspergendi, cum tamen sententia requirat consuetudinem. — *praebet aquam*] praeter convivatorem; elocutio accommodata ad verb. *adspergere*, i. e. salsis dictis carpere et vellicare. Statim ab initio convivii apponebant convivis aquam et gelidam et calidam, ad bibendum et ad miscendum vinum. cf. Sat. II, 2, 69. Iuvenal. 5, 63: »Quando vocatus adest calidae gelidaeque minister?« Martial. XIV, 105 »frigida non desit, non decrit calda petenti.« — *hunc*] postea hunc quoque i. e. ipsum convivatorem. — *pastillos*] Sat. I, 2, 27. — *Petilli*] »Fingit se loqui cum amico Petillii Capitolini, qui cum praeesset Capitolio accusatus est quod coronam Iovis Capitolini rapuisset; quare ipse sublatae coronae causam dixit et absolutus est a iudicibus in gratiam Caesaris Octaviani, cuius amicus erat.« Comm. Cruq. Sat. I, 10, 26. Nihil aliud videtur certum esse nisi hoc, fuisse tum Petillium aliquem Capitolinum, qui, peculatus accusatus, in favorem Augusti ab iudicibus liberatus est. Nam fuisse gentem Petilliam et Petillios Capitolinos ostendunt nummi antiqui. Iovi coronam de capite subripuisse ex proverbio est, ut docent loci apud Plaut. Trin. I, 2, 46. Menaechm. V, 5, 38. — *amicoque*] Versus hypermeter, ut Sat. I, 6, 102. — *loliginis*] Comm. Cruq. »Loligo ge-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fugerit. Hic nigrae sucus loliginis, haec est
Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius atque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret: Scetani dissimilis sis.
Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti
Possem: Deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum; simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis, et sive iubebat
Ut facerem quid, Habes auctorem, quo facias hoc:
Unum ex iudicibus selectis obiiciebat;

nus est piscis marini, sucum habens nigrum et atramento similem; ex loliginis autem suco livorem mentis vult intelligi, ex aerugine malitiam.« — *ut si quid*] Ne ter ponendum esset verbum promittere, primam personam in fine posuit sententiae; pro: ut promitto, si quid aliud vere de me promittere possum, ita promitto afore cet. — *insuevit hoc me*] Lambinus et Heinsius *mi*. Sed cf. Sat. II, 2, 109. Tacit. Ann. II, 52: »ut *lectos viros* imperiis *suescerct*.« Ne in duplici quidem accusativo haerendum est, praesertim in pronomine *hoc*. — *vitiorum quaeque*] ἀπὸ κοινοῦ positum. — *Albi*] supra v. 28. Patris disciplinam ostendens vide quam multos simul carpat. — *magnum documentum*] vide ad Carm. III, 20, 7. — *Barrus*] Sat. I, 6, 30. I, 7, 8. Ceterum ignotus homo, ut etiam Scetanus et Trebonius. Bene Acron: »mira urbanitate, dum quasi ostendit, quomodo se pater suis monitis monere solitus esset, interea multos percutit.« — *quidque*] vide ad Carm II, 7, 25. — *duraverit*] cf. Sat. II, 4, 72. Vellei. II, 78: »Caesar patientia periculorum bellique experientia *durabat* exercitum.« — *iudicibus selectis*] sc. rerum capitalium. Cic. pro Cluent. 43: »Praetores urbani iurati debent optimum quemque in selectos iudices referre.« — *an hoc*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sive vetabat, An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt, mediocribus et quis
Ignoscas vitiis teneor; fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium; neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi. Rectius hoc est.
Hoc faciens vivam melius. Sic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poëtarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi; nam multo plures sumus ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

Coniunge *an addubites, hoc inhonestum sit necne.* Si quis coniungeret *addubites an . . necne*, is violaret consuetudinem latinam. Coniunctivus autem *addubites* potentialis est quem vocant.

V. 126. *avidos*] intemperantes. — *sibi parcere*] Epist. I, 7, 11. — *Ex hoc*] hac educatione. — *quis*] ut supra v. 72. — *istinc*] ab illis vitiis. — *liber amicus*] qui cum libertate me corrigat. — *lectulus*] lucubratorius. — *porticus*] ubi deambulare solebant Romani. — *desum mihi*] cf. Sat. I, 9, 56. II, 1, 17. »Non negligo quod officii mei est.« Lambin. — *rectius*] Verba sunt quasi secum loquentis ac de suis rebus cogitantis, ut ostendit v. 137. — *olim*] vide ad Carm. II, 10, 17. — *poetarum manus*] »Festive fingit magnum Romae esse poetarum quasi sodalicium et coniurationem. Simul ridet studium versificandi, quo tunc quam plurimi etiam invita Minerva ducebantur.« *Orellius.* In qua re hoc quoque facetum est, quod poetarum turba Horatio quam infestissima erat. — *Iudaei*] qui multi tunc Romae multos ad suam doctrinam trahere studebant. Cic. Flacc. c. 28: »Scis, quanta sit (Iudaeorum) manus, *quanta concordia*, quantum valeant in concionibus. Summa voce agam, tantum ut iudices audiant. Neque enim desunt, qui istos in me atque in optimum quemque incitent.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Satira V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,

Satira V.

Caesar Octavianus cum aestate a. 716 maritimo bello contra S. Pompeium gesto maximam classis partem amisisset, ad Antonium misit Maecenatem, qui remota inter triumviros simultate ad belli societatem utrumque coniungeret. Quare ineunte vere a. 717 Antonius cum trecentis navibus Brundusium vectus est; ubi cum non esset receptus, Tarentum cursum direxit. Iam cum alter alterum timeret, primo per amicos agebant, deinde intercedente Octavia ipsi prope Tarentum congressi mutuum inter se auxilium promiserunt: Octavianus Antonio duas legiones Italicas contra Parthos, Antonius Octaviano centum naves contra Pompeium. Amici per quos primo agebant non est dubium quin fuerint Maecenas et Cocceius, per quos iam a. 714 foedus Brundusinum ictum erat; unde v. 29 dicuntur »aversos soliti componere amicos.« Maecenati autem, qui ne in itinere quidem doctorum amicorum usu carere vellet, comes fuit Horatius; qui cum Lucilius olim iter Roma usque ad fretum Siculum factum in Satiris descripsisset, non potuit a se impetrare, quin in hac quoque re eum aemularetur, cum praesertim sperare posset fore ut eius exemplum et rebus et oratione et versu facile superaret (Sat. I, 4, 8). Iter factum esse verno tempore docet imprimis versus 14, cum quo conferantur vv. 72 et 81; quare veri videtur simile eodem anno etiam scriptam esse hanc satiram.

Tabula itineris Brundusini.

Dies	Loci	Milia Pass.	Milia Geogr.	Versus
1.	Aricia	16	$3^1/_5$	1
2.	Forum Appii	20	4	3
3.	Terracina	20	4	26
4.	Formiae	25	5	37
5.	Villula ad pont. Camp.	21	$4^1/_5$	45
6.	Capua	22	$4^2/_5$	47
7.	Cocceii villa	21	$4^1/_5$	50
8.	Beneventum	12	$2^2/_5$	71
9.	Villa prope Trivicum	20	4	79
10.	Oppidulum, quod versu dicere non est (Asculum?)	24	$4^4/_5$	87
11.	Canusium	27 (ab Asculo)	$5^2/_5$	91
12.	Rubi	30	6	94
13.	Barium	22	$4^2/_5$	97
14.	Egnatia	37	$7^2/_5$	"
15.	Brundusium	44	$8^4/_5$	104
		361	$72^1/_5$	

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, coenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et coelo diffundere signa parabat;
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere: Huc appelle! Trecentos inseris! Ohe
Iam satis est! Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator

V. 1. *excepit*] Sic in maiore parte antiquissimorum codd., et quod in non paucis reperitur *cepit*, id hanc scripturam confirmat, non eam quam Lambinus et Bentleius praetulerunt *accepit*. — *Aricia*] ad viam Appiam, distat a Roma XVI. M. P. — *Heliodorus*] rhetor graecus. — *Forum Appi*] distans ab Aricia XX. M. P., ab Appio Claudio Caeco qui Appiam viam fecit nominatum. — *atque*] vide ad Epod. 17, 4. — *cauponibus*] Sat. I, 1, 29. Maligni sunt quod viatoribus mala sua vina atque edulia magno pretio vendunt. — *altius ac*] vide ad Epod. 15, 5. Qui altius praecincti sunt, expeditiores sunt celeriusque iter conficiunt. Facete dictum. His opponuntur postea *tardi*, qui abhorrent a labore viae. Nam Appia (*regina viarum* Stat. Silv. II, 2, 12) magnis ac durissimis lapidibus strata euntium pedibus molesta erat. Quare rectius ex optimis libris *minus*, quam alterum *nimis*. Fori Appii initium erat Pomptinarum paludum, per quas iter continuabatur lintre a mulis tracta usque ad templum Feroniae (v. 24) distans ab Terracina III. M. P. Non mirandum igitur, quod Forum Appii refertum erat nautis et cauponibus. — *comites*] Omnes intelligendi sunt qui per paludes iter facturi erant eadem navicula, quae vespere solvi solebat, ut altero die mane ad Feroniam appelleretur. — *huc appelle*] Iam cum nox adesset, cuius adventum poeta epica quadam dignitate utpote exspectabundus describit v. 9. 10, omnes conscendunt lintrem, omnes properant, curant ne quid suarum rerum relinqueretur. Inde puerorum nautarumque convicia; sed sufficiebat poetae puerorum convicia paucis significasse, nautarum non memorantur. Haec igitur verba *huc appelle; trecentos inseris; ohe, iam satis est* non sunt dividenda inter puerum et nautam. Et cogitandum est, increpari ita nautam non uno tenore, ut aiunt, sed iustis interpositis intervallis; etenim sunt quasi exempla altercationis proposita. — *prolutus*] Sat. II, 4, 27. — *nauta atque viator*] Etiamsi v. 11 plures *nautae* memorantur, unus tamen est qui hanc unam naviculam regit, cui in imponendis et hominibus et sarcinis reliqui auxilio erant. Viator autem mulio non est, sed vilioris condicionis homo qui idem iter facit. Mulionem omnino non video; unus nauta in quieta fossa et navem regit et mulam loro lintrem trahentem. Sed cum facilius sit ex lintre mulam quam ex mula lintrem regere, nautam non apud

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Certatim, tandem fessus dormire viator
Incipit, ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat; quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Milia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem

mulam ambulantem aut mulae insidentem video, sed in navicula stantem suaque voce mulam satis docilem et assuetam agitantem. Cui rei ne obstare illud credas, quod nautam in terra postea cubantem dormientemque videmus, considera modo quam facile fuerit nautae ex nave in terram prosilire praesertim in angusta fossa; quae v. 21 ne cerebrosum quidem illum non nautam potuit retinere.

V. 20. *dies aderat*] Omnes in navicula dormiverant; unus tandem prima luce expergefactus mirabundus cum videat nautam dormientem, mulam pascentem, navem nihil prope progressam, prosilit iratus et non leniter suscitat nautam agitque mulam. — *quarta hora*] Romani quovis anni tempore in easdem duodecim horas diem noctemque tum longiorem tum breviorem dividebant. Iam cum vere iter hoc factum sit, quo tempore sexta fere nostra hora sol oritur, quarta Romana respondet circiter nostrae decimae. — *Feronia*] antiqua dea Italica. Haec templum celebre habebat III. M. Pass. a Tarracina, ubi nunc est turris antiqua, nominata *Torre Otto-faccia*. Ibi non deerant cauponae in quibus qui iter faciebant recrearentur. — *subimus*] Tarracina, cuius antiquum nomen Anxur erat, in monte posita erat. Liv. XXVII, 18. Hirt. de bell. Gall. VIII, 15, 1. Saxa candentia sunt propter calcem; inde Mart. V, 1 »candidus Anxur.« — *Cocceius*] M. Cocceius M. F. Nerva, consul a. u. 718, proavus Nervae imperatoris, et Octaviano et Antonio gratus. *Optimus* Maecenas est, non Cocceius, quem sic laudari voluit Bentleius, scilicet ne nimia in Maecenatem familiaritate uteretur poeta. cf. Carm. I, 20, 5. Simillima ratio est Sat. I, 10, 82. — *collyria*] Plura erant genera; unum a cinereo calore τέφριον appellabatur. Ex hoc loco noli concludere perpetua lippitudine vexatum fuisse poetam; illud solum recte efficies, infirmiores fuisse eius oculos qui nocturnos humores et frigora non bene tolerarent. Compara quae de Hannibale narrantur apud Livium XXII, 2 extr. — *Fonteius*] C. Fonteius Capito, elegans homo ac politus, Antonii in Asia legatus, a. u. c. 721 consul suffectus. — *ad unguem*] A. P. 294. Virg. Georg. II, 277. Sic

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
Occurrunt, animae quales neque candidiores

εἰς ὄνυχα vel ἐπ' ὄνυχος. »Translatio a marmorariis, qui iuncturas marmorum tum demum perfectas ducunt, si unguis superductus non offendatur.« Schol. — *Fundos*] hodie *Fondi*; Latii oppidum a Tarracina XII. M. P. distans; secundum Walckenarium XIII. M. P. et D. Aufidius olim scriba, tunc praefectus huius oppiduli, praetoris sibi nomen arrogabat, quo nomine in nonnullis municipiis summi magistratus honorabantur, non in praefecturis, ex quibus Fundi erant. Liv. VIII, 14. XXXVIII, 36: »De Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus C. Valerius Tappo tribunus plebis promulgavit, uti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset.« *Festus* autem Fundos et Formias inter praefecturas numeravit. Ceterum cf. Liv. XXIII, 19 extr. Qui insanus et vanus homo ut rite acciperet Maecenatem, Cocceium, Fonteium, maximos in civitate viros, quacunque potuit ratione externo cultu dignitatisque insignibus sese ornaverat, molestaque fortasse iter facientes sedulitate rogaverat ut in suo oppido pernoctare ne dedignarentur. Ridebant autem magni viri vanitatem hominis senatorum instar praetexta et lato clavo ornati. Quibus insignibus ἀπροσδοκήτως accedit *prunae batillum*; quod quid sit, incerti sumus. Scribitur etiam *vatillum* in antiquis codicibus et apud Comment. Cruq., qui vas parvum fuisse ait »in quo pro felici hospitum adventu incensis odoribus Iovi hospitali sacra fiebant; quod cum ex cupro esset, ita tollebat et ostentabat hospitibus, quasi esset aureum.« Gesnero videbatur foculus sacrificandi causa praelatus huic magistratui; Cruquius existimavit »vatillum esse voculum in coenatione aut cubili a laquearibus aut contignatione suspensum, in quo sub adventum hospitum vel convivarum prunis positis suffitus fiat.« Iam cum prunarum vasculum non facile praemium sive insigne vocetur in aliisque locis batillo prunae vel stercora tollantur (Varr. R. R. III, 6, 5: »cum batillo circumire oportet ac stercus tollere«), Duentzero visum est, significari scipionem male factum quo vanus homo virorum triumphalium et consulum scipiones eburneos imitari ausus sit. Aliis placuit coniectura *prunique bacillum*, bacillum pruneum pro consulis scipione usurpatum. Fea, Doederlin. Ritter. receperunt *vatillum*. — *Mamurrarum urbe*] Formiis a Fundis XIII. M. P. distantibus. Formiae hodie sunt *Molo di Gaeta*. Mamurra eques Romanus, homo ditissimus et Formiis infimo loco natus. Festive poeta dicit *Mamurrarum urbe*, quasi magna ibi ac vetus familia Mamurrarum fuerit, ut Lamiarum, de quibus vide ad Carm. III, 17. — *Murena*] L. Licinius Terentius Varro Murena, de quo vide ad Carm. II, 10. Murena et Capito Formiis domos habuerunt atque aemulati, uter hospites reciperet, tandem honorem et operam inter se diviserunt. Murena casu aderat. cf. Carm. III, 19, 7. — *Plotius*] M. Plotius Tucca. Sat. I, 10, 81; qui postea cum L. Vario (Carm. I, 6, 1) Virgilii mortui Aeneidem edidit. — *Sinuessae*] XXIII. M. P. a Formiis. Est locus, ubi nunc est

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula tectum
Praebuit, et parochi quae debent ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque;
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirrhi,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus, et ipse

Vagnoli sive *Bagnoli*. Fuit autem ultimum oppidum Latii in Appia.

V. 45. *Campano*] Pons impositus (hodie *Molino Ceppani* secundum Walckenarium) Savoni flumini III. M. P. a Sinuessa. Inter pontem et Capuam plures villulae; in proxima pernoctarunt. Capua a ponte Campano distabat XXII. M. P., secundum Walckenarium XVII. M. P. Vetus autem *Capua* sita erat, ubi nunc est vicus *Santa Maria di Capoa*, qui III. M. P. distat ab eo loco, quo nunc urbs Capua sita erat, olim *Casilinum*. — *parochi*] Sunt homines quibus publicum munus erat ligna, foenum, salem, tectum iter reipublicae causa facientibus praebere. — *lippis*] Celsus VI, 6 lippis quietem et abstinentiam commendat, crudos iubet »neque labori se neque exercitationi neque negotio credere.« — *crudis*] qui cibos difficulter digerunt; *crudis* indicatur Virgilius, *lippis* Horatius. — *Caudi*] Caudium in Hirpinis XXI. M. P. a Capua. Cocceii villa sita fuit secundum F. Daniel, ubi nunc est *la masseria delle Moliche*, secundum Romanellium, ubi est *Monte Sarchio*, secundum Walckenarium, ubi est *Castro Airola* non procul a *Costa Cauda*. — *plenissima*] Carm. II, 12, 24. IV, 12, 24. — *Nunc mihi paucis*] locosa epicae dignitatis imitatio. Qui fastidiose hunc locum vituperarunt, neque quid Romanus mos tulerit neque qualem Romani rusticationem habuerint satis considerarunt. Cic. de orat. II, 6: »Saepe ex meo socero audivi, cum is diceret socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari eosque incredibiliter repuerascere esse solitos.« — *Sarmenti*] Sarmentus Maecenatis videtur fuisse scurra, Messius Cocceii; hic robusto, ille gracili corpore. Cicirrhus ridiculum nomen, *κιχιρρός, ἀλεκτρυών*. — *domina exstat*] fuerat servus M. Favonii inter proscriptos occisi; cuius bonorum sectio cum ad Maecenatem venisset, Sarmentus manumissus et scriba factus est. Quod cum bene sciret Messius, simulat tamen se nescire v. 65 sq. Fuga etiam Sarmenti ficta videtur in contumeliam. — *equi feri*] Plin. H. N. VIII, 21: »Asperrimam autem feram *monocerotem*, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu ni-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Messius: Accipio; caput et movet; O, tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus miniteris? At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrhus ad haec: Donasset iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat; scriba quod esset,
Nilo deterius dominae ius esse; rogabat
Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.
Prorsus iucunde coenam producimus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.

gro media fronte cubitorum duum eminente.« — *accipio*] istam comparationem. — *caput et movet*] vide ad Carm. I, 2, 9. — *miniteris*] Codd. fluctuant inter *miniteris* et *minitaris*. Sententia autem causam habet, cur Sarmentus adversarium terribilem fore dicat, nisi cornu esset exsectum. — *At*] At ne quaeras cur alterum ita comparaverit cet. — *Campanum*] »Hoc enim quasi a natura Campanis fere omnibus est, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur in modum cornuum.« Comment. Cruq. — *iocatus*] Cic. de or. II, 59, 239: »Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum.« — *Cyclopa*] Epist. II, 2, 125. Saltare cum accus. ut ludere cum acc. est saltando exprimere; Vell. Pat. II, 73 »Glaucum saltare«, etiam passive ut Ovid. Trist. II, 519: »Et mea sunt populo saltata poemata saepe.« Auson. epigr. 84, 2: »histrio, saltavit qui Capanea, ruit. Idem, qui Nioben saltavit, saxeus cet.« id. epigr. 85, 1: »Daphnen et Nioben saltavit simius idem, Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.« Ante Augustum sic usurpatum verbum non videtur. — *catenam*] Fugitivi et ostiarii plerumque catenati erant; sed vide ad v. 55. — *nilo*] Lachm. ad Lucret. p. 28: »*nihilo* tribus syllabis Catullum extulisse constat: disyllabon fecit idem Catullus (97, 3) cum Lucretio, Horatio, Priapeo carmine 53; de ceteris, quantum scio, propter metrorum ambiguitatem nihil adfirmari potest.« Quem secutus sum cum Hauptio, Meinekio, Linkero. — *una libra*] Servis quotidie quaternae vel quinae farris librae dari solebant. Saepe tamen probabile est factum esse ut fame pressi aufugerent servi. — *producimus*] Praeferendum putavi praesens tempus; cfr. v. 25. 35. Alii ex codd. *produximus*. — *Beneventum*] A Caudio distabat XII. M. P. Ibi in cauponis hospitium devertisse videntur. — *macros turdos*] iam verno tempore. Construe sic: *hospes paene arsit, dum versat* cet. Ipse hospes i. e. caupo paene correptus est flammis. Versus quaedam perturbatio ipsam rem quodammodo imitatur, insequentes duo non sine

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Convivas avidos coenam servosque timentes
Tum rapere atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto; somnus tamen aufert
Intentum veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et milia rhedis
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,

iocosa quadam epicae gravitatis aemulatione sunt. — *timentes*] ne poenam tarditatis subirent. Convivae avidi sunt propter famem. — *notos*] nimirum patrii montes sunt Horatii. — *Atabulus*] perniciosus ventus, nunc *Altino* nominatus. — *erepsemus*] cf. Sat. I, 9, 73. II, 3, 169. II, 7, 68. vide ad Carm. II, 2, 2. — *Trivici*] »oppidi in fine Campaniae, quo vehicula iuncta accedere nequeunt; ergo Horatius ad villam devertit.« Schol. Villa Trivicana non videtur esse amici cuiusdam, sed vel parochi vel cauponis. Trivicum nusquam praeter h. l. commemoratur; est autem secundum Romanellium locus qui nunc appellatur *Civita* prope hodiernum *Trivico*.

V. 87. *versu dicere*] Ad exemplum Lucilii, cuius versus exstat: »Servorum est festu' dies hic, Quem plane hexametro versu non dicere possis,« et aliorum, etiam Graecorum. Equum tuticum vel Equotuticum significari male scribunt scholiastae; nimirum Maecenas comitesque a recta via septentriones versus declinassent et ex Apulia, quam iam intraverant, rursus in Campaniam deflexissent; deinde cum Beneventо tertio demum die Canusium pervenirent, et ita quidem ut primam noctem in Trivicana villa, alteram in hoc oppidulo transigerent, duobus primis diebus tantum XXII. M. P. confecissent, tertioque diei XLII reliquissent; id quod factum esse nequit et per totam itineris faciendi rationem et quia uno iam altero die XXIV. M. P. se confecisse dicit Horatius v. 86. Hoc quoque accedit quod Equi Tutici vel Equotutici nomen, si *u* littera longa est — id quod veri simile est — versu non excluditur. Ceterum fons eius interpretationis Ovidii ep. ex Pont. IV, 12 *ad Tuticanum* esse videtur, ubi Ovidius per quattuordecim versus certamine metri et nominis Tuticani artificiose ludit, veluti: »Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur, Artius appellem *Tuticanumque* vocem; Hac potes in versum *Tuticani* more venire, Fiat ut e longa syllaba prima brevis.« Quare apponam verba Walckenarii, qui de locis Horatianis dignus est qui legatur: »Les itinéraires anciens indiquent deux routes pour traverser les montagnes en se rendant à Brindes. L'une par *Equus Tuticus* ou *Equus Magnus* (*Fojano*) et *Civitas Serdonis* (*Ordona*), l'autre route par *Eclano* (Bonito), *Aquilonia* (*Cairano*), *Venusia* (*Venouse*), la patrie de notre poète. Nos voyageurs ne prirent aucune de ces deux routes, mais ils suivirent un chemin plus court, qui circule dans les montagnes et qui se trouve tracé sur les grandes cartes topographiques du

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Signis perfacile est: venit vilissima rerum
Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit moestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi; dein Gnatia Lymphis
Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,

royaume de Naples. Ce chemin se dirige en sortant de Bénévent sur Montefusco; il passe par Paparici et Mirabella, tourne la haute montagne nommée Capo de Diavolo et conduit à un lieu nommé *Trevico*, qui est le *Trivicum* mentionné dans la satire d'Horace.« Et: »Si en partant de Trevico on se dirige sur Brindes, on ne trouve dans ces vallées profondes d'autre route, praticable et facile que celle qui conduit à Ascoli ou *Asculum*, et cette ville est juste à vingt-quatre milles romaines de distance de Trevico.« Itaque suspicatur oppidum significatum esse *Asculum* et scribit: »Ce n'est pas la difficulté de prononcer le nom de cette ville, ni de le faire entrer dans un vers qui fait dire à Horace qu'on ne peut la nommer; il est évident que par cette réticence il fait une plaisanterie bouffonne, sur la signification de *culum* qui termine le nom qu'il s'abstient d'écrire.« Et deinde: »Lorsqu'il (Capmartin de Chaupy) visita cette ville (Asculum), on était obligé d'aller, au moyen de bêtes de somme, chercher l'eau qui jaillit d'une source au pied de la montagne. Les environs produisaient de beau froment et on y mangeait de très-bon pain.« Sed de hac quoque sententia licet dubitare, ita ut nihil habeas quod pro certo vendere audeas. — *signis*] non litteris, sed iis signis quae statim adduntur. — *Canusi*] distat a Benevento LXIV. M. P.; nunc *Canosa*. — *qui locus*] In hoc loco ne erres compara Carm. IV, 2, 5. C. S. 9, qui hoc quidem differunt, quod nomen quocum relativum coniungendum est praecedit. — *Rubos*] Rubi (nunc *Ruvo*) a Canusio distabant XXIV. vel alio auctore XXX. M. P. — *Bari*] Barium (nunc *Bari*) ad mare situm, a Rubis distans XXI. M. P. — *Gnatia*] populari forma pro *Egnatia*: oppidum fuit a Bario remotum XXXVII. M. P., quod cum dulci aqua careret iratis Lymphis conditum dicitur. Est hodie *Monopoli* secundum Romanellium, *Torre d'Anazzo* secundum Walckenarium. Incipiebat ibi via Egnatia. Lymphae latinum nomen Nympharum. De hoc oppido Plin. H. N. II, 111: »In Salentino oppido Egnatia impositio ligno in saxum protinus flammam exsistere.« — *flamma sine*] De praepositione postposita vide ad Carm. III, 3, 11. — *Iudaeus Apella*] Apella libertini nomen. Iudaeis ab Augusto concessum est ut in regione Transtiberina habitarent. Dicit igitur, eiusmodi miraculis neminem fidem posse habere nisi credulum magicaeque arti deditum Iudaeum. Plin. H. N. XXXI, 1: »Est et alia magices factio a Moyse et Iamne et Iotape Iudaeis pendens,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non ego; namque deos didici securum agere aevum,
Nec si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto coeli demittere tecto.
Brundusium longae finis chartaeque viaeque est.

Satira VI.

Non, quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus

sed multis milibus annorum post Zoroastrem.« — *deos didici*] Imitatus est Lucretii versum (V, 83. VI, 57): »Nam bene qui didicere deos securum agere aevum.« Profitetur Horatius iocose Epicuri disciplinam. Cic. de leg. I, 7: »nihil curare deum, nec sui nec alieni.« Diog. Laert. X, 138: »τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει.« cf. Cic. de off. III, 28. de divin. II, 17. — *Brundusium*] ab Egnatia distabat XLIV. M. P. Nunc Brindisi. Totius viae longitudinem Walckenarius esse dicit CCCLXXVII. M. P., et iter confectum est quattuordecim diebus. Orellius contra quindecim dies itineris fuisse vult, nam Beneventi (v. 71) quoque Maecenatem comitesque pernoctasse suspicatur.

Satira VI.

Qui recte rationem consideraverit, qua poeta satiras suas oriri ipse dixit Sat. I, 4, 134—139, is non mirabitur alteram ex altera quasi nasci. Sic haec sexta ex quinta orta videtur. Ibi enim cum comitem se et convictorem Maecenatis publice proposuisset, iterum expertus est quod olim in Asia et Graecia cum tribunus legioni praeesset, invidiam homines recte de aliis iudicare non pati, plurimis eos qui a magnis viris diligerentur magnique haberentur importunos videri ac superbos, quia parentum et condicionis qua essent nati obliti magna captare auderent. Iam quid ipse sibi de hac re persuaserit, ingenue hac satira profitetur. Etenim »etiamsi tu, inquit, Maecenas homines non maiorum sed sua dignitate recte soles iudicare, populus tamen genus et nobilitatem maxime spectat; quare stulti est ibi sese inferre ubi importunum et alienum quisque perspiciat. Exemplum praebet Tillius, qui cum omnibus sui similibus iniquum populi iudicium ipse provocat neque aliorum se exemplo recte potest excusare (v. 44).« Hanc generalem sententiam altera deinde parte ad se adhibet. Immerito se ait invidia hominum carpi, nunc maxime cum Maecenati sese non unquam obtruderit ipse sed ab amicis commendatus propter virtutes placuerit et vocatus venerit (v. 64). Quas virtutes cum patris sapienti educationi debeat (v. 88), tantum abesse, ut parentum se pudeat, ut ne nobilissimos quidem eorum loco accipere velit. Nobilitate enim generis nihil nunc effici nisi molestias et curas, veram libertatem non augeri sed imminui; nunc se parvis parentibus ortum multo vivere felicius et liberius quam alios permultos nobilissimis maioribus immerito superbientes. Scripta est satira eodem anno quo iter Brundusinum factum et quinta satira composita est.

V. 1. *Maecenas*] vide ad Carm. I, 1, 1. — *Lydorum quidquid*] Sic Epod. 5, 1. Ovid. Met. X, 18. De Lydis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Olim qui magnis legionibus imperitarent,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra Laevinum, Valeri genus, unde superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse notante
Iudice quo nosti populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet

vide Herod. I, 94. — *avus*] collectivi vocabuli singularis numerus pro plurali positus; avi enim omnino maiores sunt, ut apud Ovidium Fast. II, 30: »Hoc apud intonsos nomen habebat avos.« Id. Met. IV, 491. XV, 425. — *imperitarent*] In codd. etiam *imperitarint* et *imperitarunt*; utrumque falsum. — *magnis legionibus*] Sal. Cat. 53: »Saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse.« Etiam apud Livium X, 5 *legiones* sunt Etruscorum, ut Bruttiorum et Lucanorum VIII, 24. — *naso*] Sat. II, 8, 64. Plin. H. N. XI, 37, 59: »Novi mores subdolae irrisioni dicavere nasum.« Pers. I, 41: »Rides, ait, et nimis uncis Naribus indulges.« ibid. 118: »excusso populum suspendere naso.« — *ingenuus*] Suet. Octav. 74: »Valerius Messalla tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab Augusto coenae, excepto Mena sed asserto in ingenuitatem.« Vide supra p. 1 adn. 4. — *Tulli*] Servii Tullii, de quo Liv. IV, 3. — *Laevinum*] »Hic P. Valerius Laevinus adeo foedis ac proiectis in omnem turpitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quaesturae dignitatem.« Schol. — *unde*] vide ad Carm. II, 12, 7. — *pulsus fugit*] Sic in optimis codd., in aliis *fuit*. De illo recte Madvigius: »patet Horatium liberius praesenti historico uti, non in continua et incitata narratione, sed in brevi rei praeteritae significatione per pronomen relativum interiecta. Non dubitabimus igitur, quin idem Horatius ausus sit post coniunctionem *cum*, praesentisque sit temporis *donat* in Sat. I, 2, 56 et *edormit* in Sat. II, 3, 61.« cf. Tib. II, 4, 55: »Quidquid *habet* Circe, quidquid Medea veneni.« Ovid. Met. VII, 290. — *licuisse*] Licere verbum locum habet in rebus venalibus; quare vilissimo mancipio negat meliorem fuisse. — *quo nosti*] Attractio Graecis usitatissima. cf. Cic. ad Att. X, 8, 7: »hoc confirmamus illo augurio, quo diximus.« Terent. Heautont. I, 1, 35: »hac quidem causa, qua dixi tibi.« — *imaginibus*] vide ad Carm. II, 20, 24. — *oportet*] Lachm. ad Lucret. p. 52: »accedit quod hoc ipso verbo, quod est *oportet*, ea, puto, de causa quod ad iudicia proprie pertinet, neque Lucretius alio ullo in loco usus est neque ceteri poetae praeter comicos eo delectantur. Habent quidem illud satirici, Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis, item Phaedrus, qui comico generi proximi sunt: sed ne hi quidem saepe.« — *Decio*] homini novo, sed probo. Non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nos facere a vulgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depositum clavum fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: Quis homo hic est? quo patre natus?
Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus, eat quacunque, puellis
Iniiciat curam quaerendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit cives, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam et delubra deorum,
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tune Syri, Damae aut Dionysi filius, audes

certus quidam Decius cogitandus neque Appius; significantur homines quales Decii erant, et severi Censores, qualis olim Appius. — *vel merito*] sc. me moveret censor, quia senatoria dignitas natalibus meis parum convenire videretur. Genus et natales nemo potest magis mutare quam cutem; inde *in propr. non pelle quiess.* ex proverbio, quod sumptum videtur ab asino in fabula, qui leonis pellem induit. — *Sed*] Quod quamquam verissimum est, omnes tamen, nobiles et ignobiles, Gloriae currum quasi triumphalem (*fulgente*) sequuntur. cf. Epist. II, 1, 177.

V. 24. *quo sumere*] cf. Epist. I, 5, 12. Ovid. A. A. I, 303: »Quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes?« — *Tilli*] »Tillius hic senatu motus est a Caesare quasi Pompeianus; occiso vero Caesare recepit latum iterum clavum, id est, senatoriam dignitatem, et tribunus militum factus est.« Comm. Cruq. Tribuni quattuor primarum legionum habebant ius lati clavi. Aliis tribunum plebis Tillium fuisse probabilius videtur. — *nigris pellibus*] Senatorum calcei hoc differebant ab aliorum, quod quattuor nigris corrigiis in medio crure ligabantur ac praeterea ad talum addebatur lunula, quae litteram C (Centum Senatores primi) forma redderet. Calcei ipsi albi aut purpurei erant. — *Barrus*] Sat. I, 4, 110. — *Et cupiat*] Sic longe plurima pars optimorum codd., quod iam Cruquius bene interpretatus est; nam *et cupiat formosus haberi* ἐπεξηγητικῶς

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Deiicere e saxo cives aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paulus
Et Messalla videris? At hic, si plostra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas; saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor, at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos assumere prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim

addita sunt. Etiam Acron ita legit. Bentl. Meinek. Link. Kirchn. Doederlin. *ut cupiat*, quod ex interpretatione ortum est. — *Tune Syri*] Dicit aliquis ex populo. Tria nomina hic coniuncta servorum sunt. De genitivo *Dionysi* vide ad Carm. I, 29, 14. Sat. I, 4, 138. — *saxo*] Tarpeio. — *Cadmo*] »Cadmus dicitur eo tempore fuisse carnifex notae crudelitatis.« Schol. Necandos qui tradunt cives, quaestores sunt rerum capitalium. — *Novius*] Respondet ignobilis ille, libertinus et tamen munere maiore fungens: »At collega meus. Novius uno gradu deterior est me: nam cum ego sim libertino patre natus, ille ipse libertinus est.« Res metaphorice sumpta est a theatro et ordinibus. — *Hoc tibi*] Horatii sunt tribuno respondentis, cuius etiam insequentes versus sunt, quibus quam parvis saepe rebus multitudinis iudicium nitatur acerbe ostenditur. — *concurrantque*] De part. *que* bis transposita vide ad Carm. II, 7, 25. — *Foro*] In foro habebantur laudationes funebres, quibus Labitis mortui in Campo cremabantur. — *magna sonabit*] cf. Sat. I, 4, 44. Iuven. 7, 108: »Ipsi magna sonant.« Valer. Fl. III, 198: »Opheltem vana sonantem.« Non bene alii coniunxerunt *funera magna*, ut *quod* quasi obiectum sit verbi *sonabit*. Tu potius *quod* refer ita ad *magna sonare*, ut vim habeat consecutivam.

V. 45. *libertino patre natum*] Repetitio egregie imitatur continuos adversariorum clamores. cf. Carm. I, 35, 15. Ovid. Met. I, 325 sqq. VIII, 628 sq. — *convictor*] Ovid. ex Pont. IV, 3, 15: »Ille ego convictor (tibi) densoque domesticus usu.« Et confer epistolam Augusti supra p. 11. — *forsit*] Huius formae praeter h. l. nullum reperitur certum exemplum; quamquam de ea dubitari nequit, quoniam Priscianus p. 1015 in libris Horatii ita se legisse testatur. — *ambitione*] Haec tria verba coniuncta unius adiectivi locum explent; Graeci participium ὄντας adderent; nam tanquam accusativus sunt. cf. Cic. Tusc. V, 14, 41 extr. — *possim*] Coniunctivus ad exprimendam modestiam recte positus est. In nonnullis codd. est *possum*, apud Comm. Cruq. *possunt*. — *casu*] Vide quanta vi hoc nomen primam sententiae partem et arsim occu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Virgilius, post hunc Varius dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed quod eram narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca; abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes nec mala lustra
Obiiciet vere quisquam mihi, purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera,

paverit. — *quid essem*] Animadverte quam sit hoc diversum a *quis essem*. — *Satureiano*] Steph. Byz. v. Σατύριον, χώρα πλησίον Τάραντος. Fertilissima ea regio est. Neque temere magno quasi hiatu dixit *Sat. caballo*. Epist. I, 7, 88. De toto loco vide supra p. 7 sq. — *vita et pectore*] Ad Horatium ipsum, non ad patrem haec sunt referenda; etenim ipsius poetae ignobilitas generis poni debuit contra innocentiam vitae. — *nec mala*] Sic recte in antiquissimo omnium cod. Bland., alii *aut* vel *ac*. — *Flavi*] Flavius fuit ludi magister, qui arithmeticen imprimis docebat, scilicet eam artem quae lucelli cupidis hominibus prae reliquis ad veram humanitatem informantibus exoptata videbatur. — *magni*] quales sibi videbantur in parvo oppido. — *loculos tabulamque*] Ex Iuven. 10, 116: »Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam, Quem sequitur custos angustae vernula capsae« intelligimus, pueros qui ludum peterent secum habuisse paedagogos capsam cum libris et chartis tabulamque portantes. Iam cum *loculi* nil differant a *capsa*, utpote quae loculos contineret, non sine acerbitate significatur, nobilium istorum centurionum nobiles filios ipsos tulisse capsam tabulamque, non habuisse paedagogos. Non magnam enim impensam contulerunt isti homines in puerorum educationem; quare in eum ludum pueros mittebant, ubi minimo pretio litteraturam possent discere. Hoc dicitur v. 75. Nam octonae idus sunt eorum mensium,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes
In magno ut populo si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,
Non timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me poeniteat sanum patris huius; eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
Atque alios legere ad fastum quoscunque parentes
Optaret sibi quisque, meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens

qui singulis annis scholis habendis destinabantur. Feriae quadrimestres erant per menses aestivos, nam ab Idibus Iun. usque ad Id. Octobr. scholae cessabant. *Aera* haud dubie sunt didactrum, quod singulis mensibus solvebatur, satis parvum. His igitur hominibus nomine fortasse nobilibus, animo ignobilibus opponit poeta patris sui libertini hominis eximiam de filio bene educando curam. — *referentes*] referre est ultro quod debeas afferre.

V. 76. *est ausus*] nam pauper erat. — *in magno ut populo*] h. e. ut in magno populo, in magna urbe decet. Referenda haec sunt ad vestem et servos; nam Venusiae nobilium etiam qui videbantur filii deterioribus vestibus utebantur ac sine servis in ludum mittebantur. Alii sic explicant: quatenus id fieri poterat in tanta hominum aliud agentium multitudine, in qua etiam melius vestiti veluti latent atque in paucorum oculos incurrunt; non recte, opinor. — *avita*] cf. supra v. 10. Liv. IV, 3, 12. — *coactor*] vide supra p. 2. — *at hoc*] »Comici poetae antiqui *hoc* dixerunt, ut causam designarent, pro *ideo*, *propterea*, ut graecum τοῦ. Idque rursus in usum revocarunt scriptores aevi Augustei et recentiores. Apud Ciceronem nullum exstat exemplum.« Haud. Turs. III. p. 92. cf. supra 41. 52. — *dolo*] culpa, ut apud Ictos. — *ad fastum*] Haec verba *ad fast. quosc. par.* cum non magis ad optandi quam ad legendi verbum referenda sint, interductus ponendi non sunt.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud unquam solitus portare molestum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret res
Atque salutandi plures, ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem, plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos;
Obiiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Milibus atque aliis vivo. Quacunque libido est,
Incedo, solus percontor quanti olus ac far;

Constructio similis est Epod. 2, 37. Sat. I, 4, 2. I, 10, 16. — *fascibus et sellis*] Summorum honorum insignia; honesti sunt nobiles, qui honores gessere in republica. Plin. H. N. XVIII, 3, 4: »Honestis manibus (imperatoriis) omnia laetius proveniunt.« — *tuo*] Maecenatis, qui ipse senatorium ordinem sprevit. — *non unquam*] »Non dicunt veteres Latini *non quidquam*, *non usquam*, *haud ullum*, sed *haud quidquam*. Recentiore demum tempore Plinii negligentior exstitit usus.« Hand. Turs. III. p. 18 sq. — *salutandi*] Cic. Fam. IX, 20 fin.: »Mane salutamus domi et bonos viros multos cet.« Martial. IV, 8: »Prima salutantes atque altera continet hora.« Hieron. epist. 43: »Pudet dicere frequentiam salutandi, qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus aut ad nos venientes ceteros exspectamus.« Utrumque tamen officium est magnorum virorum, et alios salutatum ire et salutantes domi accipere; utrumque eodem verbo significatur. Quid igitur discrimen faciamus, ubi Horatius non statuit? Cic. ad Att. XIV, 20 fin.: »Eram continuo Piliam salutaturus, deinde ad epulas Vestorii cet.« — *peregreve*] versus hypermeter, ut Sat. I, 4, 96. — *curto*] Carm. III, 24, 64. Pers. 4, 52: »curta supellex.« — *sordes*] cf. v. 68. Sat. II, 5, 105: »Tillium hunc et supra increpuerat, quod senatoriam dignitatem accepisset, non sufficiens ei censu nec moribus.« Schol. Populus tamen, qui credere non potest, hominem praetoria dignitate iusta rerum copia carere, cum tam exiguo comitatu cinctum vidit Tillium, sordidum hominem habet. — *Tiburte via*] a porta Esquilina ad Tibur ducente. Exiguum iter facturus tamen Tillius sordidus instrumenta culinaria secum habet. — *lasanum*] Tillius obscuro loco natus magnos hospites, in quorum villis pernoctare posset, non habuit; iam cum propter paupertatem deversoria quam maxime vitare deberet, quae necessaria viderentur, domesticum vinum, panem, salem, oleum cum vasis coquinariis servis imposuit. Lasanum enim olla culinaria est, non vas vel sella exonerandae alvo, quae Kirchnero placuit. — *milibus atque aliis*] Notanda duplex comparativi constructio. Alia milia sunt multi alii, qui eodem honorum studio ducuntur quo Tillius. Alii explicant: in hac re et mille aliis rebus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fallacem Circum vespertinumque pererro
Saepe forum, adsisto divinis, inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum;
Coena ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet, adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo; post hanc vagor, aut ego, lecto
Aut scripto quod me tacitum iuvet, unguor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.

V. 113. *Circum*] ubi semper erant multi circulatores, mathematici, sortilegi, alii id genus. — *divinis*] vide ad Carm. III, 27, 10. — *laganique*] »Lagana sunt placentulae quaedam vulgares quasi membranulae compositae, quae cum pipere et liquamine conditae depromi solebant ad coenam moderatam et parabilem.« Comm. Cruq. — *pueris tribus*] Nobis satis magnus videtur numerus, Romanis parvus. cf. Sat. I, 3, 12. Plin. H. N. XXII, 10: »C. Caecilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quattuor milia centum decem.« — *lapis albus*] ex vulgari marmore factus; in hac quoque re ingens fuit luxuria Romanorum. — *pocula duo*] alterum ad vinum, alterum ad aquam. — *echinus*] vas fuisse videtur, in quo calices lavantur. Comm. Cruq.: »Echinum dixit vas salis in modum echini marini; alii ampullam vitream, alii lignum dicunt cum uncinis, in quo ponuntur calices, alii ampullam scorteam iuxta illud Lucilii: *echinus Cinnabari infectus.*« — *cum patera guttus*] utrumque ad libationes faciendas. — *Campana*] Sat. II, 3, 144. Fictilis ac vilis supellex. — *Marsya*] »Marsya statua erat pro Rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant.« Comm. Cruq. Et idem: »Minor enim Noviorum ad hanc statuam turpissime fenerabatur summo mane, quare iocatur Horatius inquiens, Marsyam alteram habere manum erectam ad depellendum Novios, quod eorum feneratorum impudentiam non posset sustinere.« — *aut ego*] Sententiam bene exposuit Kirchnerus: »Ad quartam iaceo, et postquam (iacens) legi aut scripsi quod me tacitum iuvet, aut vagor aut unguor olivo.« *Lecto, scripto* ablativi sunt absolute positi. Meinekius retinuit distinctionem Bentleii: »post hanc vagor aut ego lecto aut scripto quod me tacitum iuvet, unguor olivo«, quam sic explicat: post quartam horam, lecto aut scripto quod tacitum me inter vagandum iuvet, vagor; tum unguor olivo. — *Natta*] Sordidissimus homo oleo unguebatur ex lucernis detracto. Sat. II, 2, 59. II, 3, 125. — *rabiosi tempora signi*] Non significantur dies caniculares, sed tempus meridianum, quo solis aestus est acerrimus et quasi in rabiem agit. Haec unice vera lectio miro modo in recentioribus editionibus posthabita est antiquissimi Codicis Blandinii et unius Gothani (qui pessimus esse dicitur) interpo-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique:
His me consolor victurum suavius ac si
Quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor

lationi *fugio Campum lusumque trigonem.* Trigon quidem genus fuit pilae minimae, inde nominatae quod a tribus iactabatur ludentibus et ita dispositis, ut trianguli formam efficerent. Sed obscure dictum *lusum trigonem* pro *lusum* (vel ludum) *trigonis*: deinde vehementer est dubitandum, num hac aetate trigonis nomen iam usurpatum fuerit, cum ante Martialem nusquam legatur. Veterem esse corruptelam patet, ortam fortasse ex glossa in margine explicandi loci causa addita. Veram lectionem tuetur etiam perantiquus codex Barcellon. Hauthalii; etiam scholiastae et Comment. Cruq. qui male interpretantur dies caniculares. — *quaestor*] Primus hic maiorum honorum, ad quem qui nobili loco essent nati plurimi pervenerunt. Quaestura igitur generis nobilitas satis explicatur.

Satira VII.

Facete describit Horatius litem quam Persius quidam Clazomenius P. Rupilio Regi apud Brutum in Asia imperium tenentem olim intenderat. Cui rei probabile est ipsum interfuisse Horatium. Summa autem lepidae narrationis videnda est in festiva ratione qua Rupilii cognomen luditur. Ac veri simile est, primam hanc esse inter Horatii satiras, scriptam haud ita multo post quam ex Macedonia in Italiam poeta reversus esset. Nam quis credat levissimam illam rem sex septemve annis post ita divulgatam etiam fuisse, ut nota omnibus et lippis et tonsoribus dici posset? Deinde vehementer cavendum est, ne quis Bruti levem aliquem contemptum in satira inesse putet indeque posteriorem annum quasi natalem velit efficere. Horatio Bruti memoria semper sacra fuit, etiam cum omnino deditus esset Maecenati Octavianique partibus. cf. Carm. II, 7. Epist. I, 20, 23. Turpe sane facinus fuisset, si Horatius a. 718, quo alii putant scriptam satiram, quinto anno post reditum in Italiam, Brutum oblique tangere ausus esset, turpius etiam quam si idem fecisset anno iam 713. Ne in tricesimo quarto quidem versu quidquam inest maligni aut contumeliosi in Brutum aut caedem Caesaris; sed salse dicta ea sunt in Regem Rupilium, quibus etiam simplicissimus Brutoque deditissimus quisque vel praesente Bruto innocenter uti potuit. Attamen non recte videntur iudicasse qui inter praestantissimas satiras hanc quoque habendam arbitrati sunt.

V. 1. *Regis Rupili*] P. Rupilius Rex Praenestinus, eques Romanus a. 702 magister publicanorum in Bithynia fuerat; deinde a. 711 Romae praetor factus sed Octaviano auctore proscriptus ad Brutum confugit in eiusque comitatum receptus est. cf. v. 25. Consulto Horatius cognomen in priore loco posuit, quo certamen aliquod oriretur inter proscriptum et Regem. — *Persius*] Clazomenius fuit, patre Asiatico, matre Romana; inde hybrida dicitur. Iam si quid licet divinare de hac lite, Persium cogita mercaturam fecisse

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas,
Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit; hoc etenim sunt omnes iure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,

frumentis colligendis ac divendendis, cf. v. 4; id quod probabile fit ex contumeliae genere quo v. 24 sqq. utitur Persius. Rupilio, olim magistro societatis Bithynicae reique frumentariae fortasse perito, Brutus, ut videtur, colligendi emendique frumenti negotia mandaverat; quae cum ille exerceret, facile fieri potuit ut cum Persio negotiatore de commodis vel incommodis exercitus Brutiani litigaret. — *lippis*] Admodum frequens Romae lippitudo fuit; iam cum ii qui ex oculis laborarent certa negotia sequi non possent, in medicinis, quo illinendorum oculorum causa conveniebant, diutius sedebant et confabulabantur. Tonsores autem etiam antiquos loquacissimos fuisse, quid mirum? Sic Aristoph. Plut. 337: »καί τοι λόγος γ' ἦν, νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων, Ὡς κτλ.« Plaut. Amphitr. IV, 1, 5: »In medicinis, in tonstrinis, apud omnes aedes sacras Sum defessus quaeritando.« — *confidens*] cf. Cic. Tusc. III, 7, 14. — *tumidusque*] Carm. IV, 3, 8. Sat. II, 5, 98. II, 3, 213. A. P. 94. Haud pauci codd. *tumidus* praebent omissa coniunctione, inter quos etiamsi sint tres Cruquiani, Tons. Buslid. et Blandin. vetustiss., tamen non sunt sequendi, quia *us* syllaba apud Horatium in arsi non producitur. — *Sisennas, Barros*] homines maledicos ac mordaces. — *equis albis*] »quasi quadrigis triumphalibus incederet.« Schol. Albi enim equi nobiliores sunt »quod victores in triumpho albis equis vectari solebant.« Erasm. Adag. I, 4, 21. cf. Hom. Il. X, 437. Liv. V, 23.

V. 9. *Ad regem redeo*] Exspectas poetam hinc Rupilii quoque accuratam aliquam morum descriptionem additurum esse; sed frustra, nimirum ne primus versus dilatatus redire videretur. Quare non diffiteor, duram hanc mihi videri redeundi rationem; qua cur opus fuerit nihil videas. — *hoc iure*] sc. ut nihil inter eos conveniat, ut difficillimum sit, pacem inter eos restituere. — *molesti*] difficiles, quorum alter alteri non cedit. Qui comparantur cum hominibus fortitudine paribus et usque ad mortem pugnantibus; quorum exempla sunt Hector et Achilles. Alia ratio est hominum pugnantium, quorum alter fortis, alter ignavus est; quales dicuntur fuisse Diomedes et Glaucus, quamquam Glaucus apud Homerum Il. VI, 119 sqq. ignavus non est. Tota autem haec comparatio vitiosa quadam ubertate non caret; neque grata est haec orationis negligentia, qua inchoata narratio (v. 9) statim relinquitur. Versu enim decimo octavo de integro iterum inchoatur; nam quis sic coniungat: »postquam nihil inter utrumque convenit, Bruto praetore tenente Ditem Asiam Rupili et Persi par pugnat?« — *inter atque inter*] Epist. I, 2, 12. Liv. X, 7, 1. Cic. de amic. 25, 95. De *atque* particula vide ad Epod. 17, 4. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; duo si discordia vexet inertes
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior ultro
Muneribus missis. Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositum melius cum Bitho Bacchius. In iŭs
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu: laudat Brutum laudatque cohortem,
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege: canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse; ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Cum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui saepe viator
Cessisset magna compellans voce cuculum.

vexet] Sic scripsi ex auctoritate plurimorum codicum, inter quos, ut videtur, etiam Blandinii sunt, quamquam diserte de iis nihil reperitur adnotatum apud Cruquium; altera lectio *verset* in paucis tantum codd. Lambini reperta est.

V. 20. *Compositum*] par. »Bithus et Bacchius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt, qui cum multos interemissent, commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt.« Schol. Pro *in ius* in cod. Bland. antiquiss. erat *intus*, quod Cruquio placuit, ut sit de loco interiore et secessu aliquo in publicum prodire. Tu noli credere, sed scriptura exemplo est, ne optimum quidem et antiquissimum codicem Bland. mendis vacare. Praeterea Bland. antiquiss. *procurrunt*, quod verum est, tres reliqui Bland. *concurrunt*; sic etiam Busl. Divaei et Martin. apud Cruq., Tons. tamen *occurrunt*. — *ridetur*] impersonaliter; non Persius. Rident omnes propter acutam et salsam rei expositionem. Deinde nihil video tumidarum metaphorarum et ridiculae *ἀντιθέσεως* in imaginibus quibus usus esse dicitur Persius. Negotiatori, praesertim agricolae qui magna habuit latifundia, illa cum sole et stellis et cane comparatio haud dubie facillima fuit. — *fertur quo*] ubi densissima est silva. — *multoque fluenti*] cf. Demosth. de coron. c. 136: »*Τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι.*« Eurip. Hippol. 443: »*Κύπρις γὰρ οὐ φορητός, ἢν πολλὴ ῥυῇ.*« Virg. Georg. III, 28. — *expressa arbusto*] cf. Epist. II, 1, 146. Solebat probro obiici vindemiatoribus, si cuculus eos deprehendisset putantes vineam. Quare viatores si quos vindemiatores sero putantes conspexissent, cuculum clamantes illis conviciari solebant. Quibus conviciis vindemiatores dure satis et rustice respondebant. Rupilius igitur salsis cavillationibus Persii rustica et dura convicia obiicit, ita ut Graeci lepore omnino et facile superetur. — *vindemiator*] pronuntia quattuor sylla-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: Per magnos, Brute, deos, te
Oro, qui Reges consuesti tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est.

Satira VIII.

Olim truncus eram ficulnus; inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum
Maluit esse deum; deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet
Obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus:
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa vetatque novis considere in hortis.

bis; vide ad Carm. III, 4, 41. — *consuesti*] Indicativum, qui videtur esse necessarius, recepi ex scholiis Acronis et Porphyrionis et uno cod. Bentleii. Alii *consueris*, quod Hauthalius quidem etiam apud Porphyrionem praetulit. — *reges*] ridicule auget rem; nam etiamsi qui audiebant etiam de Tarquinio Superbo sponte sua debebant cogitare, de uno Caesare interfecto dictum est. Bene Porphyrion.: »iocans in nomen Regis Rupilii ait: O Brute, sequere generis tui gloriam et hunc Rupilium Regem exstingue.« — *Regem*] Ambiguitatem quae inest in cognomine Regis nos imitari non possumus. — *operum*] tuum hoc est munus.

Satira VIII.

In Esquiliis extra murum et aggerem Tarquinii magnum olim pauperum hominum sepulcretum fuit: qui locus a Maecenate, ad quem nescimus qua ratione his temporibus turbulentis et incertis pervenerat, in amoenos hortos commutatus magnoque aedificio, quam turrim Maecenatianam vocarunt (Carm. III, 29, 9 sq.), ornatus est. In hoc igitur loco etiam ante quam perfecti omnino essent horti Priapi, fertilitatis dei, statua ficulnea posita erat. Quare quasi deum ipsum hac satira narrantem audimus, quam saevas artes ibi a Canidia cum Sagana socia exerceri viderit, quo terrore ac pudore correptus ipse sit, qua denique iocosa ratione veneficas fugaverit. Proxime igitur hoc carmine tangitur Canidia de qua vide Epod. 5, 43; a quo haec satira ita differt, ut cum in utroque carmine terribiles insanarum mulierum magicae artes tanquam a testibus describantur, illud triste et acerbum, hoc iocosum ac lepidum sit. De tempore huius satirae hoc tantum dici potest, scriptam eam esse ante Epod 17; reliqua quae viri docti excogitarunt, lubrica sunt ac debilia. Etenim quis inveniat, satira utrum scripta sit antequam Horatius a Maecenate acceptus sit an postea? Quamquam altera opinio, qua postea scripta dicitur, mihi quoque magis videtur probabilis esse. Alii ad a. 715, alii ad a. 719 vel 720 retulerunt; fuit etiam qui a. 714 satiram scriptam putaret, nullis tamen praesidiis munitus. Neque illud potest investigari, quo anno Maecenas hortos in Esquiliis fecerit.

V. 1. *inutile lignum*] Lignum ficulneum fragile atque spongiosum; inde Graecis quoque *σύκινος ἀνήρ*, *συκίνη γνώμη*, *συκίνη ἐπικουρία*. In-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca;
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes

utilis iacuit truncus, antequam faber accederet deumque faceret. — *facercine*] vide ad Carm. II, 7, 25. Priap. 9: »Non me Praxiteles Scopasve fecit, Nec sum Phidiaca manu politus; Sed lignum rude vilius dolavit Et dixit mihi: Tu Priapus esto.« Similiter Vertumnus apud Propertium IV, 2, 59: »Stipes acernus eram properante falce dolatus.« — *eiecta cadavera*] Becker. Gall. T. II. p. 293 (ed. 1ma): »Allgemeine Begräbnissplätze für alle Klassen gab es zu keiner Zeit. Wer irgend die Kosten bestreiten konnte, der wählte oder erwarb sich einen Platz ausserhalb der Stadt und zwar an den frequentesten Stellen, namentlich an grossen Landstrassen, wo ein Familienbegräbniss angelegt wurde. Nur für die niedrigste Klasse, für Sclaven und Verurtheilte war der gemeinschaftliche Begräbnissort bis auf August am Esquilinus.« In urbe sepeliri antiqua lex vetuit (Cic. de leg. II, 23): itaque credendum est, sepulcra non in ipso monte Esquilino, qui intra moenia erat, fuisse, sed extra murum et aggerem Tarquinii, ubi campus Esquilinus patuit. Domus autem Maecenatis in ipso aggere exstructa videtur fuisse vel certe intra murum in edito loco, unde prospectus erat in urbem ipsam et in regionem Tiburtinam, Praenestinam et Tusculanam. cf. Carm. III, 29, 11. — *cellis*] miseris servorum cubiculis. — *arca*] Est sandapila, feretrum mortuorum, quo plebeiorum atque damnatorum cadavera portabantur. — *Pantolabo*] »Mallius Pantolabus scurra et Cassius Nomentanus nepos cum omnia bona sua comissando vorassent, ita ut privata sepulcra habere non possent, in Esquiliis publicis sepulti sunt. Mallius autem Pantolabus dictus, quod ab omnibus acciperet postquam sua omnia comedisset.« Comm. Cruq. cf. Sat. I, 1, 102. II, 1, 22. II, 3, 224. Acerbissima igitur contumelia Priapus dicit, nepotes illos constanti profusione ingens sibi hoc sepulcrum parasse inter pauperes et servos; quod cum dis Manibus consecrassent ne ad heredes transiret prohibuisse. Scilicet heredes nihil omnino acceperunt. Illi autem decoctores etiam tum erant inter vivos. Sic intellige locum: in pauperes et servos inepta esset contumelia. — *cippus*] In sepulcris privatis columna posita indicare solebat, quantum spatium dis Manibus consecratum esset; veluti IN. AG. P. XII. IN. FR. P. XXIV. Acron: »Nescio quis donavit agrum suum populo ad sepulcra et posuit fines, ut habeant in latitudine mille pedes trecentosque in longitudine.« De qua re non iniuria videtur dubitatio esse iniecta, nam si per testamentum is locus sepulcris publicis destinatus erat, religione ac legibus prohibebatur, ne in Maecenatis privatam possessionem transiret. Quae si vera est sententia, totus hic locus de cippo ab Horatio facete excogitatus est. — *heredes*] Solita haec formula: H. M. H. N. S. (hoc monumentum heredes non sequitur). — *salubribus*] Quare Octavianus »aeger in domo Maecenatis cubabat.« Suet. Octav. 72. — *aggere*] Est agger Tarquinii Superbi a porta Esquilina usque ad Collinam, unde prospectus patebat in Esquilias. Cic. de Rep. II, 6: »ut unus aditus, qui esset in Esquilinum Quirinalemque montem, *maximo ag-*

Δημόσιο Κεντρικό Βιβλιοθήκη Βέροιας

Albis informem spectabant ossibus agrum;
Cum mihi non tantum furesque feraeque suëtae
Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos: has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo,
Cum Sagana maiore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem;
Cerea suppliciter stabat servilibus, ut quae
Iam peritura, modis. Hecaten vocat altera, saevam

gere obiecto, fossa cingeretur vastissima.« — *quo*] ex quo. Bentleii coniectura *qua* facile caremus. Insequens versus spondeorum gravitate premitur; apposite ad rem. — *Cum*] i. e. quo tempore (während). Doeringius ex coniectura *dum*; Horkelius: *quin*. — *feraeque*] Sunt Esquilinae alites (Epod. 5, 100), alia animalia id genus, quae cadavera sequuntur. — *non tantum quantum*] non tam quam. Sat. II, 5, 80. cf. Sat. II, 3, 313. Virg. Georg. IV, 101. Poetis hoc proprium et iis qui poetas secuti sunt.

V. 21. *Luna*] Epod. 5, 51. cf. etiam ibid. v. 17. — *Vidi egomet*] Hic cum initium habeat ipsa rei narratio, oratio insurgit ad epicam quandam gravitatem. Iam Schol. in comparationem vocarunt Virg. Aen. III, 623. — *nudis*] Compara Medeam apud Ovidium Met. VII, 182. — *Sagana*] Epod. 5, 25. Maior appellatur, vel quia sororem natu minorem habuit, vel quia potentior fuit quam Canidia. cf. v. 41. Non necessaria est coniectura *Nauckii* ad Epod. 5, 25 *maiora*, quod coniungit cum *ululantem*. — *utrasque*] Non necessaria coniectura *utramque*. cf. Virg. Aen. VI, 685. Cic. Ligar. 12, 36. Sal. Cat. 30. Caes. B. G. I, 53. B. C. II, 6. — *cruor*] Hom. Od. XI, 44 sqq. — *Manes*] Frequentissima tum temporis *νεκρομαντεία*. Cic. Tusc. I, 16. Inde apud poetas Manes evocantur, ubicunque grave aliquid et arcanum fit, veluti apud Silium Ital. I, 97 ad Hannibalis sacramentum. cf. Tacit. Ann. II, 28: »Iunius quidam, tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret etc.« Ceterum coniunge *Manes animas*. cf. Carm. 1, 4, 16. — *responsa*] de felici rei exitu. cf. v. 40 sq. — *Lanea*] Duae erant imagines, altera lanea quae Canidiam, altera cerea quae hominem, quem magica vi amore sui implere illa vellet, referebat. Lanea maior est ad indicandam maiorem Canidiae potestatem; et lanea est quia lana invulnerabilis et dura est; altera cerea, ut liquescat igni admota. cf.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Altera Tisiphonen: serpentes atque videres
Infernas errare canes, Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum,
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris et imagine cerea
Largior arserit ignis, et ut non testis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum.
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi

Virg. Bucol. 8, 80. — *atque videres*] Ordo hic est: serpentes atque infernas canes. Hyperbaton vocant grammatici, cuius exempla alia sunt Sat. I, 5, 49. 72. — *Lunamque rubentem*] Devocabant sagae lunam et sidera de coelo. Tam atrox autem et foeda res est quae committitur, ut etiam Luna prae pudore rubeat et lateat post magna sepulcra. *Magna* autem *sepulcra* tumulorum reliquiae sunt; horti enim nondum erant perfecti.

V. 37. *Mentior*] Priapo timore agitato omnia maiora ac terribiliora visa sunt quam vere fuerunt; inde in narratione ridiculae superlationes ut vv. 26. 27. 34. 35. 36. Iam cum mendacia eius satis nota sint, sacramento fidem sibi facere conatur. — *inquiner*] quod ne fieri posset, statuae sub dio positae operculis tectae erant. — *Pediatia*] Pediatius, Romanus, homo mollissimus et effeminatus i. e. *fragilis*; inde in ludibrium Pediatia appellatus. Cf. Cic. de orat. II, 68, 277: »cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior nec esset, dixisset: Quid tu, *Egilia mea*? quando ad me venis cum tua colu et lana? Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere.« Tacit. Ann. VI, 5 de Caligula: »*Gaiam* Caesarem quasi incertae virilitatis.« *Iulius* libertus fortasse C. Iulii Caesaris, mala fama tunc notissimus. — *Voranus*] »Aiunt Voranum Q. Lutatii Catuli libertum fuisse adeo furacem, ut nummos surreptos a nummulario in calceos demiserit.« Comm. Cruq. — *resonarent*] Bentleius reclamantibus codicibus, quo concinnior esset oratio, *resonarint* scribendum censuit. Secuti sunt Haupt Meinek. Linker. Doederlin., non Kirchner. Sed imperfectum temptiteratos Saganae cum umbris sermones exprimit; contra lupi barb semel tantum abdita est. Deind forma *resonavi* insolita est, cui e Sat. I, 4, 44 auctoritas non accedi — *lupi barbam*] Plin. XXVIII, 1 (44): »Veneficiis rostrum lupi res stere inveteratum aiunt ob idqu villarum portis praefigunt.« Ha barba lupi utuntur ad avertenda alius sagae adversarias artes. c Epod. 5, 69. — *abdiderint furtim* Non rara apud poetas in eade sententia adiectivi et adverbii cu mulatio. cf. Sat. I, 1, 41. Tibull. 8, 60: »Et *strepito nullo clam* rese rare fores.« id. II, 1, 80: »*placidu leniter* afflat Amor.« id. II, 6, 45 »*furtimque* tabellas *occulto* portan itque reditque sinu.« — *cerea*] d syllabum; vide ad Carm. III, 4, 4 — *horruerim*] Fea ex uno codic scripsit *obruerim* cum eoque Haup Meinek. Linker. Vulgatam defend Kirchnerus et servavit Doederlinius

Diffissa nate ficus; at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere atque herbas atque incantata lacertis
Vincula cum magno risuque iocoque videres.

Satira IX.

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis;
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: Quid agis, dulcissime rerum?

— *Furiarum*] Cur Furias appellet, colligas ex Epod. 5, 15. 27. — *dentes*] »Iocatur in has, quasi altera dentibus appositis uti solita sit, altera, quod glabra fuerit, caliendrum h. e. galericulum sive crinem suppositum habere consuesset.« Schol. Iam antiquis temporibus utebantur dentibus insitis, ebore factis et filis aureis inter se coniunctis. *Excidere* verbum non magis est aptum dentibus quam caliendro et herbis; dicunt enim latini *excidere equis*, *excidere arce*, similia. Non obstat Epod. 5, 27 (Sagana horret capillis), quin h. l. fa'is crinibus ornatam Saganam videamus. — *vincula*] »amoris, licia ex diversis coloribus, quibus mentes hominum vinciebant.« Comm. Cruq. cf. Virg. Bucol. 8, 73.

Satira IX.

Familiaritas Maecenatis Horatio ut obtrectatorum invidiam, de qua sunt satirae 3. 4. 6, ita importunorum hominum molestam sedulitatem contraxerat, qui fortunae filium, quem Horatium esse putabant, admirantes eodem quo ille pervenisset perventuros se quoque confiderent, dummodo primam difficultatem ad Maecenatem perveniendi superassent. Ex hac igitur turba doctorum, ut aiebant, hominum unum poeta arreptum iocosa ac lepida ratione describit. Quo tendit homo importunus, eo per ambages progreditur ita ut consilium suum versu demum 43 aperiat. Haec quoque satira ex eo genere est, quod indicatur supra Sat. I, 4, 137—139. Quo anno haec scripta sit si quaeras, nihil poterit aliud responderi, nisi adulta iam Maecenatis Horatiique amicitia tale quid scribi potuisse; quare haudquaquam magnopere potuerunt errare qui anno 719 vel 720 hanc satiram attribuerunt. Memorabilis est imitatio Lucilii, quam in primo versu cum Luciliano comparato tantam invenimus ut verbum verbo, caesurae caesura respondeat:

Ibam	forte via	sacra		sic	ut	meus	est mos
Ibat	forte aries	inquit		iam	quod	genus	quantis
Nescio —							
Festibus							

V. 1. *via sacra*] vide ad Epod. 4, 7. 7, 8. — *nugarum*] Catull. 1, 4: »Namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas.« Martial. IX, 1, 5: »Ille ego sum nulli nugarum laude secundus.« Possunt igitur hoc vocabulo carmina significari; necessarium non est. Verba *sicut m. e. mos* ad meditationem referenda sunt, non ad ambulationem. Animadvertenda est levitas ac paene negligentia narrationis; inde asyndeti figura. — *totus*] Epist. I, 1, 11. — *dulcissime rerum*] Sic coniungenda verba. cf. Ovid. Met. VIII, 49. Her. 4, 125. »pulcherrime rerum.« Animadvertendum in hoc sermone est Horatii studium urbana quadam ratione

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia quae vis.
Cum assectaretur: Num quid vis? occupo. At ille:
Noris nos inquit; docti sumus. Hic ego: Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos
Manaret talos. O te, Bolane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam: Misere cupis, inquit, abire:
Iamdudum video; sed nil agis: usque tenebo:
Persequar hinc quo nunc iter est tibi. Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.
Nil habeo quod agam et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,

molestum hominem abigendi. Inde frigidissime respondet, modo hoc modo illud tentat, ostendit luculenter se solum esse velle; omnia tamen irrita sunt, cum urbanitas poetae duram importuni hominis naturam non vincat. — *cupio omnia*] Urbanitatis hac formula respondetur ad officiosi hominis de rerum statu interrogationem. — *Num quid vis*?] Haec valedicentis sunt. Terent. Eun. II, 3, 50: »Rogo num quid velit. Recte, inquit, abeo.« — *Noris nos*] i. e. spero nos tibi iam notos esse; quippe docti sumus, ut tu. Sic recte locum intellexerunt Kirchner. Doederl. — *docti*] vide ad Carm. I, 1, 29. — *Pluris hoc*] iterum urbane, sed quam frigidissime; nam si diutius eum tenere voluisset poeta vel vere eum magni fecisset, ipse opinor de doctrina et facultatibus plura interrogasset. — *puero*] pedisequo; scilicet ut videretur arcanum habere negotium aut consilium. Quod cum videret alter, nisi impudentissimus fuit, abire debuit. — *Bolane*] Qui quis fuerit nescimus; certum est hominem fuisse durissimum et agrestem, cui nihil notum esset urbanitatis. — *quidlibet garriret*] Ex more hominum, qui, ne subito quo velint tendere videantur, per inanes ambages multa quidem faciunt verba, nihil tamen dicunt. Cic. Att. XII, 1: »Garrimus quidquid in buccam venit.«

V. 14. *misere cupis*] Homo dum urbanus vult videri et facetias quaerit, rusticius loquitur. Inde *persequar*, in quo quasi minae sunt, quas ille lepidas habet, praeferendum alteri lectioni codd. *prosequar*, quod innocens est et honorificum. Apud Cruquium duo tantum Blandinii habent *prosequar*, reliqui omnes *persequar*, quod recte etiam Doederlinius defendit; alterum placuit Hauptio, Meinekio, Linkero, Kirchnero — *cubat*] De aegrotantibus saepius ut Sat. II, 3, 289. Epist. II, 2, 68. Ovid. Her. 20, 166: »Haec cubat ille valet.« — *Caesaris hortos*] in Ianiculo sitos; quo a sacra via horae prope integrae iter faciendum erat. — *piger*] cf. Sat. I, 5, 6. — *subiit*] Lachm. ad Lucret. p. 207 docuit perfecta in *iit* exeuntia apud poetas extremam syllabam solere

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:
Omnes composui. Felices! nunc ego resto!
Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;

producere, ut apud Ovid. Met. I, 114. VIII, 870. Praeterea vide ad Carm. I, 3. 36. — *onus*] quartus casus est, ut Epist. I, 7, 33. Carm. III, 4, 8. — *me novi*] cf. Epist. I, 18, 1. Quae verba non dubitationem habent, sed urbanitatem quandam et modestiam, qua nimii sui amoris criminationem ille defendere studet. — *Viscum*] cf. Sat. I, 10, 83, ubi Schol.: »Visci duo fratres fuerunt; pater eorum Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus esset, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset.« De Vario vide ad Carm. I, 6, 1. — *mollius*] Ovid. A. A. I, 595: »Si vox est, canta, si mollia brachia, salta.« Lucret. IV, 577: »Cernere saltantes et mollia membra moventes.« — *Hermogenes*] vide ad Sat. I, 3, 129. — *est opus*] cf. Sat. II, 6, 116. Idem est quod *expedit*; sic etiam Cic. de off. III, 11. — *haud quisquam*] vide ad Sat. I, 6, 99. — *composui*] Ut nostrum vocabulum *beisetzen* de recens mortuis, qui cognatis olim mortuis in sepulcris adduntur. Tacit. Hist. I, 47: »Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia composuere.« Catull. 68, 98: »Nec prope cognatos compositum cineres.« Virg. Aen. I, 249. Haec verba *haud . . . composui* necessario tribuuntur molesto. Quae deinde insequuntur usque ad v. 34 Horatius tacite cogitat magis quam pronuntiat, atque intelligenda sunt ex vv. *omnes composui*. Ex quibus festive satis colligit poeta, ab homine qui omnes suos composuerit sibi quoque mortem instare. Innocenti enim componendi verbo Horatius ipse necandi aliquam notionem cogitatione addit, quasi alter suos quoque importunitate et molestiis ad mortem cruciaverit. — *Confice*] Sumptum verbum a negotiis, ut Cic. Att. XII, 19: »Tu cum Apella Chio confice de columnis,« unde ad eos transfertur qui alios plane interficiunt, ut Plaut. Truc. II, 7, 52: »Iam hercle ego te hic hac offatim conficiam.« Tacit. Ann. I, 6: »Agrippae caedes, quem ignarum inermumque centurio aegre confecit.« — *Sabella*] vide ad Epod. 17, 28. — *divina*] vide ad Carm. III, 27, 10. De urna cf. Carm. II, 3, 26. III, 1, 16. Virg. Aen. VI, 22. Non est offendendum in coniunctis verbis divinā motā urnā, quoniam longae etiam syllabae eliduntur, ut Sat. I, 1, 101. II, 2, 63. 3, 16. Ep. I, 2, 29. I, 7. 24. I, 14, 37. Virg. Aen. II, 182; deinde *divina urna* unam quasi efficiunt notionem. »*Anum divinam* vocare poterat, sed *urnam* maluit; id enim *ποιητικώτερον* est, perinde ac si urna ipsa divinaret, unde sortes legebantur.« Torrent. — *tarda*] cf. Catull. 71, 2: »aut si quem merito tarda podagra secat.« Similes versus sunt, sed alia mente scripti in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces
Si sapiat vitet, simul atque adoleverit aetas.
Ventum erat ad Vestae quarta iam parte diei
Praeterita, et casu tunc respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulum hic ades. Inteream si
Aut valeo stare aut novi civilia iura;
Et propero quo scis. Dubius sum quid faciam, inquit,
Tene relinquam an rem. Me, sodes. Non faciam, ille,
Et praecedere coepit; ego, ut contendere durum est
Cum victore, sequor. Maecenas quomodo tecum?
Hinc repetit: paucorum hominum et mentis bene sanae;
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,

Zenonem Stoicum apud Diogen. Laert. VII, 23, 27: »*Τὸν δ' οὔτ' ἂν χειμὼν κρούσειε οὔτ' ὄμβρος ἀπείρων Οὐ' ῥλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται, οὐ νόσος ἀλγή.*«

V. 35. *Vestae*] Vestae templum situm erat ad Forum inter Capitolium et Palatium; haud procul aberat Libonis puteal, ubi iudicia exercebantur. — *quarta parte*] tertia hora. Vide ad Sat. I, 5, 23. Martial. IV, 8: »Prima salutantes atque altera conterit hora, Exercet raucos tertia causidicos, In quintam varios extendit Roma labores, Sexta quies lassis.« — *respondere*] ad iudicium adesse, ut Varr. ap. Gell. XI, 1, 4: »M. Terentius quando citatus neque respondet neque excusatus est, ego ei unam ovem mulctam dico.« — *vadato*] ei, qui eum vadatus erat. Cf. Liv. III, 13: »tot vadibus accusator vadatus est reum.« Cic. Quint. 19: »Debere tibi dicis Quintium, procurator negat: *vadari* vis, promittit: in ius vocat, sequitur: iudicium postulas, non recusat.« Alii, cum verbum *respondere* in hac formula absolute poni soleat, *vadato* pro ablativo absoluto habebant, ut esset *postquam vadatum est*, ut Sat. I, 1, 94 *parto*; Bentleius ex coniecturā *vadatus*: »quippe *vador*, inquit, verbum commune est et nunc active nunc passive accipitur.« — *perdere litem*] »Contumacia eorum qui ius dicenti non obtemperant litis damno coërcetur. Contumax est qui tribus edictis propositis vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus praesentiam sui facere contemnit.« Digest. LII, 1, 53. *Lis* autem h. l. est summa vadimonii, quae rem, de qua litigabant, aequiparabat. — *me amas*] Solita petendi formula, in qua h. l. *me* vocabulum ante vocalem correptum non colliquescit; cf. Virg. Aen. VI, 507. Bucol. 2, 65. 8, 108. Ovid. Met. III, 501. — *ades*] Summa est arrogantia hominis molesti, quod Horatium petit ut in iudicio advocatus sibi adsit. cf. Cic. de off. I, 10. Advocatos noli confundere cum patronis. — *stare*] in iudicio; idem est quod adesse et astare. — *Maecenas*] Haec verba usque ad *omnes* v. 48 omnia importuno homini tradenda sunt. Cuius quidem hominis natura egregie hic proditur. Ad id quod ipse interrogavit quid responsurus sit Horatius non exspectat, sed continuata statim oratione Maecenatem laude, qua eum extollit Horatium spe, quam ei excitare studet, simul offendit. Utrumque enim se meliorem non ducit. — *paucorum hominum*] i. e. paucis quidem

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hunc hominem velles si tradere: dispeream ni
Summosses omnes. Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mi officit, inquam,
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
Cuique suus. Magnum narras, vix credibile! Atqui
Sic habet. Accendis quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo: quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram;
Occurram in triviis; deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum

et egregiis familiaribus utitur. Sic Terent. Eun. III, 1, 19: »Immo sic homo est *perpaucorum hominum*. Gn. Immo *nullorum*, arbitror, si tecum vivit.« — *dexterius*] quam Maecenas. Alii *Nemo* ad Horatium retulerunt; non bene, arbitror. Nam ne obscurius dictum videretur, pronomen *te* addi debebat. — *ferre secundas*] sc. partes; ab histrionibus hoc sumptum, inter quos δευτεραγωνιστὴς πρωταγωνιστὴν quam maxime adiuvat. — *hunc hominem*] δεικτικῶς ad se ipsum. — *summosses*] ut Carm. II, 16, 10. II, 10, 17. Sumptum vocabulum ab hominibus in via festinantibus aut iter per hominum catervas sibi facientibus. De syncope vide ad Sat. I, 5, 79. Plusquamperfecto tempore, cum ipsa commendatio ut iam facta ponatur, nihil certius esse indicatur quam Horatii de rivalibus, quos ille somniat, victoriam. — *vivimus*] Sic in omnibus prope codd., apud Priscian. et Schol. Cruq.; neque necessarium est, ut cum Bentleio, Hauptio, Meinekio, Doederlin., aliis ex paucis codd. praeferatur *vivitur*. Etiam Kirchner. Ritter. Krueger codd. auctoritatem secuti sunt. — *rere*] Sat. II, 3, 134. Verbum poetis usitatius est quam prosae orationis scriptoribus, quamquam Cicero etiam et Livius eo utuntur, non Caesar. Quintilianus VIII, 3, 26 horridum appellat. — *inquam*] Sic cum antiquissimis codd., etiam Blandiniis Cruq., Bentleius et Hauptius, quos secutus sum. Alii *unquam*. — *uni cuique*] vide ad Sat. I, 2, 62.

V. 52. *Magnum*] Importuni hominis sunt, qui tamen quominus consilium suum exsequi studeat non deterretur. Itaque cum Horatius rem ita sese habere confirmaverit, maiore etiam studio inflammari se ait. Artes tamen quibus aditum ad Maecenatem sibi se paraturum sperat, vilem hominis animum iterum testantur. — *haud mihi deero*] cf. Sat. I, 4, 134. II, 1, 17. II, 2, 98. — *deducam*] Cic. ad Fam. X, 12, 2: »Cum magna multitudo optimorum virorum et civium me de domo deduceret;« cum quo loco cf. Cic. pro Mur. 34. — *labore*] cf. Eurip. Androm. 14: »εὐκλειαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων.« Achill. fr. 8: »ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐδοξίαν.« Hesiod. O. et D. 287: »τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.« Epicharm. fr. apud Xenoph. Mem. II, 1, 20: »τῶν πόνων Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.« — *Fuscus Aristius*] vide ad Carm. I, 22. — *pulchre*] Ex ser-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui pulchre nosset. Consistimus. Unde venis? et
Quo tendis? rogat et respondet. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. Memini bene; sed meliore
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin tu
Curtis Iudaeis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Religio est. At mi, sum paulo infirmior, unus
Multorum; ignosces; alias loquar. Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius et: Quo tu turpissime? magna
Inclamat voce, et: Licet antestari? Ego vero

mone familiari et quotidiano, ut Cic. ad Fam. X, 23: »Lepidum pulchre noram;« et inest quaedam ironia, ut Plaut. Mil. II, 4, 50: »Si ad herum haec res pervenit, peristi pulchre.« — *prensare*] Sic meliores libri MSS., in aliis *pressare*. *Vellere* ad togam referendum, non ad brachia. Ovid. A. A. I, 606: »Velle latus digitis et pede tange pedem.« — *lentissima*] quasi nihil sentiant. cf. Carm. IV, 13, 6. Tac. Ann. I, 65: »lentae adversus imperia aures.« Tibull. IV, 11, 6: »Nostra potes lento pectore ferre mala?« Aliter Epod. 15, 6. — *Male salsus*] intempestive, ut Carm. IV, 6, 14, Sat. II, 1, 20. — *iecur*] vide ad Carm. I, 13, 4. — *tricesima sabbata*] Ad interpretandum hunc locum quaecunque excogitari potuerunt ab interpretibus tentata sunt. Inde alii in paschatis festum inciderunt, alii in scenopegia, alii denique in neomeniam. Et nisi forte Aristius certus satis, a nemine se facile refelli posse, primum quemque numerum sabbatorum, non certum festi alicuius diem nominavit, veri videtur simillimum neomeniae festum indicari, ut *tricesima sabbata* sint sabbata tricesimo die habita. In comparationem vocari potest locus Ovid. A. A. I, 76: »Cultaque Iudaeo septima sacra Syro,« ubi septima sacra haud dubie sunt quae septimo die habentur. — *curtis*] circumcisis. Iudaei creduli et religiosi et anxii in observandis praeceptis sacris Romanis saepe sunt ludibrio. cf. Sat. I, 5, 100. I, 4, 143. De cultu Iudaico Romae cf. Iuven. 14, 96 sqq.: »Quidam sortiti metuentem sabbata patrem Nil praeter nubes et coeli numen adorant, Nec distare putant humana carne suillam, Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt, Romanas autem soliti contemnere leges, Iudaicum ediscunt et servant et metuunt ius, Tradidit arcano quodcunque volumine Moses, Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti, Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.« — *vin*] ex usu quotidiano et comicorum; factum ex *visne*. — *infirmior*] »Quid mirum igitur, si in auspiciis et in omni divinatione *imbecilli animi* superstitiosa ista concipiant, verum dispicere non possint.« Cic. de divin. II, 39. — *huncine solem*] Haec quoque et omnia usque ad *linquit* Horatii sunt non narrantis sed exclamantis, cum ab Aristio desereretur. — *adversarius*] Necessario idem est qui hunc ho-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrimque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

Satira X.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus, hoc lenius ille
Est quo vir melior, longe subtilior illo,
Qui multum puer et loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset opem qui ferre poëtis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc:

minem vadatus erat, non alius. Videtur enim adversario ea aetate licuisse contumacem reum, quo citius res dirimeretur, obtorto collo in ius rapere. — *antestari*] Acron: »si quis vadato non paruisset, ei adversarius aliquem de praesentibus antestabatur i. e. tangebat eius aurem et dicebat: *Licetne antestari*? Si respondisset ille: *Licet*, tunc iniiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in iudicium; aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari.« — *auriculam*] Vellere aurem admonentis est. Virg. Buc. 6, 4: Plin. H. N. XI, 103: »Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur.« — *Apollo*] in cuius tutela sunt poetae.

Satira X.

Ad confirmandum quod quarta huius libri satira factum erat iudicium de Lucilio Horatius praeter risus movendi artem alia quoque requiri docet quibus bona efficiatur satira, nimirum magnam curam collocandam esse in ipso scribendi ac describendi genere, ne vitiosa verborum ubertate oratio et languescat ipsa et audientes taedio obruat neve neglecta rerum locorumque diversa natura urbani sales severaeque doctrinae male confundantur (v. 1—19). Aliud quoque vitium Lucilii in ea re cerni, quae ab ineptis talium rerum iudicibus hominibusque recto pulchri sensu destitutis laudi ei tribuantur; solere eum latinis versibus graeca admiscere, qua ratione nihil esse aut invenustius aut facilius aut periculosius. Quare se graeca poemata, quae olim adolescentulus fecisset, omnia ad perpetuam oblivionem damnasse genusque aliud occupasse, cui vires suas sufficere sensisset. Id genus satiricum esse; in quo si operam collocaret, nolle se de Lucilii veris laudibus quidquam detrahere (v. 50). Iniquos igitur esse qui ipsum, quod ea quae vituperanda essent in Lucilio vituperasset, reprehenderent; ne summos quidem poetas aequo ac vero iudicio sese debere subtrahere iustumque esse in Lucilio quoque quae pravorum versuum duraeque formae fuisset causa quaerere (v. 64). Immo vero non esse dubium, quin ipse Lucilius, si tunc etiam viveret, multa corrigeret, multa politius limaret, redundantia detraheret. Non debere poetam offendi limae labore et mora (cf. A. P. 290 sq.), lima poematis diuturnitatem parari et verorum iudicum assensum et approbationem. Atque eos qui recte possent iudicare solos esse respiciendos, reliquos iure negligendos. Sic sese sibi persuasisse; quapropter nihil se malevolorum et imperitorum hominum iudicio moveri satis contentum ac beatum approbatione bonorum poetarum prudentiumque artium ac litterarum existimatorum. — Hac igitur satira,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili: quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberi mimos ut pulchra poëmata mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;
Est brevitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,

quam quasi quandam custodem et comitem toti libro edendo addidit, liberali ac plena ratione se comparavit cum Lucilio, quem tanquam inique iudicatum et longe se maiorem ab invido quodam genere hominum sibi opponi saepe audiebat. Quo intervallo haec satira post quartam scripta sit, non poterit inveniri; suspicantur viri docti compositam eam esse anno vel 718 vel 719, nec fortasse iniuria; nam quibus annus 723 magis placuit, iis non assentior. — Octo versus in fronte carminis inclinatis litteris expressi merito ab Horatio abiudicati sunt. A communi tamen omnium prope interpretum auctoritate discessit nuper Doederlinius, qui eos versus quamquam in plurima parte antiquorum codicum non reperiuntur neque scholiastis noti fuisse videntur tamen Horatio restitui posse putavit. Kirchnerus suspicatus est versus esse Furii Bibaculi, de quo vide ad v. 36. *Cato*, qui primo versu memoratur, videtur esse Valerius Cato, poeta simul et grammaticus, amicus et aequalis Catulli.

V. 1. *nempe*] »Concedentis, quasi diceret: fateor me dixisse.« Comm. Cruq. Imitatus Horatium Persius est Sat. 3, 1: »Nempe hoc assidue;« uterque poeta lectorem rapit in medias res. — *dixi*] Sat. I, 4, 7. 8. — *incomposito*] rudi. Virg. Georg. I, 350. Quintil. X, 1, 66: »rudis in plerisque et incompositus.« — *sale multo*] Catull. 86, 4: »nulla venustas, Nulla in tam magno est corpore mica salis.« Cic. Brut. 34: »P. Scipio omnes sale facetiisque superabat.« id. Tusc. V, 19, 55. cf. Hor. Epist. II, 2, 60. De Lucilio haec leguntur apud Quintilianum X, 1, 94: »Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui *Lucilium fluere lutulentum* et *esse aliquid quod tollere possis* putat (Sat. I, 4, 11). Nam et eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius et ad notandos hominum mores praecipuus.« — *charta*] Sat. I, 4, 7. cf. Sat. I, 5, 104. Carm. IV, 9, 31. Epist. II, 1, 35. 161. 270. A. P. 310. — *dederim*] verbum hoc in disputationibus frequentissimum, ut Cic. Tusc. I, 11, 25. Hor. Epist. II, 1, 125. — *Laberi*] Macrob. Sat. II, 7: »D. Laberium, asperae libertatis equitem Romanum, Caesar quingentis milibus invitavit, ut prodiret in scenam et ipse ageret mimos quos scriptitabat.« Et Cic. ad Fam. XII, 18: »Equidem sic iam obdurui (a. u. c. 709), ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo audirem Laberii et Publii (Syri) poemata.« Obiit Laberius Ol. CLXXXIV, 2 sive a. 711 (Varr.) ineunte. — *rictum diducere*] nam ridentes *labra diducunt*, ut dicit Quintil. XI, 3, 81, unde rictus efficitur. — *currat*] Cave ne quid nimii motus in hoc verbo invenias. Comparatur oratio rivo facili motu aquarum fluenti; ut apud Cicero-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi scripta quibus comoedia prisca viris est
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit. O seri studiorum; quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti

nem Fin. V, 28, 84: »Proclivi currit oratio, venit ad extremum, haeret in salebra.« — *rhetoris atque poetae*] Utrique enim dignitas gravitasque orationis propria; contra quam ponitur urbani hominis levitas; de quo Quintil. VI, 3, 105: »Urbanus homo erit cuius multa bene dicta responsaque erunt, et qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicit. *Risus erunt, quicunque haec faciet orator.*« — *secat*] cf. Epist. I, 16, 42; de qua re memor sis velim eius rei quam narrat lepide Horatius Sat. I, 7. — *quibus viris*] Sat. I, 4, 1. De verborum constructione vide ad Epod. 2, 37. — *stabant*] Sollemne hoc verbum de fabulis quae populo placebant; ut Epist. II, 1, 176. Terent. Phorm. prol. 9: »Quodsi intelligeret, cum stet olim nova (fabula), Actoris opera magis stetisse quam sua cet.« Translatum etiam ad oratores; Cic. orat. 28: »Magnus orator, si semel *constiterit*, nunquam *cadet*.« Pronomen autem *hoc* omnem in re describenda et exornanda curam (v. 9—16) comprehendit. — *Hermogenes*] Sat. I, 4, 72. I, 9, 25. I, 3, 129, ubi vide. Cum Hermogene qui coniungitur *simius iste*, Marcus quidam Demetrius poeta esse dicitur, ob deformitatem brevemque staturam simius appellatus; »in quo nomine, inquit Weichertus lat. poet. reliq. p. 289, convicium inesse manifestum fit ex oppos. *pulcher Hermogenes*, quod et ipsum *εἰρωνικῶς* accipi debet. Sicut enim Hermogenes ob affectatam formae habitusque elegantiam *pulcher* i. e. der Stutzer vocatur, ita Demetrius, quia deformis esset brevisque staturae, *simius*, das Affengesicht, audit.« — *Calvum*] C. Licinius Calvus, orator et poeta, Catulli amicus, praematura morte circiter a. u. c. 706 exstinctus est. C. Valerius *Catullus*, natus in Sirmione peninsula lacus Benaci a. 668, non videtur ante a. 707 mortuus esse. Horum igitur nugas isti homines cantabant (cf. v. 91), Graeca et maiora et digniora negligebant. Cantare autem cum contemptu dictum est de vocis modulatore et mimarum doctore. Noli tamen credere, etiam Catullum et Calvum h. l. oblique vituperari. — *Graeca Latinis*] cf. Cic. de off. I, 31. Tuscul. I, 8.

V. 21. *seri studiorum*] Quam suam *ὀψιμαθίαν* et ignorantiam ipso illo probabant iudicio; et »*ὀψιμαθεῖς* homines scis quam insolentes sint.« Cic. ad Fam. IX, 20. De re lege Cicer. de off. I, 31. — *quine*] Ne part. relativo pronomini adiuncta interrogationi vehementiam aliquam addit; Plaut. Mil. I, 1, 66: »Quaene ambae obsecraverint? — *Pitholeonti*] Weichert. l. l. p. 333 annot.: »Pitholeon Rhodius videtur esse Pitholaus ille, qui C. Iulii Caesaris existimationem maledicentissimis carminibus laceravit, auctore Sueton. c. 75. Is, cum nomen Pitholaus,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Contigit? At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis.
Atque ego cum Graecos facerem natus mare citra
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
In silvam non ligna feras insanius ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque

Πειθόλαος, in hexametrum versum non veniret, Horatio dictus est Pitholeon, *Πειθόλεως*, *Πειθολέων*, ut *Τιμόλαος*, *Τιμολέων* et id genus alia.« — *Chio*] Chia vina dulcia erant, Falerna austera. De *nota* vide ad Carm. II, 3, 8. — *causa Petilli*] vide ad Sat. I, 4, 94. Non magis igitur Graeca admiscenda sunt in poematis quam si quis in iudicio idem vellet conari. In patrio sermone vera vis inest; quare orator ut populum iudicesve moveat peregrino non utitur. — *Latini*] Aeneae socer, auctor nominis Latini. Sic scripsi cum plurima parte codicum, relicta altera lectione *Latine*; sed servavi etiam omnium codicum scripturam *oblitus*, quamquam Haupt., Meinek., Linker., Ritter. coniecturam Bentleii *oblitos* (sc. Pedium et Corvinum) praetulerunt. Sententiam Gesnerus bene sic explicavit: »Malisne tu, defensor Lucilii, oblitus Romanae maiestatis, oratores summos patriis verbis immiscere verba foris, ab externis petita.« Ad infinitivum *intermiscere* facile additur *eos* i. e. Pedium et Corvinum. Etiam Kirchm. et Krueger codices secuti sunt. — *Pedius*] Pedius Poplicola et M. Valerius Poplicola Messalla Corvinus. Q. Pedius, filius ex sorore C. Iulii Caesaris, uxorem habuit Valeriam atque e filio Quinto nepotem natura mutum. Itaque adoptavit filium alterum Messallae maioris, qui inde Pedius dictus est. Corvinus igitur Pedii frater fuit, uterque Poplicola. — *bilinguis*] Cannsii, Apuliae oppido, et Graeco et Osco sermone utebantur. — *atque ego*] Sic scribendum esse, non *atqui*, docuit Lachm. ad Lucret. p. 168: »*atqui* ante vocales posuerunt Plautus ac Terentius, non Horatius in Serm. I, 10, 31.« *Atque* h. l. idem est quod *atque sane*. Addit poeta suum exemplum reliquis simile. — *somnia vera*] cf. Plat. Criton. p. 44. A. Hom. Od. IV, 841. — *Alpinus*] Significatur hoc lepido nomine M. Furius Bibaculus Cremonensis, natus a. u. c. 651, qui cum in Aethiopide descripsisset, quomodo Memnon, Tithoni et Aurorae filius, a Priamo in auxilium vocatus, ab Achille interfectus esset, ab Horatio facete dicitur ipse iugulasse Memnonem; quippe mala caedis descriptio altera quasi quaedam iugulatio est. Praeterea Furius scripserat *πραγματείαν* belli Gallici a Caesare gesti, quam exorsus erat hoc versu: »Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes;« propter quem versum ab Horatio Sat. II, 5, 41 *παρῳδίᾳ* repetitum h. l. *Alpinus* iocose appellatur. Et probabile est, in eadem narratione belli Gallici fontem Rheni fluvii *Rheni*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos
Unus virorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer
Ut nemo Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim

luteum caput appellatum ac tumidis imaginibus descriptum esse; id quod eo facilius fieri potuit quo minus tum Romanis notus erat Rheni fons, nisi forte recte viderunt, qui *caput* non fontem sed ostium Rheni significare putarunt, ut apud Caes. b. g. IV, 10. Scilicet ostium arenosum est et potuit appellari *luteum*, fons Rheni non potest. cf. A. P. 18. — *defingit*] Rarissimum hoc vocabulum, quod haud dubie reprehensionem h. l. continet ut simile verbum *deformare*. — *aede*] Musarum. — *Tarpa*] A. P. 387. Sp. Maecio Tarpae cum aliis quattuor iudicibus cura tradita erat fabularum aut mimorum diiudicandorum; a quibus quae non essent probata, in scenam non deferebantur.

V. 40. *Davoque Chremeta*] Personae ex Andria Terentiana; Davus servi nomen est. Scripsit igitur Fundanius comoedias. cf. Sat. II, 8, 19. — *comis garrire*] comis est lepidus, ut Sat. II, 8, 76; et nominativus est, non vocativus neque accus. plur. — *Pollio*] cf. Carm. II, 1, 9. Praeterea animadverte aptam verborum varietatem: garrire comoediam, canere tragoediam, ducere epica carmina. cf. Epist. II, 1, 225. — *facta*] nefanda, dira facta heroum, quae in tragoediis quoque describuntur. Attamen *Horkelius*, ne quae epicorum essent tragicis tribuerentur, coniecit *fata* esse scribendum; blande quidem, sed, ut videtur, nimis acute. — *pede ter percusso*] »Tragoedia trimetris versibus fere texitur.« Comm. Cruq. In singulis dipodiis pede percusso numerus a tibicine indicabatur, ita ut percussio idem sit quod *ictus*, *χρούσις*. — *facetum*] Quintil. VI, 3, 19: »Facetum quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius, facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis et excultae cuiusdam elegantiae appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero haec Bruti refert verba: »»Nae illi sunt pedes faceti ac deliciis ingredienti (v. ingrediendi) molles.«« Quod convenit cum illo Horatiano *molle atque facetum Virgilio.*« — *annuerunt*] De correpta syllaba cf. Epod. 9, 17. Epist. I, 4, 7. — *Varrone Atacino*] P. Terentius Varro, ab Atace (nunc *Aude*) Narbonensis Galliae fl. Atacinus dictus, a. u. c. 672—717, ad exemplum Apollonii Argonautica, deinde satiras, elegias, Cosmographiam, carmen de Caesaris bello Aquitanico scripsit. De eo Quintil. X, 1, 87: »Atacinus Varro in iis per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.« — *quibusdam aliis*] Incertum est quos indicaverit; scimus tamen Saevium aliquem Nicanorem, T. Quintium Attam (Epist. II, 1, 79), alios satiras scripsisse. — *inventore minor*] Lucilium inventorem satirici

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus; Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,

generis dici docent ea quae addantur. cf. Sat. II, 1, 62 sq. 74 sq. — *tollenda*] recidenda. cf. Sat. I, 4, 11. — *doctus*] ironice positum. — *comis*] Lucilius; cfr. v. 65. — *Atti*] L. Attius natus a. u. c. 584, tragoediarum nobilissimus scriptor. Epist. II, 1, 56. De Ennio vide ad Carm. IV, 8, 20. — *gravitate minores*] *Enni* ἀπὸ κοινοῦ positum; ridet enim versus Ennii, qui minores i. e. debiliores sunt quam Ennii gravitas videtur postulare. — *maiore reprensis*] Lucilius etsi in Attio et Ennio quae sibi non placerent reprehendebat, tamen se reprehensis maiorem non gloriabatur. Idem igitur de se quoque iudicandum ait Horatius. — *num illius*] Hoc quaeritur, utrum carminis an Lucilii natura factum sit ut versiculos tam duros parumque politos fecerit. Inter se opponuntur duae particulae *num*; neque in iis quidquam inest negationis, utpote in obliqua interrogatione. Deinde ne simpliciter diceret *versiculos euntes mollius quam suos*, hanc partem *quam suos* simili ratione dilatavit ac descripsit qua Sat. I, 4, 9. Iam nihil offendes in hoc loco, cum verba *hoc tantum*, quippe quae proxime praecedentem sententiam repetant, quodammodo abundare et infin. *claudere* ab adi. *contentus* suspensum esse intellexeris. Simul vero vides, quanta his additis accedat vis verbis *pedibus quid claudere senis*; nam hoc quidem minimum est quod curare debeat poeta. — *ac si*] i. e. quam si. cf. Sat. I, 2, 21.

V. 61. *Etrusci Cassi*] Diversus hic a Cassio Parmensi. Epist. I, 4, 3. Hic igitur Etruscus permulta scripsit, ita ut festinatione prope ardesceret. Iam cum nescio quo casu magna eius librorum et chartarum multitudo flammis corriperetur, ut ipse undique libris et igne circumventus vitam aegre servaret, malevoli quidam derisores ipsum suo fervore libros incendisse urbane affirmabant. Si pauciores eius fuissent libri, nihil inde factum esset periculi. Eam puto esse *famam* de Cassio divulgatam, qua certam aliquam rem significari apertum est. Illud autem quod Scholiastae tradunt, Cassio mortuo decrevisse senatum, ut libri cum cadavere comburerentur, ridiculum est ipsorum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poëtarum seniorum turba; sed ille
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe stilum vertas iterum quae digna legi sint
Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax
Contemptis aliis explosa Arbuscula dixit.
Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque.

ex hoc loco commentum. *Amburitur* qui flammis undique cinctus uritur; neque est necessarium eum igne simul perire, cf. Cic. Mil. 5, 12 ac saepius amburi dicuntur qui fulmine tacti non necantur. — *Graecis intacti carminis auctor*] Concedam, inquit Horatius, libenter Lucilium limatiorem fuisse quam in homine, qui genus aliquod poeticum rude adhuc et a Graecis intactum primus tentare audeat, exspectari possit. Alii, qui non tolerarent, auctorem carminis graecis intacti iterum eundem Lucilium intelligi, maluerunt videre vel Ennium quasi primum satirarum auctorem vel ipsum illum, Horatio nobisque ignotum antiquum hominem, qui primus satiras scribere ausus sit. Qui Ennium vident, iis Ennius *totius* generis satirici auctor est, Lucilius autem *recentioris* satirae inventor (v. 48). — *poetarum seniorum*] Livii Andronici, Cn. Naevii, Pacuvii, Attii, Ennii, aliorum. — *dilatus*] si vita eius in nostram aetatem incidisset. — *traheretur*] Quae iustum modum superant, aegra et molesta trahuntur. — *vivos ungues*] usque ad vivam carnem; prostans pars unguium vita caret, inde ipsi vivi dicuntur. — *stilum vertas*] Superiore i. e. lata stili parte oblitterari solebant male exarata. De correpta syllaba saepĕ ante *st* cf. ad Sat. I, 2, 30.

V. 74. *paucis lectoribus*] sed quibus rectum sit iudicium. — *ludis*] cf. Epist. I, 20, 17. — *Arbuscula*] Mima fuit eximia; quae cum aliquando a multitudine exsibilata, a paucis equitibus laudata esset, horum se prudentium laudem imperitae multitudinis vituperationi longe praeferre dixit. Cic. ad Att. IV, 15, 6: »Quaeris nunc de *Arbuscula*; valde placuit.« — *Pantilius*] Nomen est mali poetae, qui cum clam adversarios pungeret, *cimex* acerbe dicitur. — *Demetrius*] idem qui supra v. 18 simius audit. — *Fannius*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo; quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, doliturus si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

Fannius Quadratus. Sat. I, 4, 21. — *Plotius*] vide ad Sat. I, 5, 40. De Valgio ad Carm. II, 9, de Aristio ad Carm. I, 22, de Viscis ad Sat. I, 9, 22. Octavius poeta fuit et historicus. — *cum fratre*] Pedius Poplicola; vide supra ad v. 28. — *ambitione relegata*] cf. Sat. I, 6, 52. — *Bibule*] Sic recte, ut nunc video, emendavit Muretus, nam in codd. legitur *Bibuli*; pluralis non bene coniungitur cum vocativo singularis numeri, nam *Servi* non potest esse pluralis. Intelligitur L. Calpurnius Bibulus, qui a. u. c. 709 Athenas se contulit ibique fortasse cum Horatio familiaritatem contraxit; deinde Brutum in castra secutus est. *Servius* fortasse fuit filius Servii Sulpicii Rufi, Icti, a. u. c. 703 consulis. — *Furni*] »C. Furnius historiarum fide et elegantia claruit.« Comm. Cruq. — *plorare*] flebili ac molli voce cantare; vide supra ad v. 19. De his Acro: »Hi modulatores fuerunt et docuerunt puellas ingenuas modos, quia hoc tempore maximum earum studium fuit affectandi lyricam disciplinam.« Ambigue dictum est; nam Graeci, cum mala imprecarentur, dicebant *χλάειν, οἰμώζειν κελεύω σε*. cf. Sat. II, 1, 46. 5, 69. — *cathedras*] feminarum sedilia, molliora et delicatiora. — *haec subscribe*] Finis sic imponitur toti libro: *haec* enim non ad extrema solum de Demetrio ac Tigellio dicta referenda sunt sed ad totam hanc satiram. Solebant autem Romani non ipsi scribere sed pueris dictare.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
SATIRARUM
LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera quidquid

Satira I.

Ultima haec omnium satirarum alteri libro quasi prologus addita liberrimam habet et perfectam totius generis defensionem. Nam cum inter eos qui editis satiris laesos se sentirent haud dubie multi eo irae progrederentur, ut malignum quem putarent poetam iniuriarum posse accusari arbitrarentur, Horatius nunc simulat se C. Trebatium Testam, iuris peritissimum de ea re consulere; qui olim Ciceronis amicus a. u. c. 707 tribunus plebis, si tunc etiam vixit, sexagenarius fere fuit. Hunc igitur quid in tanta adversariorum malorumque hominum ira faciendum sibi praescribat rogat, ostendens simul neque malitia aut invidia ductum ad satiras scribendas se pervenisse neque ipsas satiras ita esse comparatas, ut innocentes adorirentur, immo vero et ipsum pacis esse amantissimum (v. 43 sq.) et satiras natura placidas illatas solum iniurias defendere (v. 39); neque ab animo se posse impetrare, quin quae viderit iniqua et iniusta et improba ea summisse ferat aut scribendi studium quo agatur ad aliam rem suis facultatibus altiorem convertat (v. 6—17), quoniam hoc genus a natura sibi quasi arma datum sit, quibus ita utatur ut lupus dente et cornu taurus (v. 47 sqq.). Neque ait se timere ne magni homines et in civitate potentes ideo sibi magis succenseant quam Lucilio idem olim facienti Laelius aut Scipio (v. 60 sqq.). Quae cum refellere non possit Trebatius, monet tamen ne propter mala carmina actio iniuriarum ipsi aliquando intentetur, cum fortasse quid leges de iis praeseripserint nesciat. Iam ne leges quidem timendas sibi esse ait poeta, quoniam quae ipse Caesar Octavianus probaverit carmina ea non mala sed bona oporteat habeantur. Consentiente demum Trebatio splendidam quasi de inimicis victoriam reportasse videtur poeta; quid enim rectius, quid innocentius esse potest quam illud, quod Octavianus, potentissimus inter omnes et iustissimus — quam laudem v. 16 Octaviano non inconsulto tributam vides — et Trebatius legum iurisque peritissimus pari approbatione laudaverunt? — Haec igitur ultima poetae defensio est et absoluta; de qua, ne mirum credas satiris frequentem satirarum excusationem addi, considerandum est ipsum hoc genus defendendi satiricum iniectis plurimis malorum hominum castigationibus eximiaque urbanitate lepide esse ornatum; deinde Horatium imitatum esse Lucilii exemplum, cuius tota vita in satiris aperte fuit proposita (v. 33). Veri simile est scriptam esse hanc satiram a. u. c. 724, qui quidem annus optime convenire videtur cum paucis temporum quae hic latent indiciis (v. 11 et 13—15); ut totus liber intra annos 719—724 confectus videatur. Quamquam non defuerunt qui spatium aliquod longius inter primum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Composui pars esse putat similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam praescribe. Quiescas. Ne faciam, inquis,
Omnino versus? Aio. Peream male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire. Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos

librum et secundum intercessisse probabilius putarent, causam invenientes in ipso quod inter utriusque libri satiras interest discrimine. Nam praeterquam quod alterius libri satirae »numeris, elocutione ac compositione et perfectiores sunt quam priores et dramatica forma novo veluti artificio novam induunt et singularem indolem« (Frank. fast. Hor. p. 71), iuvenilis etiam fervor ac vehementia sententiarum, gravis in accusandis carpendisque vitiis acerbitas, liberrima singulorum hominum castigatio molli ac placido deducendi sermonis vigori, considerato consilio ac lenitati reprehensionis, comi in vellicandis hominum ac vitae perversitatibus urbanitati ubique cessit. Hae tamen virtutes cum in posterioribus satiris maiores, in iis qui primo libro propiores sunt, ut in Sat. 2, minores inveniantur, quid prohibet quominus in homine tricesimum aetatis annum egresso paulatim eas provenisse, in perfectissimo epistolarum genere maxime excultas credamus?

V. 1. *ultra legem*] ultra modum et iustum satirarum finem, cf. A. P. 135; sed legem dixit, cum iuris consultum alloqueretur. Deinde *tendere* sumptum ab arcu; quo etiam quod contrarium hic ponitur *sine nervis* referendum. Qui enervem putabant Horatianam satiram, iis lepida urbanitas minus placuit quam durae salsaeque Lucilii facetiae. cf. Sat. I, 4, 41. 10, 13. — *deduci*] a nendo sumptum, ut Sat. I, 10, 44. Epist. II, 1, 225. Ovid. ex Pont. I, 5, 13: »luctor deducere versum.« — *optimum erat*] ut graecum ἄριστον ἦν; cf. v. 16 *poteras*. Nunquam, inquit, scribere debebam, sed sero consilium datur. — *dormire*] ambigue dictum; cf. Ep. II, 2, 54. Quae respondet Trebatius, sumpta sunt ex eius natura et moribus, nam Cicero de eo sic ad Fam. VII, 10, 2: »qui neque in oceano natare volueris studiosissimus homo natandi,« et VII, 22: »illuseras heri inter scyphos etc.« — *ter*] coniunge cum *transnanto*. Numerum autem ternarium medici amabant, qui in eo nescio quid magicae potestatis inveniebant. cf. Epist. I, 1, 37. Carm. I, 28, 36. III, 22, 3. Iuven. 6, 523: »ter matutino Tiberi mergetur.« Liv. XXII, 10. — *praemia*] approbationem Caesaris et laudem aequalium. — *pater*] reverentiae nomen, quo iuniores alloquebantur seniores. cf. v. 60. Ceterum haec Horatii excusatio frequentissima; veluti Carm. II, 12. IV, 2. I, 6. — *fracta cuspide*] »qua vulneratus erat hostis. Ex historia de Mario hoc sumptum est; nam Marius adversus Santones talia tela commentus est, ut fracta mitterentur, ne remitti ab hostibus possent.« Porphyr. De Mario autem h. l. cogitare alienum est; probabilius de mataris et gaesis Gallorum (Caes. b. g. I, 26. III, 4), qui victi indicantur fractis telis ita, ut Par-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aut labentis equo describit vulnera Parthi.
Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.
Quanto rectius hoc quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,
Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.
Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque si male cesserat usquam
Decurrens alio, neque si bene; quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella

thi equis deiecti. Gallos autem et Parthos nominavit ut infestissimos et pervicacissimos Romano nomini hostes. Ceterum a. 724 Octavianus ex Aegypto per Syriam in Asiam venit ibique res Parthicas inter Phraatem et Teridatem composuit; adversus Gallos autem non solum ipse a. 715 profectus erat sed Agrippa quoque devictis a. 717 Gallis triumphavit; deinde a. 719 Gallicis gentibus bellum illatum coloniaeque deductae sunt. — *describit*] Sic boni codd., alii *describat*, *describet*; indicativus autem ipse potestatem aliquid faciendi exprimit. Idem usus nobis Germanis, ut *das thut nicht Jeder*, pro: *das kann nicht Jeder thun*. — *fortem*] magnanimum, ut Epist. I, 7, 46.

V. 17. *Scipiadam*] Cum versus hexameter Scipionis nominis nihil ferret nisi nominativum ipsum, neque poetae iusta patronymici forma *Scipionides* magis uti possent, ad hanc minus rectam formam confugientes *Scipiadam* posuerunt pro accusativo *Scipionem* et similia, ut infra v. 72. Virg. Aen. VI, 843. Georg. II, 170. De latina forma accusativi (*am*) cf. Cic. Fin. V, 11: »Philoctet*am* videmus in fabulis.« Indicatur autem Africanus minor, cuius laudes Lucilius idoneis satirarum locis praedicaverat. — *deero*] cf. Sat. I, 9, 56. — *recalcitrat*] Imago sumpta est ab equo, ad quem etiam *palpare* et *palpari* pertinet. — *tutus*] ab omni inepta adulatione. — *quanto rectius*] Trebatii tres versus sunt 21—23. Ad v. 22 compara Sat. I, 8, 11. — *Milonius*] Scurram eius aetatis scholiastae fuisse dicunt. — *icto*] vini potestate. cf. Carm. IV, 5, 15. De saltando lege Cic. pro Mur. 6. — *Castor*] cf. ad Carm. I, 12, 25. — *melioris*] cf. infra 34. 75. — *cesserat*] Sic recte, non *gesserat*, quamquam in optimis codicibus, veluti in omnibus Cruquii, legitur. — *usquam*] Sic habent omnes codices Cruquii praeter Div. et unum Bland.,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vita senis. Sequor hunc Lucanus an Apulus anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus. Quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit, — melius non tangere, clamo —
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuci quibus est inimica venenum,

in quibus est *unquam*. Temporis significatio supervacanea est. — *alio*] quam ad suos libros. — *vita senis*] Hieronymus in Chronic. ad Ol. 169, 2 Lucilio quadraginta sex annos vitae dedit, a. u. c. 606—651; nec videtur fides habenda esse Heusdio, qui Lucilii vitam nuper extendit usque ad a. 687. Itaque *senem* intelligo eum, qui antiquiore tempore vixit, cf. Sat. I, 10, 67. Cic. Brut. 10, 39 de Solone et Pisistrato: »at hi quidem, ut populi Romani aetas est, *senes*, ut Atheniensium saecla numerantur, *adolescentes* debent videri,« quamquam fuerunt, qui Lucilium circa a. u. 600 natum, et a. 659 vel 660 mortuum esse putarent. — *anceps*] Non is solum anceps est, qui dubius est aut incertus quid credat faciatve, sed is etiam, de quo in utramque partem disputari potest, ut Sat. II, 5, 34. Quare vel ipsa loci concinnitas efflagitare videtur, ut *anceps* masculini, non neutrius generis esse credamus. — *ad hoc*] Sat. II, 6, 42. »Non solum se in municipio natum opponit Lucilio, equiti Romano, sed hoc quoque significat: si ingenii non nimis lenti sum, sed satis bellicosi, minime mirum; nam utraque gens fuit dura ac bellicosa.« Rauchenstein. — *quo ne*] pro *ut ne*, sed cum quadam abundantia dictum, quoniam quod in verbis *ad hoc* inest, iterum ponitur relativo *quo*. Similiter Cic. ad Fam. VII, 2: »Sed eo vidisti multum quod praefinisti, quo ne pluris emerem.« cf. Liv. XXXIV, 6 med. — *Sed*] opponitur verbis *sequor hunc*. — *ultro*] i. e. nisi quis me provocavit, non iniuriis sed vitiis suis aut ridicula agendi et vivendi ratione. Epist. II, 2, 107. II, 1, 227. Sat. II, 3, 262. *Stilus* instrumentum est scriptorium, ferreum vel aeneum, quo in ceratis tabulis veteres scribebant; etiam *graphium* appellatur. Nec raro utebantur graphio vel stilo pro mucrone, veluti *Caesar* (ap. Sueton. 82) Cassii brachium arreptum *graphio* traiecit, et Caligula (Suet. 28) subornavit, qui senatorem, quem discerpi concupisset, invaderent *graphiisque* confossum lacerandum ceteris traderent.

V. 40. *ensis*] Iuv. 1, 165: »Ense velut stricto quoties Lucilius ardens infremuit.« — *flebit*] Epod. 6, 16. Sat. I, 10, 91. *Cantari* autem de bona et mala fama. — *Cervius*] delator et calumniator, ut Caprius et Sulcius ex Sat. I, 4, 70. — *urna*] iudicum. — *Canidia*] »Deest filia; alii uxorem dicunt. Canidia autem pro Gratidia. Albucius quidam veneficus, matris exstinctor.« Acro. Alii maluerunt coniungere *Albuci venenum*;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Grande malum Turius, si quid se iudice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera; mirum
Ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat seu Mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae seu fors ita iusserit exul,
Quisquis erit vitae scribam color. O puer, ut sis
Vitalis metuo, et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Laelius aut qui
Duxit ab oppressa meritum Karthagine nomen,
Ingenio offensi aut laeso doluere Metello

sed consulto Horatius, ut iam notat Porphyrio, ἀμφιβολιχῶς posuit genitivum *Albuci*. — *Turius*] Haud dubie iudex significatur corruptissimus: nomen eius varie legitur in scholiis: C. Marius Turius, C. Martius Turius, Turius Marinus. — *ut, quo*] quomodo fiat ut, quo cet. — *Scaevae*] »Scaeva luxuriosus quidam fuit, qui matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret. Sic Cicero pro Scauro (fragm. Beier. p. 155): *Libertus patronam non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.*« Comm. Cruq. — *mirum ut*] tam mirum quam, vel: non magis mirum quam. Summa in h. l. inest acerbitas: Scaeva matri fauces non elidit, quid miraris? innocentes sunt digiti, sed suo telo utitur, venenum dat. Coniecturis, quae proposita sunt, omnibus loci egregia vis frangitur; Bentleius *mirum, ni* vel *mirum, si*, Goeller *mirum, quin*, Horkelius *mirum, at*; Meinekius *nimirum, ut*, quae ut optima est, ita a Linkero et Doederlinio inter poetae verba recepta; approbavit etiam Teuffelius. — *iusserit*] Quod in paucis codd. repertum et a Fea et Meinekio receptum est *luserit*, non potest tolerari: nam exilio vix quidquam durius videbatur civibus Romanis, et locus ipse suadet ut hoc dicatur: ne durissima quoque res a scribendo me deterret. *Luserit* igitur ineptum est. — *scribam*] Hyperbato magna huic verbo maximam arsim sequenti accrescit vis. cf. Sat. I, 5, 72. — *o puer*] Trebatii verba sunt usque ad v. *feriat*. Ceterum primis verbis egregio ioco alluditur ad Thetidis verba apud Homerum Il. XVIII, 95. — *frigore*] Intelliguntur haec ex imitatione Persii 1, 108: »Vide sis ne maiorum tibi forte Limina frigescant.« Senec. Ep. 122: »Montanus Iulius, tolerabilis poeta, et *amicitia* Tiberii notus et *frigore*.« — *per ora*] Salust. Iug. 31: »*Incedunt per ora* vestra magnifici.« — *ingenio*] Lucilii. — *Metello*] Q. Caecilius Metellus Macedonicus, cos. a. u. c.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia et fragili quaerens illidere dentem
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. Equidem nihil hinc diffindere possum;
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque. Esto, si quis mala: sed bona si quis

611. Estré prosopogr. Horat. p. 78 suspicatus est non indicari Macedonicum, sed Macedonici quartum filium, Q. Caecilium Metellum Caprarium, de quo apud Cicer. de orat. II, 66 legitur: »Scipio apud Numantiam cum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur: Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.« Is fuit consul a. u. 640, Censor a. u. 651. Lucilii versus in L. Cornelium Lentulum Lupum cos. a. u. c. 598 servavit Cic. de N. D. I, 23: »Tubulus si Lucius unquam, Si Lupus aut Carbo Neptuni filius, ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus aut tam impurus fuisset?« Quos si Lucilius contumeliosis (Epist. I, 19, 31) versibus laceravit, boni cives, ut Laelius et Scipio, idem sibi non metuerunt. De part. *que* in verbo *famosisque* vide ad Carm. II, 7, 25. — *tributim*] per omnes tribus, totum populum, nullo facto discrimine. cf. Pers. 1, 114: »secuit Lucilius urbem.«

V. 71. *scena*] vita publica. — *nugari*] Comm. Cruq. »Scipio et Laelius feruntur tam familiares fuisse et amici Lucilio, ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.« cf. Cic. de orat. II, 6 — *olus*] Significat simplicem victum, quo erant contenti. cf. Epist. I, 17, 13. Sat, II, 7, 30. 2, 117. 6, 64. — *Lucili censum*] Fuit enim Lucilius equestri loco natus et Pompeii Magni avus; alio auctore avia Pompeii soror Lucilii fuit. Vide ad Sat. II, 7, 53. — *fragili*] gen. neutr.; imago de nuce sumpta. Adversarii, inquit poeta, nihil iam efficient, cum favorem mihi et gratiam optimorum conciliaverim. — *diffindere*] Sic recte boni codices in iisque omnium antiquissimus Bland.; in aliis ex corruptione *defindere*, *diffingere*, *defingere*, *defringere*, alia. cf. Carm. III, 16, 13. Virg. Aen. IX, 586. Trebatii sunt usque ad *iudiciumque*. — *legum*] Cic. de rep. IV, 11: »Nostrae XII tabulae cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset quod infamiam faceret flagitiumve alteri.« cf. Epist. II, 1, 152 sqq. Ut quae insequuntur recte et ordine adiungantur, supple *scito*, ut Epist. I, 1,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?
Solventur risu tabulae, tu missus abibis.

Satira II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo, —
Nec meus hic sermo est, sed quem praecepit Ofellus

13. I, 18, 58. — *laudatus Caesare*] vide ad Carm. I, 6, 2. — *latraverit*] Bentleius ex codd. recepit *lacera-verit*, quod cum hominis iniqui sit et malitiosi, ab hoc loco videtur esse alienum; tamen secuti sunt Linker. et Kirchnerus, non approbante Teuffelio. Tu compara Epod. 5, 58. Ep. I, 2, 66. Liv. XXXVIII, 54: »morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo *adlatrare* magnitudinem eius solitus erat.« — *solventur tabulae*] tabulae, in quibus leges scriptae erant, pro ipsis legibus. Leges solvere est severitatem earum minuere, frangere. Similiter Quintil. XI, 3, 58: »Fori sanctitatem ludorum licentia solvere.« id. V, 10, 67: »Risu tota res solvitur.« Ultimus versus Trebatii est.

Satira II.

Felicissimis bellis omnium prope terrarum divitiae cum Romam essent congestae, inter reliqua luxus genera incredibilis paene cibi ac potus intemperantia et improbitas civitatem invaserat. Quae quam sit insana quamque perniciosa, hac satira docet Horatius et ita quidem, ut non sua proponat praecepta sed loquentem inducat Ofellum quendam, rusticum hominem et sanae mentis, quem ipse suum agrum colentem bonisque rebus gaudentem Venusiae olim puer noverat (v. 112 sq.). Postea cum Venusini agri bellis civilibus dominis erepti veteranis militibus darentur, Ofelli ager Umbreno cuidam veterano attributus est, ita ut qui olim dominus fuisset tunc colonus eundem agrum alieno homini coleret (v. 133). Hunc igitur Ofellum fingit Horatius inter suos et filios et amicos sedentem deque suae aetatis ingenti profusione ac stultitia disputantem, quae stultitia quo clariore luce collustretur, sordidissimae etiam avaritiae, qua obstricti alii fortasse non pauciores tenebantur, tristis quaedam imago additur (v. 53—62). Ofelli autem totus sermo est praeter vv. 2 et 3, 112—116; id quod recte colligas ex v. 112, ubi verbis *hunc Ofellum* poeta ad v. 2 redit, deinde ex primae personae usu vv. 7. 8. 35. 90. 93, tum ne 53 quidem versus adversatur. Alii, ut Orellius, non recte statuunt, Ofellum ipsum loquentem induci demum v. 116. Versu 111 ea pars absolvitur quae generalia complectitur praecepta et sententias; quibus quo accedat maior fides et auctoritas deinde ostenditur, hominem illum non solum tanta usum esse doctrinae severitate, sed fecisse etiam ipsum quae bene praeceperit. Scripta videtur satira aliis alio tempore, Kirchnero et Webero anno 717 propter iter Brundusinum, quo cum Ofello convenisse poetam putant, Zumptio a. 719, Frankio et Duentzero a. 720, quibus si quid debeam enuntiare, libentissime assentiar.

V. 1. *boni*] Suavis compellatio suorum et filiorum et amicorum. cf. v. 128. Iam apud Acronem scholiastam falsa est lectio *bonis*, orta ea ex continua scriptura et littera *s* prave geminata (*bonisit*). cf. Sat. II, 6, 51. 95. Epist. II, 2, 37; et de hoc genere sermonis Sat. II, 6, 70—76. — *sermo*] verba. cf. A. P. 69. — *quem praecepit*] Plurima pars editorum recentiorum recepit alteram lectionem *quae*; orationem enim non praecipi, sed referri, haberi.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva —
Discite non inter lances mensasque nitentes,
Cum stupet insanis acies fulgoribus et cum
Acclinis falsis animus meliora recusat,
Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito vel, si Romana fatigat
Militia assuetum graecari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te discus agit, pete credentem aëra disco:
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem, nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare: cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas aut

Ego cum Heindorfio et Doederlinio secutus sum Cruquium, qui *quem* in suis codicibus omnibus reperisse videtur; aliter enim de discrepantia monuisset. *Praecepit* autem elegantius dictum est pro: habuit docens suos amicos, inter quos sedebat. — *Ofellus*] Sic omnes codd. praeter unum, in quo illud ex correctura repertum est, quod Bentleius suspicabatur, *Ofella*; haec enim, non illa forma est cognominis apud Romanos noti. — *abnormis sapiens*] Tantum non recepi ex multis et optimis codd. *abnormi*. Nec male diceretur *abnormi crassaque Minerva*, ita ut *crassaque* ex proverbio explicandi gratia additum esset. cf. Colum. praef. I, 1: »potest enim nec *subtilissima* nec rursum, quod aiunt, *pingui Minerva* res agrestis administrari.« Et dicebant etiam *omnis Minervae homo* h. e. valde ingeniosus; quare si antiquis, ut visum est Orellio, risum movisset *abnormis Minerva*, movisset quidem, sed ut elegantem et exquisitum poetae iocum intellexissent. De voc. abnormis cf. Cic. Lael. 5. — *acies*] oculorum. — *acclinis*] rarum et poeticum vocabulum. Virg. Aen. X, 835. Cognatum verbum *acclinare* metaphorice, ut h. l. adiectivum, positum est apud Livium IV, 48. — *impransi*] ieiuni, ut v. 38. — *Leporem sectatus*] Sententia paulo impeditius formata; nam participiorum loco, a quibus egressa est oratio, condicionalis forma substituitur. — *graecari*] cf. Carm. III, 24, 57. Est autem exercere se mollioribus Graecorum ludis pilae et disci. — *molliter*] consulto loci propinquitate cum *austerum* coniunctum; studium enim molliter fallit austerum laborem. cf. Sat. II, 7, 114. — *discus agit*] allicit. — *Hymettia mella*] Carm. II, 6, 14. Macrob. Sat. VII, 12: »Unde est et illud proverbium quo utuntur gulones: mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio et vetulo Falerno.« cf. infra Sat. II, 4, 24. Columella auctore (XII, 41) mulsum optime parabatur, cum singulis urnis vini denae librae mellis addebantur. — *atrum*] procellis agitatum. Carm. III, 27, 18. — *latrantem*] Sat. II, 8, 5. Lucret. II, 17: »Nihil aliud sibi naturam latrare nisi ut cet.« — *pulmentaria*] ad exemplum Socratis; qui cum usque ad noctem spatiare-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
Sudando: pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro
Rara avis et picta pandat spectacula cauda,
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista
Quam laudas pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat, nil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto:

tur, interrogatus a quodam, cur hoc faceret, respondit: *ὄψον αυξάνω.* — *pinguem vitiis*] luxuria tumidum. cf. v. 77. Pers. 3, 98: »Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.« — *ostrea*] vide ad Sat. I, 8, 43. — *scarus*] pretiosus piscis, in mari Carpathio maxime frequens, ceterum ignotus. Epod. 2, 50. — *lagois*] »avis quae carnem *leporis* habere perhibetur.« Acro.

V. 23. *eripiam*] poetice pro *impediam*. Quod quomodo fieri potuerit vide ex hoc loco Tibulli I, 9, 35: »Illis eriperes verbis mihi sidera coelo Lucere.« Ovid. Met. II, 483: »Posse loqui eripitur.« — *pavone*] Q. Hortensius primus Romanos docuisse dicitur pavones in mensa apponere. Sat. I, 2, 116. — *vanis rerum*] cf. Carm. IV, 12, 19. Sat. II, 8, 83. Ep. I, 17, 21. — *attineat quidquam*] sc. picta cauda. — *num adest*] hiatus a poeta admissus. — *carne tamen*] Locus difficillimus et diversissime tentatus; sententia tamen simplex et aperta: »praefero pavonem gallinae; cur? plumarum splendore motus; at num vesceris plumis? num coctis pavonibus et in mensa positis idem splendor est, qui te antea traxit? Sed discrimen etiam est carnis, inquis. At, quamvis discrimen sit, quod concedatur oportet, non sapor est, qui te allicit, sed formis te deceptum esse patet.« Itaque hunc statuo ordinem verborum: quamvis distat gallinae caro a pavonis, tamen nihil (non) hac (pavonis) magis illâ (gallina, sed) imparibus formis deceptum te esse patet«, vel si ex verbo *deceptum* zeugmatis quodam facili genere simile *captum* assumas: quamvis (etiamsi, quantumvis) distat gallinae caro a pavonis, tamen nihil hac magis quam illa (vide ad Carm. IV, 14, 13) te captum patet, sed imparibus formis i. e. plumarum, formae pulchritudine et specie deceptum esse.« Meinekius tenebricosa verba nullo pacto explicari aut probabiliter emendari posse censuit; itaque olim aliquid excidisse putavit in hanc ferme sententiam: »Carne tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa *Delector; pulchri quid habet Iunonius ales.* Imparibus formis deceptum te patet;« postea autem veri habuit similius, totum versum ab interpolatrice manu intrusum esse. Alia quae reperta est lectio *petere* pro *patet* ex Porphyrionis scholio exorta esse videtur. — *esto*] Concedit Ofellus istum formae amorem habere aliquam veniam progrediturque ad alia etiam magis inania. Magnum enim discrimen gulones aiebant esse inter lupos marinos, qui in Tiberi essent capti, et eos, qui in alto, et iterum inter eos, qui ad ostia Tiberis et qui inter pontes (sublicium et senatorium, inter quos Cloaca maxima sordes urbis in fluvium egerebat). Qui in mari erant capti, pessimi videbantur. Unde

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet, pontesne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video. Quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos,
Praesentes Austri, coquite horum obsonia. Quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa

autem, inquit Ofellus, datum tibi est ut sentias sapore, quo is lupus qui appositus in mensa hiat captus sit loco? — *laudas*] Iidem gulones ingentes quaerebant mullos, parvos lupos, hac una causa moti quod natura mullos parvos, lupos magnos fecit. Plin. H. N. IX, 30: »Mulli binas libras ponderis raro admodum exsuperant.« Iuven. 4, 15: »Mullum sex milibus emit Aequantem sane paribus sestertia libris.« — *pulmenta*] Epist. I, 18, 48; sunt h. l. partes (Scheiben) in quas ingens piscis dissecandus est. — *quia*] de littera *a* ante *sc* correpta vide ad Sat. I, 2, 30. — *Ieiunus raro*] Bentl. ad A. P. 337 hunc versum eiiciendum esse censuit: »quippe et orationis cursum male intercipit et in ambigui vitium incidit. Iam olim enim a scholiastis dubitatum est, utrum *raro ieiunus* an *raro temnit* sit accipiendum.« Tu coniunge *ieiunus raro*; sic enim additur ratio, unde insana quae ante excussa est libido solet exoriri. Doederlinius versum loco movit et post v. 22 ponendum esse docuit. — *porrectum*] mullum. — *vellem*] Ne cum Heindorfio *velim* requiri putes, compara Epist. I, 11, 8.

V. 40. *At*] Exsecratur Ofellus epulas luxuriosorum optatque ut Austri eas putrefaciant. Statim autem se corrigens; quamquam quid opus est, inquit, hac exsecratione, cum recentes etiam cibi talibus hominibus puteant neque iis gratius quidquam videatur quam rapula et inulae quae lassum pervellant stomachum? Sat. II, 8, 8. 51. — *Austri*] nunc Sirocco. — *coquite*] putrefacite. *Praesentes* autem Austri sunt, quia ut dii invocantur. — *rapula*] cf. Sat. II, 8, 8. — *inulas*] ἕλένιον, Alant. Plin. H. N. XIX, 29: »per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis saluberrima.« — *quando*] quandoquidem, quoniam. — *oleis*] Oleae enim cibi cupiditatem excitant. De nigris (i. e. maturioribus) Plin. H. N. XV, 2: »Quanto maturior baca, tanto pinguior sucus minusque gratus. Optima autem aetas ad decerpendum inter copiam bonitatemque *incipiente baca nigrescere*.« — *Galloni*] »Gallonius praeco primus acipenserem suae mensae apposuit, quare eius luxus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Infamis. Quid? tunc rhombos minus aequor alebat?
Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit Ofello
Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna,
Ac nisi mutatum parcit defundere vinum et,
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur? et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit qua non offendat sordibus atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis

etiam a Lucilio taxatur.« Comm. Cruq. Respexit Horatius ad versus Lucilii, quos servavit Cicer. de fin. II, 8: »O Publi, o gurges, Galloni, es homo miser. Coenasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.« — *erat*] vide ad Carm. III, 16, 26. — *aequor alebat*] Restitui scripturam optimorum et plurimorum Codicum cum Cruquio; *aequor* h. l., ut Carm. I, 14, 9. III, 6, 34 de mari positum universe, sine partium discrimine. — *praetorius*] »Sempronius Rufus praetorius instituisse creditur ut ciconiarum pulli manducarentur: quare cum in praetura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit: »Ciconiarum Rufus iste conditor Hic est (Peerlk. coni. *etsi*, Buecheler *licet*) duobus elegantior Plancis; Suffragiorum puncta non tulit septem, Ciconiarum populus ultus est mortem.« Comm. Cruq. Is igitur vel postea praeturam obtinuit vel festive ridetur ab Horatio et ironice *praetorius* appellatur. — *mergos*] durissima carne. — *edixerit*] tanquam praetor. Epist. I, 19, 10. Inde cum gravi ironia *Romana iuventus*. cf. Epist. I, 1, 70. — *sordidus*] »Sordidus victus a tenui victu diversus est; illum non commendo.« Ceterum omnes prope boni codd. *distabat*, quod fortasse rectius de re, quae semper et erat et erit. — *Ofello iudice*] me iudice; iudice homine, qualis ego, Ofellus, sum. cf. Carm. I, 7, 27. — *Avidienus*] ignotum nomen sordidi hominis. — *ductum*] Sic antiquissimus omnium Bland., alii *dictum*. cf. Sat. II, 1, 65. — *mutatum vinum*] vappam. — *repotia*] »Postridie nuptias apud novum maritum coenatur; quia quasi reficitur potatio.« Festus. — *albatus*] toga recens cretata indutus. — *bilibri*] nimis magno, non elegantioris formae. — *quali*] de elisione vide ad Sat. I, 9, 30. — *qua non offendat*] Sic boni codd., in aliis est

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Albuci senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, nec sic ut simplex Naevius unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni et tractari mollius aetas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam

qui. Intellige: eatenus, ut. — *cultus*] genitivus est utrimque suspensus: *in neutram partem cultus* et *miser cultus*, ut Stat. Theb. IV, 403: »Ah miseri morum.« Plin. paneg. 58. med.: »miseros ambitionis.«

V. 67. *Albuci*] vide ad Sat. II, 1, 48. Albucius durissimus erat in servos maximosque cruciatus iis minabatur, si quid in coena non bene esset paratum. Naevius contra negligentissimus fuit et nimiae animi bonitatis in servos. — *didit*] poeticum vocabulum; saepissime apud Lucretium. — *aquam*] ad vinum miscendum. Ad v. *unctam* cf. Sat. II, 4, 78. — *ut noceant*] quantopere noceant. cf. Cic. Mil. 24, 64. — *sederit*] quieverit nec ullos in ventriculo tumultus excitaverit. — *miscueris*] extrema syllaba longa. cf. ad Carm. III, 23, 3. IV, 7, 20. 21. — *pituita*] trisyllabum. Epist. I, 1, 108. Est phlegma ventriculi et intestinorum. Plin. H. N. XX, 7: »Pituitae *lentitiem* digerunt (lactucae).« — *coena dubia*] Terent. Phorm. II, 2, 28: P. »Coena dubia apponitur.« G. »Quid istuc verbi est?« P. »Ubi tu dubites quid sumas potissimum.« — *affigit*] Sic recte omnes prope libri MSS. alii *affligit*. Compara Plat. Phaed. p. 83. D: »ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσηλοῖ αὐτὴν (τὴν Ψυχὴν) πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονᾷ καὶ ποιεῖ σωματοειδῆ.« — *divinae aurae*] Cic. de senect. 21. Tusc. I, 26. — *hic tamen*] Primum simplicis victus praemium sanitas est et corporis et animi. Accedit quod qui moderatus est in ciborum usu interdum et opportuno tempore (*quondam*) exquisitis epulis vere potest gaudere (82—93). Deinde idem bonae etiam famae consulit, sibi suisque gratus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quam puer et validus praesumis mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed credo hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam: grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus; adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As, laquei pretium. Iure, inquit, Trausius istis
Iurgatur verbis; ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo,
Quod superat non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum recte tibi semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,

(v. 94—111). — *ubique*] et ubi. — *Tibi*] Oppositum hoc pronomen est alteri *hic* v. 82. — *validus*] Ex chiasmi ordine iunguntur *puer, validus, dura valetudo, senectus.* — *hac mente*] Sat. I, 1, 30. — *edax dominus*] Iuven. 1, 140: »Quanta est gula, quae sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum!« cf. Sat. II, 8, 6. — *tellus prima*] Sat. I, 3, 99; est nova tellus. — *occupet*] Sic plures vetustioresque codd., alii *occupat*. Coniunctivus causalis est quem vocant. — *patruum*] Carm. III, 12, 3. Sat. II, 3, 88. — *inquit*] vide ad Sat. I, 4, 79. — *Trausius*] homo luxuriosus, non admodum dives. — *vectigalia*] Carm. III, 16, 40 Cic. de off. II, 25. Ad sententiam cf. Epist. I, 18, 28. — *tribus*] i. e. habeo divitias, quae tribus regibus amplae videantur, quarum iam tertia pars regalis copia est. — *Ergo*] indignantis est: cum tantum habeas, nonne est quo melius insumere possis quod superest? — *indignus*] egestate. — *templa ruunt*] vide ad Carm. III, 6. — *recte erunt*] infra v. 120. Sat. II, 3, 162. II, 8, 19. Male in codicibus nonnullis etiam optimis *rectae*, accommodato vocabulo ad *res*. — *posthac*] »Cum patrimonium omne per luxuriam consumpseris.« Acro. — *uterne*] vide ad Sat. I, 10, 21. cf. II, 3, 295. 317. — *superbum*] non corpus magis quam mentem ornat. cf. Sat. II, 6, 87. —

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

An qui contentus parvo metuensque futuri
In pace ut sapiens aptarit idonea bello?

Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum:
Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis
Sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat culpa potare magistra,
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus:

pace] metaphorice ex illo praecepto: dum pax est, para bellum.

V. 112. *Quo magis*] Horatii ipsius hi quattuor versus sunt. — *quam nunc*] post triumvirorum proscriptiones. cf. Virg. Buc. 9, 2 sqq. Suspiceris certe ex adverbio *nunc* vixisse etiam tunc Ofellum. — *integris*] producta paenultima, cf. Sat. II, 4, 54; aliter supra v. 92. Carm. IV, 4, 66. I, 14, 9. I, 26, 6. I, 31, 18. — *metato*] quem metator Umbreno militi dederat. Vide ad Carm. II, 15, 15. — *mercede colonum*] Vide ad Carm. I, 35, 6. cf. Epist. II, 1, 139. — *non temere*] non facile. Epist. II, 2, 13. — *olus*] Sat. II, 6, 64. — *Ac mihi*] Sic scribendum erat et propter codd. auctoritatem et propter sententiam ipsam, in quā oppositionis, quam haberet *at*, nihil inest. — *duplice ficu*] ad siccandum divisa. — *post hoc*] non ut luxuriosi inter edendum. cf. Sen. ep. 122: »Post prandium aut coenam bibere vulgare est: hoc patres familiae rustici faciunt et verae voluptatis ignari.« — *culpa magistra*] Culpa dicitur magistra bibendi, quia si quis in ipso bibendi aliquid commisisset, ei ab reliquis convivis poena quasi imponebatur alterius etiam poculi hauriendi. Culpa igitur tanquam *θαλίαρχος* s. *συμποσίαρχος* est. Haec rustica ratio contra urbanam bibendi magistri eligendi ponitur. Coniecturis opus non est, quamquam multae sunt propositae, veluti *cuppa* Lambin., *cupa* (copa) Bentl., *pulpa* Heins., *pulso magistro* Kirchn., et, quam animi causa appono, *κότ' βῳ potare magistro* Praedicow. — *venerata*] cf. Carm. Saec. 49. — *ita culmo*] ita part. eadem ratione in voto posita qua similis *sic*; vide ad Carm. I, 3, 1. Plenam sententiam intelliges ex locis Cic. in Cat. IV, 6, 11. ad Att. V, 15: »Ita vivam ut maximos sumptus facio.« Cic. Famil. X, 9: »ita ab imminentibus malis respublica liberetur!« cf. Hom. Il. VIII, 538 sqq. XIII, 825 sqq. — *surgeret*] Ceres, per metonymiam;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriae telluris herum natura neque illum
Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius; sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Satira III.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,

cf. Sat. I, 5, 74. — *hinc*] ex iis bonis quae nunc nobis sunt, moderatione animi et frugalitate vitae. — *nituistis*] nitent qui bona valetudine utuntur. Epist. I, 4, 15. — *incola*] Est veteranus miles, tunc possessor agri; quem non inconsulto incolam, non dominum agri appellat Ofellus. Id cur faciat, statim addit. Cfr. Anthol. Pal. 2, 27: »Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου· Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον. Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ὤετο καὶ πάλιν οὗτος Οἴεται· εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενός, ἀλλὰ Τύχης.« — *proprine*] vide ad Carm. II, 2, 22. — *vafri*] Sat. II, 5, 34.

Satira III.

Romae cum studio et opera doctorum hominum, veluti Ciceronis graeca philosophia excepta esset, fieri non potuit quin sat multi ita sapientiam amplecterentur, ut philosophorum simias magis quam philosophos se praestarent. Et maxime quidem Stoicorum doctrina de vera sapientia communique hominum stultitia haud paucos allicere debuit, qui suam animi nequitiam celantes aliorumque rectum de se iudicium declinantes Stoicorum severitatem cultu ac sermone misere affectarent, tristi vultu urbem percurrerent, alios homines quacunque possent ratione carperent et magna voce vituperarent. Talem igitur hominem — quod genus nihil nisi virtutem crepans ἀρεταλόγους appellarunt Romani — acerbissima ratione totum genus humanum insaniae arguentem faceto utique et lepido modo perfectissima hac satira Horatius describit. Qui quam egregie rem suam instituit! Damasippum enim — id autem nomen est circumforaneo philosopho — nimio fictae suae sapientiae studio eo latum videmus impudentiae et importunitatis, ut poetam in villam Sabinam, quo is ne Saturnalibus (a. d. XVI. Kal. Ian. usque ad XIV. Kal. Ian.) ingenti urbis strepitu infinitisque epulis male vexaretur aufugerat, persequeretur; scilicet eo certe consilio, ut cum Horatii quoque aures insanis suis disputationibus impudentibusque adhortationibus obtudisset, lautam sibi mereret coenam. Isti enim homines a divitibus ut scurrae coenae adhiberi solebant, nimirum ne qui risum moveret in hilari convivio deesset. Suet. Aug. 74: »Aut acroamata et histriones interponebat ac

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iratus tibi quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? At ipsis
Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis. Incipe. Nil est.
Culpantur frustra calami immeritusque laborat

frequentius aretalogos. Nam inopes esse solebant boni isti philosophi, qui nihil antiquius haberent quam ut sua sapientia stomachum cupiditatemque placarent. Nec melior Damasippus noster; qui olim mercator singulari sua calliditate (v. 20 sqq.) egregiisque consiliis rem male gestam perdiderat (v. 18. 37), deinde cum desperata salute de ponte se in Tiberim deiicere voluisset (v. 36), a Stertinio, magno illo quidem Stoico et unice sapienti, retractus mercaturam philosophia mutaverat. Iam vero ne quid egregii huius sermonis perdas, considera modo quanta inter aretalogum et satiricum poetam intercedere videatur similitudo; quam Horatius de iudicio bonorum hominum secure consulto videtur descripsisse, ut imperitis quid inter utrumque non esset simile aperto exemplo ostenderet. Atque eam quidem comparationem non illustratam quidem sed tribus verbis indicatam habeamus Sat. I, 1, 120; etenim Crispinus quoque est aretalogus. Praeterea recte quidem significata est similis utriusque hominis, Damasippi et Horatii, sors et via, qua ille ad philosophiam, hic ad satiram pervenerat. Quae Damasippus in foro ad medium Ianum (v. 18), ea Horatius ad Philippos in pugna videbatur certe perdidisse. — Satiram non ante a. 721 scriptam esse docet versus 180 coll. 185; eo enim anno Agrippa sponte sua aedilitate functus ingentem sibi civium approbationem liberalitate paravit. Neque multo post enim annum scriptam esse ipsa Agrippae laus ferre videtur. Horatius paulo ante Sabinam villam a Maecenate dono acceperat.

V. 1. *sic raro scribis*] Vehementer exprobrantis haec sunt, non interrogantis; excitatus enim sermo est Stoici in villam subito irrumpentis ac statim clamantis, quem mirabundus Horatius non prius interrumpit quam ad finem aliquem ipse decurrit v. 16. In bonis codd., veluti in tribus Bland. et Martin. apud Cruq., repertum est *Si raro scribis*, in aliis *scribes*, unde Bentleius hanc constructionem fecit: *si . . . scribes, quid fiet?* Quem iniuria secuti sunt Doederlinius, Meinekius, Linkerus, nisi quod Linkerus etiam coniecturam Meinekii *scribis tu, ut* recepit, Ritterus probata Meinekii coniectura *sic raro scribis tu, ut*. Sed vulgata lectio non debebat relinqui; nam conditionalis particula cum futuro *scribes* orationis vim valde minuit, neque in eo haerendum est, quod *scribis* alteram syllabam adiuvante caesura producit. Cuius quidem usi etiamsi in terminationibus secundae personae *praesentis* temporis aliud exemplum repertum non sit, tamen veri simile est, non esse aliam rationem quam formarum eiusdem personae in perfectis coniunct. et futuris II (Carm. III, 23, 3. IV, 7, 20. Epist. I, 6, 40. Sat. II, 2, 74. 5, 101); antiquitus etiam terminatio *... is* (2 pers. sing. praes. act.) longam habuit vocalem, quam postea corripuerunt. Ita nuper docuerunt Ritschelius, Fleckeisenus et Corssenus (Ueber Aussprache u. s. w. T. I. p. 359). Praeterea pronomen *tu* si accederet, otiosum esset et languidum, quod qui nunc addiderunt, non dubitarent removere, nisi metro medelam quaerendam esse putarent. — *benignus*] Ut genitivum intelligas, compara similis notionis adiectivum *prodigus* Carm. I, 12, 37. I, 18, 16. Epist. I, 7, 42; benignus enim est qui liberalis, largus, etiam prodigus est. Epist. I, 5, 11. Carm. I, 17, 15. — *Saturnalibus*] quos dies Romani facetiis et ludis et conviviis dicabant. — *nil est*] Referenda sunt ad proximum versum, in quo inest excusatio, quam Damasippus ex Horatii

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iratis natus paries dis atque poëtis.
Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren
Desidia, aut quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo. Di te, Damasippe, deaeque
Verum ob consilium donent tonsore! sed unde
Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussus propriis: olim nam quaerere amabam
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,

mente et vultu quasi legere videtur. — *paries*] Qui sententiarum vel verborum penuria premuntur, culpam in calamis parietibusque inesse saepe solent clamare eosque exsecrationibus agere; est enim antiqua exsecratio: deos iratos habeat! illi deos iratos! Quibus verbis comice additur *atque poetis*, quoniam illi irati parietem, ad quem sedentes vel cubantes scribunt, pugnis caedere solent. Similiter Pers. 1, 106: »Nec pluteum caedit nec demorsos sapit ungues.« — *minantis*] vide ad Epist. I, 8, 3. — *vacuum*] otiosum. — *tepido tecto*] Hieme enim celebrabantur Saturnalia, cf. Carm. II, 6, 17. Epist. I, 10, 15. 20, 19. — *Platona*] cuius libri pleni sunt Socraticae εἰρωνείας, quam satiricus poeta aemulabatur. — *virtute relicta*] nihil iam scribendo. — *improba Siren*] quia blanda est et nocet. — *vita meliore*] non desidiosa. Placuerat enim Stoico severo hominum iudici Horatiana satira, qua homines castigari magnopere gaudebat. — *parasti*] laudem et assensum bonorum hominum.

V. 16. *Damasippe*] Licinius Damasippus ut statuarum amator hortorumque emptor et venditor memoratur a Cicerone in epistolis. De Stoicorum barba vide ad Sat. I, 3, 133. Exspectare potuit Damasippus: Di deaeque te donent omnibus bonis et optatis; pro quo lepide substituitur *tonsore*. — *Postquam*] Haec Damasippi sunt usque ad v. 26. — *Ianum*] Iani dicebantur omnes arcus vel transitiones perviae; quales tres memorantur ad forum ex viis deducentes: summus, medius, imus. Ad medium sedebant feneratores et argentarii. Epist. I, 1, 54. Cic. de off. II, 25. — *Sisyphus*] De hoc loco *Schneidewinus* nuper egregie sic disputavit: »Pervulgata erat opinio, massam illam (aeris Corinthii) casu potius mixtam exstitisse quam arte temperatam. Capta enim per Mummium urbe et incensa perustis plurimis simulacris atque statuis fabulantur aeris auri argenti venas in commune fluxisse; ex qua massa catilla, paropsides, statuncula alia fecisse fabros. Sed qui unice vetustissima quaeque exosculabantur, aegre ferre debebant, quod aeris Corinthii ultra modum expetiti origo ad recentiora saecula detruderetur. Quo rationes vetustulas suas mirifice conturbari sentiebant. Igitur ut frustra vanitas sua illius fide narratiunculae redargueretur, perceptabant vel abditos angulos litterarum, si quid alicunde causae suae patrocinium invenirent. Nam statuas quidem ex aere Corinthi diu ante Mummium fieri solitas ex fide

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset;
Callidus huic signo ponebam milia centum;
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. Novi,
Et miror morbi purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore:
Ut lethargicus hic cum fit pugil et medicum urget.
Dum ne quid simile huic, esto ut libet. O bone, ne te
Frustrere: insanis et tu stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam

historiae docebant: anxie circumspectabant vasculorum amatores, ecquid ex testimoniis veterum monumentorum posset erui, quo planum fieret, insulsorum illam opinationem ne de vasculis quidem valere Corinthiis. Excitati ad quaerendum incidebant in Aeschylei Sisyphi *λεοντοβάμονα σκάφην χαλκήλατον*, quam cupide arripiebant. Nempe Sisyphus Aeolida Corinthi lavabat pedes haud dubie aere Corinthio. In eo autem *ζητήματι* callide solvendo occupatum se fuisse ait Damasippus, quo probet, se vel arcana artium attigisse.« Et: »intelligamus igitur, hoc sibi velle Damasippum, oculos se in virtutibus vitiisque artium expendendis exercitavisse.« — ***Mercuriale***] Sic optimi quique codices; alii ***Mercuriali***. Ergo hic quoque ***Mercurialis*** est; nova iterum cum Horatio se quodammodo comparandi ratio, quoniam poetae quoque Mercuriales viri. cf. Carm. II, 17, 29. ***Mercuriales*** collegium erant Romae mercatorum. cf. Liv. II, 27. — ***novi***] Horatii sunt. De genitivo ***morbi*** cf. ad Carm. II, 9, 18. — ***atqui***] Haec Damasippo tribuantur necesse est. ***Morbus*** enim ab Horatio positus erat pro vitioso illo coëmendarum rerum studio; quod vocabulum a Stoico iocose assumitur ad significandum suum novum studium aliorum hominum res curandi, priori vel maxime contrarium. Horatius per totum sermonem brevissimus haec dicere non potest nisi male servatis partibus. — ***mire***] Egregie adverbium sumptum est ex praecedenti verbo ***miror***. Horatio mirum visum est, quod Stoicus vetere morbo liberatus sit; Stoicus acutius et mordacius, ut sibi videtur, respondet: »recte mirum, sed mire veterem novus secutus est morbus, ut solet fieri;« in quo inest id quod vult, tantum abesse ut mirum sit, ut soleant homines ex altero in alterum incidere morbum. Horkelius coniecit scribendum esse ***maior novus***; qua coniectura, quamquam facillima est, loci natura mutatur. — ***lethargicus hic***] qui ex lethargia expergefactus subito ad tantum vigorem rediit, ut ipsum medicum pugnis peteret. Nam »dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.« Sat. I, 2, 24. Quod cum diceret Stoicus, gestum imitabatur ferientis; inde iocose veritus Horatius: »dum ne quid simile huic, esto ut libet.« Haec sola verba Horatii. Pronomen ***hic*** proponit exemplum, ut v. 23. 162. — ***frustere***] »Noli tu tibi timere; ego enim non sum insanus, tu insanis et omnes prope insaniunt.« Iam adest quo volnit. — ***Stertinius***] Epist. I, 12, 20, ubi Acro: »Stertinius

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit et, Cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere; hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultities, quemcunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges
Excepto sapiente tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error, sed variis illudit partibus; hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille

philosophus, qui ducentos et viginti libros Stoicorum latine scripsit.« — *Fabricio*] »Hic pons Fabricius dictus est a Fabricio consule conditore, qui nunc Lapideus appellatur, iunctus insulae Tiberinae.« Comm. Cruq. Conditus est pons a. u. 692; Dio Cass. XXXVII, 45: »τότε μὲν ταῦτά τε ἐγένετο, καὶ ἡ γέφυρα ἡ λιθίνη ἡ εἰς τὸ νησίδιον τὸ τότε ἐν τῷ Τιβέριδι ὂν φέρουσα κατεσκευάσθη.« Hodie appellatur *Ponte di quattro capi*. — *operto capite*] ex more antiquo, quo qui mortem subibant caput velare solebant, ut Socrates apud Plat. Phaed. p. 118, Cyrus apud Xenoph. Cyrop. VIII, 7, 28. Caesar apud Sueton. Caes. 82 et sic Procop. Goth III, 17: *δήσας ἐπὶ τῷ προσώπῳ θολμάτιον, τούτῳ τε τοὺς ὀφθαλμοὺς καλυψάμενος ἤλατο ἀπὸ τῆς γεφύρας ἐς τὸ Τιβέριδος ὕδωρ.* — *cave*] De littera e correpta cf. v. 117. Epod. 6, 11. Sat. II, 5, 75. Epist. II, 13, 19. — *inquiram*] Stoicorum more incipit a definitione insaniae.

V. 42. *quin*] nihil verbi addam i. e. nihil te impediam quin. cf. Sat. II, 2, 23. — *mala stultities*] De brevi syllaba ante *st* cf. ad Sat. I, 2, 30. Ceterum acute Meinekius: »offenderunt critici, neque iniuria, in *quem . . quemcunque*. Nihil tamen corruptum est, sed *cunque* ex altera parte etiam ad *quem* assumendum. Maiorem offensionis causam habet particula *et*, quae in tali orationis conformatione omitti solet, nec dubito quin scribendum sit *quem mala stultities, quemcunque inscitia veri*. cf. v. 77. Epist. II, 3, 227. Epod. 16, 21. Catull. 39, 5: »renidet ille. Quidquid est, ubicunque est, Quodcunque agit, renidet.« Duo codd. apud Kirchnerum *et* particulam non habent. — *porticus*] *στοὰ ποικίλη* Athenis, in qua Zeno eumque qui secuti sunt docere solebant. cf. Epist. I, 4, 16. — *formula*] definitio, regula, *κανών*. — *utrique*] Sic omnes codd. Cruquii praeter Tons. et Silv., in quibus est *utrisque*, quod Heindorfio, Doederlinio, Teuffelio placuit. — *caudam trahat*] »Solent pueri petulantes nescientibus a tergo caudam suspendere, ut velut pecus caudam trahant.« Porphyr. Facere id solent potissimum fatuis hominibus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes fluviosque in campo obstare queratur;
Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignes
Per medios fluviosque ruentis: clamet amica,
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens, hic rupes maxima; serva!
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
Mater, te appello, clamantibus. Huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor. Esto.
„Accipe quod nunquam reddas mihi," si tibi dicam,
Tunc insanus eris, si acceperis? an magis excors
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutae

— *Est genus unum*] Contrarius est error hominum; nam dum alii vident timentque pericula quae nulla sunt, alii nihil omnino vident ruuntque per omnia etiam periculosissima; *timentis* autem et *ruentis* (v. 57) sunt masculini generis. — *campo*] Martio. Carm. III, 1, 11. — *nihilum*] in prosa oratione substantivum est, apud poetas interdum adverbii vice fungitur. — *clamet*] etiamsi clamet. — *amica*] Alii non bene coniungunt *amica mater*; ita enim matri accedit epitheton languidum ac nullius plane ponderis. Horkelius, ne amica primo loco ante ipsam matrem et uxorem nominata turpissimam notam homini inureret, ex coniectura scripsit *anicla mater* i. e. vetula mater. Sed nominantur omnino, qui cari sunt et libenter audiuntur; nec omnes qui nominantur eundem hominem circumstant a periculisque defendere conantur; alium alii cari cognatique arcent, omnes tamen frustra. — *Fufius*] Pacuvius tragoediam scripserat nomine Ilionae, Priami filiae, Polymestoris Thracum regis uxoris. Quae cum filium Deiphilum pro fratre Polydoro, Polydorum pro filio educasset, Polymestor pater, qui Polydori opibus potiri vellet, excisa Troia filium Deiphilum pro Polydoro occidit. In hac igitur fabula Deiphili umbra ex inferis rediens matrem Ilionam dormientem de sepultura appellabat. Iam cum olim Fufius actor Ilionam ageret somnumque simulare deberet, factum est ut vino ebrius vere dormiret atque ab altero actore Catieno, Deiphilum agente, frustra appellaretur. Cic. Tusc. I, 44, 106. — *edormit*] vide ad Sat. I, 6, 13. Est iocose dictum *Ilionam edormit* pro Ilionam dormit i. e. dormiendo imitatur et crapulam edormit. — *similem*] errorem. cf. Sat. II, 2, 53. De coniunctis verbis *errorem insanire* cf. Carm. IV, 9, 19 *pugnare proelia*. — *insanit veteres*] ex alterius mente haec interposita, ut cogitando quasi supplendum sit: dicat aliquis. — *Mercurius*] κερδῷος, lucri dator.

V. 69. *scribe*] Creditorem alloquitur: etiamsi a debitore non unam sed decem syngraphas (*tabulas*) ad exemplum Nerii, famosi feneratoris,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum et cum volet arbor.
Si male rem gerere insani est, contra bene sani:
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

cautionum plenissimas scribendas curaveris, tamen cet. — *a Nerio*] Scribere ab aliquo idem fuit quod *per scripturam dare* (durch Anweisung auf Jemandem zahlen). Credit igitur aliquis *decem* i. e. decem milia sestertium (ex more Ictorum certo numero pro incerto), sed ita, ut solvantur non *ex arca* vel *de domo* (aus eigner Kasse), sed a trapezita sive argentario (Banquier) Nerio; in qua re summa propter argentarii diligentiam cautio inesse videbatur. Sed qui credit, illa cautione non contentus, addit etiam *tabulas* (syngraphas, chirographa, Schuldverschreibungen) admodum nodosi i. e. callidi ac providi feneratoris Cicutae; addit alias insuper cautiones (mille catenas), tamen fallet eum debitor nec quidquam sibi creditum esse evincet, cum non minore sit astutia quam Proteus quondam fuit. — *Cicutae*] Perillius fenerator ob asperitatem et amaritudinem Cicuta nominatus; nodosus est, quia optime calluit nodos et formulas iuris. — *catenas*] cautiones. — *alienis malis*] Hom. Od. XX, 347. Est ita ridere tanquam malae essent non suae sed alienae, malis non parcere. Alia quae excogitata est interpretatio, ut sit *clam ridere, malis a risu alienis ridere* s. *ridere, ut creditor non sentiat*, ea non potest ferri, propterea quod, nisi astutus debitor effuse rideat, cum eius insolentia omnis abiiciatur loci venustas. — *fiet aper*] Hom. Od. IV, 455 sqq. — *dictantis*] »credentis; quia cum damus dicimus: scribe cautionem pro ea pecunia.« Comm. Cruq. — *rescribere*] solvere. vide ad Carm. III, 29, 54. — *audire*] Iam relicto Damasippo omnes mortales insanire ut demonstret Stertinius se accingit, primum his quinque versibus cunctos comprehendens, deinde a versibus 82 de avaritia dicturus. — *togam componere*] plicas togae recte disponere; de discipulis, qui togas in plicaturas componunt, ut longam, quam exspectant, magistri orationem attentis auribus et animis excipere possint. — *pallet*] quia quasi aeger est. Pers. 4, 47: »Viso si palles, improbe, nummo.« — *hellebori*] Est veratrum nigrum, quod melampodium dicitur; de quo Plin. H. N. XXV, 5: »Nigrum medetur paralyticis, *insanientibus*, hydropicis cet.« Epist. II, 2, 137. A. P. 300. Anticyra urbs est in Phocide. Strab. IX, 3: »Ἀντίκυρα, ὁμώνυμος τῇ κατὰ τὸν Μαλιακὸν κόλπον καὶ τὴν Οἴτην. Καὶ δή φασιν ἐκεῖ τὸν ἑλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον, ἐνταῦθα δὲ σκευάζεσθαι βέλτιον κτλ.« Scylax:

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Heredes Staberi summam incidere sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave
Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. Sapiensne? Etiam, et rex
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos proiicere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?

»*Ἀελφοὶ πόλις καὶ Ἀντίχυρα πόλις, οὗ βέλτιστα ἑλλεβορίζονται· παράπλους δ' ἐστὶ τῆς Φωκέων χώρας ἥμισυ ἡμέρας.*« — *Staberi*] Staberius homo fuit avarus, qui tantopere opibus suis delectabatur, ut heredes magno proposito damno quid quisque accepisset monumento incribere iuberet. — *damnati*] testamento; sumptum ex formula in monumentis frequenti, veluti: Heres meus uxori meae dare *damnas* esto. Sic saepe apud Ictos, ut »si heres in testamento quid vendere *damnatus* sit.« — *Arri*] cf. v. 243. Q. Arrii filii luxuriosi patre mortuo splendidissimum epulum funebre paraverunt. Carpitur igitur alter fratrum. — *Sive ego prave*] Reprehensus sic dicere possit Staberius. — *credo*] cum ironia positum, ut saepe. — *vidisse*] statuisse, iussisse. — *quoad*] monosyllabum est. — *contraxerit*] vulgo *construxerit*. Sed *contraxerit* legitur in omnibus codd. Cruq., exceptis duobus, praeterea in aliis bonae notae; et praeferendum videtur, quia in contrahendo inest dolus, labor, cura consiliumque corradendi et coacervandi divitias. Apul. Met. IX: »non parvas contraxerant pecunias.« Plin. H. N. VI, 27: »ibi soli mortalium in odio contrahunt; id defodiunt, ne quo cui sit in usu.« ibid. X, 20 de pavone: »omnesque in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos.« Alterum *construxerit*, quo magis est vulgare (cf. Sat. I, 1, 44), eo facilius in rarioris elegantiorisque verbi locum potuit reponi. — *sapiensne*] Sc ipsum interrogat Stoicus. cf. Cic. Paradox. prooem. 3: »Cato enim *Stoice* solet *oratoriis ornamentis adhibitis* dicere.« — *et rex*] Contrarium lege Sat. I, 3, 124 sq. Epist. I, 1, 106.

V. 103. *litem*] Se ipse corrigens contrariis exemplis rem dirimi posse negat; utendum esse talibus, quae de veritate nihil iam relinquant dubitationis. Quare cum ex logicorum praeceptis non liceat, incertam rem alia non magis certa explicare, tria

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor, nautica vela
Aversus mercaturis, delirus et amens
Undique dicatur merito. Qui discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca;
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?

addit certissima. — *citharas*] cf. Arrian. Epist. 4, 8. p. 632: »οὐδεὶς ἐρεῖ, Ἐγὼ μουσικός εἰμι, ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάραν ἀγοράσῃ.« — *scalpra*] σμίλη, culter sutorum. — *formas*] lignei sunt pedes, quibus utuntur sutores; καλόποδες. — *aversus*] Carm. II, 4, 19. Quintil. VII, 1, 11: »defensioni aversior;« *mercaturis* igitur tertius casus est. — *qui discrepat*] Sic optimi codices, et recte. cf. v. 260. 275. 311. Ex initio ipsius verbi *discrepare* facile accrescere potuit *d* littera, unde quod in aliis editionibus est *quid* factum videtur. — *sacrum*] Sat. I, 1, 71. — *contingere granum*] Blanda quidem est et ingeniosa Meinekii coniectura *confringere*; scilicet Horatianae elegantiae esse negavit, tam brevi intervallo verbum *contingere* iterari. cf. v. 110. At vocabulum consulto repetitum non potest expelli nisi in detrimentum totius sententiae. Fuit etiam qui *contundere* scribere vellet; non maiore iure. — *nihil est*] quid dico? non satis est dixisse *mille cadis*, dicendum *tercentum milibus*. — *acetum*] mutatum vinum, vappam tam acrem ut acetum. — *unde-octoginta*] de verbo diviso cf. ad Sat. I, 2, 62. Horkelius, cui nimis accurata et paene anxia aetatis definitio ab hoc loco aliena videretur, ne *stramenta* epitheto careret, suspicatus est vel contra codd. et scholia scribendum esse *udis Octoginta*; cui obtemperavit Meinekius, non Linkerus aut Teuffelius. Sed *folia* dici debebant *amara*, quoniam non deerant quae a gulonibus cupide quaererentur; *stramenta* autem nec sunt in deliciis et ipsa contraria sunt *stragulae vesti*, i. e. tapetibus pretiosis ac mollibus. Etiam Doederlinius in vulgata conquievit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Unguere si caules oleo meliore caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun sanus? Populum si caedere saxis
Incipias servosve tuos, quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es. Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genitricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram, tantum maledicit utrique vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.

— *tun sanus*] »Tu profecto sanus non es; quamquam bene scio populo eos solos insanos videri qui raris, non vulgaribus vitiis laborent; veluti si quis populum saxis caedat vel magno pretio emptos servos vulneret, eum omnes insanum habebunt, verum si quis uxorem matremve laqueo vel veneno clam tollat, is quoniam in media urbe Roma veneficis referta vulgare facinus commisit neque apertam ut Orestes vim matri intulit, plurimis insanus non videbitur.« cf. Epist. I, 1, 101. — *servosve tuos*] Sic codd. longe plurimi et optimi, etiam veteres editiones. Sed »si semel, inquit Bentleius, tuos dixeris, nihil attinet illa adiicere *quos aere pararis*, ut ne addam *servos tuos quos χαχοφωνίᾳ* sua aures offendere et vulnerare.« Itaque coniecit legendum esse *servosve, tuo quos*; ingeniose quidem, sed falsis rationibus motus. Nam illa *quos aere pararis* causam habent, unde magna in servis vulnerandis insania intelligatur: quamquam, inquit, servos tuos magno tibi pretio parasti, tamen nunc vulneras tibique ipse damnum paras. De *χαχοφωνίᾳ* vix dicendum erat. Bentleium secuti sunt Haupt., Meinek, Linker., Krueger., Kirchner.; vulgatam probarunt Doederlin., Ritter. — *pueri*] vide ad Sat. I, 1, 85. — *clamentque*] De transposita particula *que* vide ad Carm. II, 7, 25; exemplis ibi collatis adde praeter hunc locum versus 157. 180. 182. 242. Sat. II, 7, 64. — *incolumi capite es*] ex opinione vulgi. — *male tutae mentis*] i. e. insanus.

V. 139. *Pyladen*] Orestis exemplum Stoicis fuit usitatissimum; inde etiam apud Persium 3, 118: »Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.« Ceterum ratio hic habita est Orestis Euripidei v. 264, quo Orestes Furiam appellat sororem (*μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐριννύων*). — *splendida bilis*] »Bili morbose condensatae et propterea asphalti specie splendescenti a medicis tribuebatur *μελαγχολία*.« Orellius, cf. Pers.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves lactus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit; addit et illud:
Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.
Men vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!
Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis? —
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?
Stultus et insanus. Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.

3, 8 »turgescit vitrea bilis.« — *pauper argenti*] Sat. I, 1, 79. cfr. Carm. III, 16, 28. Iam reiecta populi de insania opinione ad avarum Stertinius redit eumque eo profectum esse ostendit insaniae ut opes ipsa vita cariores habeat (v. 142—159). Opimius nomen est hominis ignoti. — *Veientanum*] vile vinum. — *trulla*] qua vinum ex crātere in pocula infunditur. Campana vilis est. Vide ad Sat. I, 6, 118. — *hoc age*] Verba sunt praeconis in sacris incipiendis ad excitandos hominum animos, ne aliarum rerum cogitatione distraherentur. — *quid vis*] Opimii sunt verba. — *inopem*] defectum viribus, prorsus exhaustum. — *ingens fultura*] Senec. epist. 95: »vino fulcire venas cadentes.« Lucret. IV, 868: »Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus.« *Ingenti* autem opus est fultura, quia plane exhaustus est homo. Alii tamen quibus ineptum videbatur, graviter aegrotantis hominis curationem ab athletico victu inchoare, nec veri simile, oryzae ptisanarium ingentem fulturam praebuisse, locum emendandum esse putarunt, Bentleius: *praesens*, Markland.: *ingesta*, Sanado: *instans*, Horkelius: *id genus*. — *ptisanarium*] sorbitio ex fervente aqua et oryza, saepius hordeo, facta. Oryzam ea aetate ex Aegypto ad usus medicorum apportabant. Ceterum antepaenultimam syllabam, natura brevem, produxit Horatius, ut versui satis faceret. Ptisanarium deminutiva forma est, qua consulto utitur medicus, ne nimis perterrefaciat avarum aegrotantem. — *morbo*] morbi curatione; suas enim putat opes minores esse quam quibus possit curatio praestari, cum ptisanarium iam octo assibus constet. Dicit igitur medicum, a quo defensus sit a rapinis heredum, nunc se perdere pretiosis medicamentis. — *cur, Stoice*] Ita se ipse interrogat Stertinius; ut apud Arrian. Epist.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non est cardiacus - Craterum dixisse putato -
Hic aeger: recte est igitur surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non est periurus neque sordidus; immolet aequis
Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax;
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives
Antiquo censu, gnatis divisse duobus
Fertur et hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem;
Extimui, ne vos ageret vesania discors,
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater et natura coërcet.
Praeterea ne vos titillet gloria, iure
Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve

2, 20, 22: *τί λέγεις, φιλόσοφε;*« — *cardiacus*] qui ex stomacho laborat; *καρδία* enim non *cor* tantum, sed etiam os ventriculi est. — *Craterum*] quo nobili medico usus iam erat Atticus. Cic. ad Att. XII, 14. — *tententur*] Sic antiquissimi codices, alii *tentantur*. Coniunctivus causam habet cur neget medicus; ex cuius animo melius haec proferuntur quam simpliciter adduntur a Stoico. Epist. I, 6, 28 idem prope versiculus legitur; ibi autem recte codices indicativum tuentur. Hauptio si credimus, versiculus ex epistola I, 6, 28 huc ab interpolatore translatus est; Carolus contra Frid. Hermannus ex hoc loco in epistolam intrusum esse affirmavit. Servabimus versum in utroque loco, quamquam Hauptio Meinekius et Linkerus assentiuntur. — *aequis*] cf. Carm. II, 4, 16. III, 23, 4. — *audax*] mala enim ambitio (v. 78) homines impellit ad quidvis audendum. — *barathrone*] largitionibus, quibus popularis aura captatur. Id qui facit, non melius facultatibus suis utitur quam avarus, qui intactus eas servat. Cur ita, exemplo Servii Oppidii probatur. — *divisse*] cf. v. 273. Sat. I, 9, 73. I, 5, 79. — *antiquo censu*] Recte Acron: »quia si quis antiquitus duo praedia habebat, dives censebatur.« Quamquam Oppidium non antiquo tempore vixisse v. 185 ostendit.

V. 172. *sinu laxo*] ex quo facile poterant excidere. Quod deinde positum est *ludere vidi*, intelligendum de iis ludis puerorum, quo res perdi poterant; hos vitio dat pater, non item reliquos. Non opus est Bentleii coniectura *perdere* pro *ludere*. — *Nomentanum*] cf. Sat. I, 1, 102. De Cicuta vide supra v 69. — *intestabilis*] Etsi proprium est de

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere aut aeneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis;
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem.
Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam
Rem imperito; ac si cui videor non iustus, inulto
Dicere quod sentit permitto. Maxime regum,
Di tibi dent capta classem redducere Troia!
Ergo consulere et mox respondere licebit?
Consule. Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putescit, toties servatis clarus Achivis,
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixen

eo cui interdictum est iure testandi, testamenti faciendi vel testamento aliquid accipiendi, tamen saepe apud Tacitum et Plinium legitur pro *detestabilis*, *exsecrandus*. Sal. Iug. 67: »Turpilius improbus *intestabilisque* esto.« — *in cicere*] Significantur ludi aedilium, quibus cibaria distribuebantur plebi. — *aut aeneus*] Sic plurimi codices; ex paucis primus Bentleius *et aëneus*, ne aeneus τρισυλλάβως pronuntiandum esset. Quod quamquam sine exemplo est, (nam quod affertur, Ovid. Met. VII, 247, incertum est, cum ibi in codd. partim *aeneaque* partim *aereaque*, partim *alteraque* reperiatur,) praestat tamen hoc ipsum pro exemplo habere quam necessariam *aut* particulam oblitterare. Nam per quendam iocum *spatiari* et *stare* verba opposita sunt inter se. — *latus*] ut Epod. 4, 7. — *imitata leonem*] Ad hunc usque locum pergit Oppidii oratio ad filios. Qua absoluta Stoicus pergit in demonstranda ambitionis insania, et ut summos etiam homines eodem vitio laborare ostendat, summum et nobilissimum inter omnes reges Agamemnonem arcessit et explorat (v. 187–223). In quo loco noli credere, fingi ab Horatio colloquium inter Agamemnonem et gregarium militem; immo vero ipse Stertinius est qui alloquitur Agamemnonem et Stoicorum vivida disputandi ratione ex eiusdem sententia et persona sibi ipse respondet. Stoicum arcessere omnes legimus v. 80 sq. — *humasse*] perfectum ex antiqua legum formula. — *di tibi dent*] cf. Hom. Il. I, 18. — *redducere*] De duplice littera *d* vide Zumpt. gr. §. 22. cf. Carm. II, 1, 28. Sic quater apud Lucretium, ut Lachmann. p. 303 ostendit. Et sic omnes prope codices. Alii ut Haupt., Mein., Linker., quibus producta prima syllaba displiceret, maluerunt *deducere* i. e. domum ducere; qua tamen mutatione opus non est. — *ab Achille*] Hom. Il. II, 768. Virg. Bucol. 5, 49. — *Priami*] Hom. Il. I, 255. — *mille ovium*] Genitivum intelliges, cum *mille* substantivum quoque nomen esse memineris; alia exempla non ita rara sunt: Cic. Mil. 20, 53. Corn. Nep. Dat. 8, 3. Agamemnonis hi duo versus sunt.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato: mala multa precatus Atridis,
Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixen.
Verum ego, ut haerentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.
Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
Qui species alias veris scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur; atque
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira:
Aiax cum immeritos occidit, desipit, agnos;
Cum prudens scelus ob titulos committis inanes,

— *clamans*] minitans; consulto hoc verbum in fine versus positum, quo clarius eluceat discrimen inter Agamemnonis factum et Aiacis. — *rectum animi*] rectam mentem, τὸ ὀρθόν. — *quorsum*] quorsum haec spectant, inquit Agamemno. — *uxore*] Tecmessa; filius fuit Eurysaces. — *ipsum Ulixen*] cui vel maxime irasceretur.

V. 205. *adverso littore*] est Troiae e regione oppositum. Agamemnonem refellens v. 208 Stertinius paulatim ad generalem disputationem relabitur; colloquio quidem finito insania tamen Agamemnonis usque ad finem totius loci v. 223 lepida ἀντιθέσει filiae et agnae festive describitur. — *species alias*] Species sunt cogitationes et opiniones animo conceptae. Cic. Acad. I, 8: »Hanc illi ἰδέαν appellabant iam a Platone ita nominatam; nos recte speciem possumus dicere.« Insequens vocabulum *veris* sumptum est ex tribus quattuorve antiquissimis codicibus; reliqui prope omnes *veri*, pauci *vero*. Qui *veri* legunt, iis necessitas omnino imposita est coniungendi verba *veri scelerisque tumultu*; quo facto rectam explicationem specierum *aliarum* invenire non possunt, cum *alius* neque sit *inter se diversus* neque *alienus* (fremde Gebilde *Kirchner*) neque quidquam efficias si addere velis *atque eas quae hominibus esse solent*. *Veris* ablativus est, de quo compara Epist. I, 16, 20. II, 1, 240. Sententia est: qui species capiet veritati contrarias (glossa antiquiss. cod. Bland.) et conturbatione malae cupiditatis (*sceleris*, cf. v. 213 *vitium*) confusas, is mente captus habebitur. Haec sententia Aiacem non minus attingit quam Agamemnonem, nec opus videtur emendatione. Horkelius coniecit: *cerebrique tumultu*. cf. Carm. II, 16, 10. Quintil. VII, 2, 44: »An etiam, si nulla ratione ductus est, impetu raptus sit et absque sententia. Nam vulgo dicitur: scelera non habere consilium.« Recte iam *Ascensius*: »sceleris i. e. iniquitatis; permixtas i. e. confusas; tumultu i. e. turbatione.« — *commotus*] mente captus; movetur animus libidinibus et perturbatur. cf. v. 278. — *prudens*] Consulto ex v. 206 repetitum. — *committis*] Sic uno excepto omnes codd. Cruq. et alii, quos ut deseramus cum aliisque (Haupt., Meinek., Linker., Ritter., Krueger., Kirchner.) scribamus *admittis*, nihil est quod possit suadere. Dicebant committere flagitium, caedem, furtum, similia. — *stas animo*] bene ponitur contra illud *commotus habebitur*. — *cor*] sedes affectionum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Stas animo et purum est vitio tibi, cum tumidum est, cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatae, paret ancillas, paret aurum,
Rufam et Pusillam appellet fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes;
Verba facit leno: Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum et vel nunc pete vel cras.
Accipe, quid contra iuvenis responderit aequus;
In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum

et cupiditatum, ut Carm. I, 23, 8. A. P. 98. Hom. Il. IX, 646. — *Rufam et Pusillam*] Cum non propria nomina haec sint sed blanda et *ὑποκοριστικά*, *et* particulam ex auctoritate antiquissimorum codicum alteri *aut* praeferendam duxi. — *interdicto*] Ex lege XII tabularum praetor furioso bonis interdicebat et curatorem constituebat ex agnatis. cf. Epist. I, 1, 102. — *vitrea fama*] vide ad Carm. I, 17, 20. — *Bellona*] Tibull. I, 6, 45: »Haec ubi Bellona motu est agitata, nec acrem Flammam, non amens verbera torta timet. Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos Sanguineque effuso spargit inulta deam.« Significantur fanatici ex aede Bellonae, qui furiosorum more saltantes destrictis gladiis sese cruentabant, praecipue a. d. IX. Kal. April., qui dies inde *sanguinis dies* appellabatur.

V. 224. Iam tertium genus insanorum arcessitur. cf. v. 79. — *vincet ratio*] Sat. I, 3, 115 coll. infra 250. — *edicit*] tanquam praetor per praeconem vel tabula publice posita. — *Tusci vici*] ubi lenones habitabant, de quibus Plaut. Rud. III, 2, 38 (651): »Fraudis, sceleris, paricidi, periuri plenissumus, Legirupa, inpudens, inpurus, inverecundissimus: Uno verbo absolvam, leno est.« — *fartor*] qui aves saginat, *ὀρνεοτρόφος*. Alii botularium intelligere malunt. Cicer. de off. I, 42. — *Velabro*] »locus Romae, ubi prostabant omnia quae ad victus rationem et delicias pertinebant.« Comm. Cruq. — *macellum*] ubi caro, pisces, obsonia vendeban-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Coenem ego, tu pisces hiberno ex aequore verris:
Segnis ego indignus qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem bacam: qui sanior ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coëmptas,
Quorsum abeant? Sani ut creta an carbone notati?

tur. Epist. I, 15, 31. — *Quid tum?*] Meinekii coniecturam *ut venere freq.*, probavit Linkerus, reiecerunt Teuffelius et Doederlinius. — *leno*] »Apud luxuriosum leno primum loquitur tanquam patronus omnium nebulonum.« Comm. Cruq. — *Lucana*] In saltibus Lucaniae optimi apri; cfr. Sat. II, 8, 6. — *hiberno*] cf. Sat. II, 2, 17. — *pisces verris*] everriculo. — *segnis*] acerbissime dictum ut supra v. 233 *aequus*. — *decies*] centena milia sestertium. — *Aesopi*] tragici actoris et Ciceronis amici. — *Metellae*] Caecilia Metella, uxor P. Cornelii Lentuli Spintheris, repudiata ab eo a. u. c. 709. — *solidum*] integram summam decies sestertium (82214 flor. Rhen.). Plin. H. N. IX, 35 ubi Cleopatram detractum ex altera auricula unionem aceto dilutum absorbuisse et sic uno haustu decies sestertium consumpsisse narravit, »prior, addit, id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius tragoedi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus heres.« — *exsorberet*] Alii ex codd. *obsorberet*, alii *absorberet*, Cruquius tamen *exsorberet*, de suis codd. nihil admonens, ita ut suspiceris, in omnibus eum id quod scripserit repperisse. Vide etiam ad Sat. II, 8, 24. — *Arri*] vide supra v. 86. — *pravorum et*] vide ad Carm. I, 2, 9. — *luscinias*] Plin. H. N. X, 29: »Servorum illis (lusciniis) pretia sunt et quidem ampliora quam quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex candidam alioquin, quod est prope inusitatum, venisse, quae Agrippinae, Claudii principis coniugi, dono daretur.« Ceterum pronuntia tribus syllabis. Vide ad Carm. III, 4, 41. — *prandere*] Sic prandere non ponitur contra coenam, sed videtur generale vocabulum esse de quovis epulo. Epist. I, 17, 13. A. P. 340. — *sani ut*] Scribendum putavi *sani ut creta an carbone notati*? auctoritate motus quattuor antiquissimorum codicum, inter quos duo Blandinii, Cruquii, duorum Orellii, aliquot Bentleii et quattuor Pulmanni. De particula *ut* Gesnero quoque probata dubitari nequit. cf. Sat. I, 3, 89. Ovid. Am. III, 11, 12: »Excubui clausam *servus ut* ante domum.« Deinde *notati* quoque participium, in quattuor codd. Bland., Buslid. et Tons. Cruquii in multisque aliis repertum, recte se habere videtur, dummodo alteram interrogationem quam proxime cum superiore coniungas: quorsum abeant, postquam utra ratione, creti ut sani an carbone, notati sunt? Et bene iam Bentleius: »non abeunt ablegati ad insanos, *notandi* carbone; sed iam tum *notati* illuc deportantur.« Praeterea cave ne cum Orellio pro lectione *notandi* Acronis scholion afferas; in antiquis enim editionibus totum illud scholium desideratur. Meinekius: *sanin* creta an carbone *notandi*? Haupt. et Linker.: *sanin* et *notati*; idem Teuffelius prae-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare,
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores; quaero, faciasne quod olim
Mutatus Polemo, ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat:
Sume, catelle: negat: si non des, optet: amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? Nec nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat: redeam? Non, si obsecret. Ecce
Servus non paulo sapientior: O here, quae res

tulit; contra Doederlinius sic: *sani ut .. notandi*; Ritter.: *sani* creta an carbone *notati*? Pers. 5, 108: »Illa prius creta, mox haec carbone notasti.« Vide ad Carm. I, 36, 10.

V. 247. *aedificare*] Luxuriosis etiam adnumerandi sunt qui amore meretricum uruntur; de horum insania disputatur vv. 247—280. — *ludas opus*] opus serium ludendo imiteris. — *Polemo*] »Iuvenis fuit Atheniensis perditae luxuriae. Is cum ebrius incederet per urbem, fertur audisse e propinquo Xenocratis vocem disputantis, deinde introisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit et invectus in luxuriam coegit Polemonem poenitere sui et coronas abiicere: qui postea tantus in philosophia (Academica) exstitit, ut dignus existimatus sit qui Xenocrati succederet.« Comm. Cruq. — *fasciolas*] »fasciolae ornamenta quaedam sunt brachiorum, pedum, articulorum vel vittae; *cubital* pulvillus qui cubito coenantis supponi solebat; *focalia* collaria ad fovendum collum et fauces.« Idem. — *impransi*] sobrii. Sat. II, 2, 7. — *catelle*] blanda allocutio. — *optet*] Sic recte recentissimi editores pro *optat*, quod ante Bentleium praeferebatur. — *qui distat*] cf. v. 108. — *agit*] De producta altera syllaba cf. ad Carm. III, 5, 17. 24, 5. — *Nec nunc*] Totus locus sumptus est ex Terentii Eunucho I, 1, 1: »*Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias? Exclusit, revocat. Redeam? non, si me obsecret.*« Haec ibi Phaedria; cui servus Parmeno v. 12: »*Here, quae res in se neque consilium neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes. In amore haec omnia insunt vitia, iniuriae, Suspiciones, inimicitiae, induciae, Bellum, pax rursum; incerta haec si tu postules Ratione certa*

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursum: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi: nihilo plus explicet ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiae atque ignem gladio scrutare. Modo, inquam,
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit? an commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat et, Unum, —
Quid tam magnum? addens — unum me surpite morti;
Dis etenim facile est, orabat, sanus utrisque

facere, nihilo plus agas, Quam si des operam ut cum ratione insanias.« Ceterum *nec nunc* recepi ex bonis codd., nam quod scriptum est in aliis codd. *ne nunc*, id refellitur consuetudine Latina, quae *ne* particulam pro *ne-quidem* aspernari videtur. — *Picenis*] Sat. II, 4, 70. — *gaudes*] quia faustum inde amoris augurium capis. Est lusus amantium. — *feris*] quia a palato verba repercutiuntur. — *ignem gladio scrutare*] Imago Pythagorica πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν. Est insanos tumultus mentis concitare. Sententia est: Nugis adde cruenta facinora atque ardorem cupiditatis auge etiam crudelitate. — *Modo*] coniungenda particula est cum *percussa. Inquam*, quod affirmantis est, additur, quia exemplo Marii praecedens generalis sententia explicatur. Frankii coniectura: »*scrutare modo, in quem Hellade* cet.«, blanda quidem est, sed illud offendit, quod, cum *gladio* vocabulum in generali sententia positum sit, idem relativo *quem* in specialem violentius transfertur. In MSS. nulla est varietas. Haupt., Meinek., Linker., Doederl. receperunt *in quem*; Ritter. coniunxit »*scrutare modo, inquam.*« — *Hellade*] puellae nomen est. Acron: »Marius quidam ob amorem Helladen quandam puellam occidit, cum ab ea contemneretur, et se postea moerore praecipitavit.« — *cognata vocabula*] non multum diversa; scelus enim ab insania non multum distat ex Stoicorum doctrina. Meinekius recepit Horkelii coniecturam *non nata*.

V. 281. Transit ad quartum genus insanorum (v. 280—295); vide supra v. 79. Duo superstitionis exempla inter se contraria ponuntur, unum libertini (281—287), alterum insanae matris (288—294). — *circum compita*] ubi Lares Praestites positi erant. — *quid tam magnum*?] Sic optimi codd. Alii *quiddam*. »Non magnam, ait, rem postulo; ut unum saltem ex tot milibus morti eripiatis; vobis certe, o di, hoc facto fa-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? Timore deorum.
Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris,
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid? caput abscissum manibus cum portat Agave

cillimum est.« Bentl. — *litigiosus*] Digest. XXI, 1, 1: »Aiunt Aediles: Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus errove sit noxaeve solutus non sit, eaque omnia, cum ea mancipia venerunt, palam recte pronuntianto.« — *Meneni*] »Menenius fuit illis temporibus insanus. Unde Meneniae stultitiae vel ineptiae.« Porphyr. — *cubantis*] vide ad Sat. I, 9, 18. — *ieiunia*] Etiam inter gentiles superstitiosi homines, cum magnis calamitatibus premebantur, ieiunia servabant. cf. Liv. XXXVI, 37. Tertull. de ieiun. 15: »Cum stupet coelum et aret annus, *nudipedalia* denuntiantur, ... Iudaicum certe ieiunium ubique celebratur.« Recte Acron: »quasi legem Iudaeorum pulsat.« Sat. I, 9, 70. Superstitiosi Romani a Iudaeis et ex Aegypto non pauca sumpserunt: Romana autem mulier ieiunia Iudaica ad summum deum suae gentis, Iovem, transfert. Pharisaei bis per hebdomadem, secundo die et quinto (die Iovis) ieiunia habebant. — *timore deorum*] nimirum superstitioso ideoque reiiciendo; δεισιδαιμονίᾳ. — *pendentia tergo*] Referunt interpretes haec ad Aesopicam fabulam ap. Phaedr. IV, 10: »Peras imposuit Iuppiter nobis duas: Propriis repletam vitiis post tergum dedit, Alienis ante pectus suspendit gravem.« Quid tamen prohibet quominus de trahentibus caudam (v. 53) dictum putemus?

V. 300. Ut redeat sermo unde exiit, interrogat Horatius Stoicum, qua se dicat insanire insania. De particula *sic* vide ad Carm. I. 3, 1. — *post damnum*] cf. supra v. 18 sq. — *pluris*] Gloriatus erat Damasippus v. 24 se unum cum lucro scivisse aedes vendere; quare maius etiam lucrum nunc ei optat Horatius. Haupt., Meinek., Linker. *quam me stultitiam* ex eodem hellenismo, qui est v. 63. Sed cf. v. 295. Teuffelius ablativum recte defendit. — *quid*] Quid, inquit Damasippus, mirum, quod tu sanum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
Stultum me fateor, liceat concedere veris,
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. Accipe: primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis, et idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est
Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? Num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Maior dimidio. Num tantum? Cum magis atque
Se magis inflaret, Non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Haec a te non multum abludit imago.
Adde poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino;
Quae si quis sanus facit, et sanus facies tu.
Non dico horrendam rabiem. Iam desine. Cultum
Maiorem censu. Teneas, Damasippe, tuis te.
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O maior tandem parcas, insane, minori!

te putas? Nonne idem etiam Agave? De qua lege Ovid. Met. III, 725. — *liceat*] Sic recte codices; Horkelius coniecit *lex est*, Meinekius *vincat*. — *aedificas*] in Sabino nuper accepto. Liv. VI, 11, 9: »Et erat aeris alieni magna vis, re damnosissima etiam divitibus, aedificando contracta.« Cic. de off. I, 39, 139. Notanda etiam Lacedaemoniorum imprecatio: *οἰκοδομά σε λάβοι*. — *longos*] ambigue dictum de longitudine corporis et de magnitudine opum. cf. v. 212. — *bipedalis*] cf. Epist. I, 20, 24. — *Turbo*] »gladiator fuit exiguo corpore sed animosus pugna.« Porphyr. — *spiritum*] audaciam, temeritatem. — *tantum dissimilem*] vide ad Sat. I, 8, 17. — *maior dimidio*] Sic respondet pullus, cui obstupefacto et imperito rectum de magnitudine vituli iudicium non est. Fabula apud Phaedrum est I, 24. — *oleum*] Ex proverbio; sic Graeci *πίττῃ καὶ ἐλαίῳ πῦρ κατασβεννύναι*. — *Quae si quis*] cf. A. P. 296 sq. Sat. II, 7, 117. — *rabiem*] Epist. I, 20, 25. — *insane*] Egregius hic versiculus, qui dum magnam laudem parat, uno vocabulo in salsissimam irrisionem subito cadit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Satira IV.

Unde et quo Catius? Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis, qualia vincunt

Satira IV.

De hac satira haud dubie post secundam scripta — vides enim Sat. II, 2, 52 sq. huic quasi viam muniri — verissime olim disputavit Wuellner (progr. schol. Düsseldorp. 1833). Etenim »verum, inquit, poetae in hac satira scribenda consilium discendum est primum ex ipso argumento quod cernitur in compluribus praeceptis laute et delicate vivendi (vv. 12—87). Secundum est quod in his praeceptis, quae maximam partem vulgaria sunt ac trita sed ut nova exhibentur, nonnulla communi veterum usui plane repugnant sive falsa sunt: utrumque quin studio quaesiverit Horatius nullo modo dubium est. Deinde Catius praecepta illa convivalia non ut a se cognita tradit, sed memoriter ea et quasi sine sensu decantat: unde initio carminis poeta eum cursu celerrimo praeterire cogitat, ut continuo singula litteris consignet, priusquam ex animo suo quidquam exciderit. Quarto loco tenendum est verum auctorem sapienter dictorum sedulo occultari et arcana quadam magnitudine involutum esse tanquam alterum Tyanensem Apollonium. Porro facile vides non temere occultari nomen auctoris, sed hoc eo fieri consilio ut praecepta a Catio memorata cum nulla re alia comprobentur, dignitate auctoris confirmata et ampliora esse videantur. Denique Catius nova sua praecepta talia esse praedicat, ut vincant »Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.« Atque Horatius illa sub finem carminis ironice dicit praecepta vitae beatae, se quoque a magno illo magistro ea discere velle simulans; cum nemo sanus talia discere velit sed suum quisque sensum et palatum sequi debeat.« Et deinde: »Ergo Horatius hac satira describit gastronomorum praecepta, quae pro novis et inauditis venditentur, pleraque vulgaria esse et omnibus nota, alia ex arbitrio et libidine singulorum hominum pendere et commenticia esse. Quare si quis in gustando princeps hodie inter lautas epulas edixisset pratenses fungos ceteris meliores esse et caulem in siccis agris natum suburbano dulciorem (cf. vv. 15 et 20) vel panem nigrum inter delicatissima cupedia numerandum esse, omnes harum rerum studiosos hoc ita verum esse continuo gustare quamvis reclamante palato. Et tamen hanc disciplinam tam vulgarem tamque arbitrariam sub eiusmodi hominibus veram artem beatae vitae dici tantaque diligentia doceri ac disci, quasi nihil rerum humanarum gravius aut difficilius sit.« Catium autem sumpsit Horatius ex Ciceronis epistolis ad Fam. XV, 16; in qua epistola anno fere 708 scripta Catii Insubri, Epicurei philosophi, nupera mors commemoratur. Idem saepius factum ab Horatio Trebatius Testa ostendit (Sat. II, 1). Et conferas Quintil. X, 1, 124: »In Epicureis levis quidem sed non iniucundus tamen auctor est Catius,« quem quattuor libros de rerum natura et de summo bono scripsisse tradunt scholiastae ad h. l. Iguotum praeceptorum auctorem (v. 10. 89 sqq.) alii ipsum Horatium mira sui ipsius irrisione putant, alii non felicius Maecenatem. Verum ut auctoris nomen concessum nobis non est explorare, nisi forte ab Horatio fictum auctorem credere praestat, ita in ipso carmine quis dubitat quin non pauca insint quae nostram rei culinariae antiquorum scientiam effugiant, perspecta autem si essent, maiorem nobis crearent ex carmine delectationem. Scriptam esse hanc satiram alii a. 722 alii a. 724 opinantur; Weberus suspicatur carmen scriptum esse aestate (cf. v. 21) a. 726, Zumptius contra compositum iam esse a. 714. Desunt certae rationes, quibus innisi tempus reperire queamus.

V. 2. *ponere signa*] idem est quod consignare litteris, eo fortasse discrimine, quod in ponendo signa simul inest notio firmitatis; hoc enim

Αριστοτέλειο Κεντρική Βιβλιοθήκη Θεσσαλονίκης

Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.
Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim; sed des veniam bonus oro.
Quodsi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque.
Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues tenui sermone peractas.
Ede hominis nomen, simul et Romanus an hospes.
Ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut suci melioris et ut magis alba rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano qui siccis crevit in agris
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,

prohibiturus est Catius ne quid sibi excidat. — *vincunt*] Sic multi et antiqui codices; recte, cum nihil certius sit Catio. Coniunctivo *vincant*, quem ex paucis codd. alii receperunt, equidem futurum *vincent* ex antiquissimo Codice Cruquii et uno Pulmanni praeferrem. Pro coniunctivo non licet citare Epist. I, 4, 3, qui locus ab hoc versu valde diversus est. — *Anytique reum*] cf. Plat. Apol. Socr. p. 23. E. — *tempore laevo*] Sat. II, 1, 18. — *sive artis*] »optima es memoria et naturali et artificiali.« Comm. Cruq. Artem memoriae, ut dicit Quintil. XI, 2, 11, primus ostendisse dicitur Simonides. Qui arte memoriam studuerunt adiuvare, ea quae essent tenenda fictis locis et imaginibus fixerunt; de quibus Quintil. XI, 2, 21: »Opus est ergo locis quae vel finguntur vel sumuntur, imaginibus vel simulacris quae utique fingenda sunt. Imagines notae sunt, quibus ea quae ediscenda sunt notamus, ut, quomodo Cicero dicit, locis pro cera, simulacris pro litteris utamur.« Ponit igitur Horatius Catium singula praecepta certis iam locis et imaginibus fixa tenere; quod quidem a se factum ait Catius versu 8. — *tenues*] subtiles. Metaphora unde sumpta sit, intelleges ex Epist. II, 1, 225. — *peractas*] cf. Sat. I, 10, 26. — *canam*] tanquam vates. — *ovis*] Incipit ab ovis i. e. ab initio coenae (Sat. I, 3, 6) et simplicissimo cibo, cuius tria genera, ova, caulis, gallina, breviter tractantur (v. 12—20). — *ovis*] Plin. H. N. X, 52: »Quae oblonga sunt ova gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Feminam edunt quae rotundiora gignuntur, reliqua marem.« Columella VIII, 5, 11: »cum quis volet quam plurimas mares excludi, longissima quaeque et acutissima ova subiiciet, et rursus cum feminas, quam rotundissima.« Contrarium tradit Aristot. H. A. VI, 6, 2: *Ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν θήλεα, τὰ δὲ στρογγύλα καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ ἄῤῥενα.* — *alba*] Non est necessaria coniectura Bentleii *alma*, quam iniuria probarunt Heindorf., Haupt., Meinek. Ova enim cocta et dura in partes dissecta in mensa apponebantur. Martial. X, 48, 10 »*Secta* coronabunt rutatos *ova* lacertos« V, 79, 5 »*divisis* cybium latebit *ovis*.« — *ponere*] Sat. II, 2, 23. — *callosa*] Indicatur putamen ovi, callosa pars ovi. — *elutius*] insipidius. Contra-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam misto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunae,
Sed non omne mare est generosae fertile testae:
Murice Baiano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini,

rium eorum est iudicium qui de re hortensi scripserunt; omnes enim aiunt caulem brassicam gaudere solo humido et minus aprico. — *malum*] pro *male*, ut Carm. II, 19, 6. III, 27, 67, alias. — *misto Falerno*] De hac omnium librorum MSS. scriptura Bentleius: »quid rogo, inquit, sibi vult *misto Falerno*, cum nihil quidquam hic sit quocum misceatur? Ergo subintelligi hic volunt interpretes *cum aqua*. Unde hoc iis compertum? Cur magis *cum aqua* quam *cum melle, oleo* vel alio quovis liquore?« At vero nihil hic obscuritatis est. Solet a simplicibus hominibus gallina coqui in aqua, cui admiscendum docet artifex culinarius Falernum; quamquam hoc novum, ut ait ille, praeceptum nihil fortasse distabit a delicatulorum hominum vulgari ratione. Nihil opus esse videtur Bentleiana coniectura *musto Falerno*. Deinde non vinum solum aquae additum teneritatis causa est, sed »suffocatio spirituumque vitalium intus violenta conclusio carnem quodammodo maceratam tenerescere facit.« Cruq. V. 21. Quae insequuntur de salubritate ciborum quorundam praecepta aut falsa videntur aut vulgaria. De promulside Plin. H. N. XXII, 24: »Semper mulsum ex vetere vino utilissimum facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. Ex austero non implet stomachum.« — *Aufidius*] Suspicantur viri docti, hunc esse M. Aufidium Lurconem, de quo Plin. H. N. X, 20: »Saginare (pavones) primus instituit circa novissimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco exque eo quaestu reditus sestertium sexagena M. habuit.« — *vacuis venis*] stomacho ieiuno, ut in initio prandii cf. Sat. II, 3, 153. — *prolueris*] cf. Sat. I, 5, 16. — *mitulus*] conchula esculenta. Cels. II, 29: »Alvum movent cochleae, ostrea, pelorides, echini, musculi et omnes fere conchulae maximeque ius earum.« — *albo Coo*] Plin. H. N. XIV, 8, 78: »Coi marinam aquam largiorem miscent (vino) a servi furto origine orta sic mensuram explentis, quae translata in album mustum *leucocoum* appellatur.« — *nascentes lunae*] Plin. II, 42: »Lunari potestate ostreorum conchyliorumque et concharum omnium corpora augeri ac rursus minui exquisivere diligen-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
Nec sibi coenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est cara pisces averrere mensa,
Ignarum, quibus est ius aptius et quibus assis
Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit:
Nequaquam satis in re una consumere curam;
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si coelo supponas vina sereno,

tiores.« Iam transit Catius ad singulas delicias et cibos, hic quoque vel falsa vel omnibus nota prodens. — *patulis*] Arist. H. A. IV, 4: »τῶν δὲ ἄλλων (ὀστρακοδέρμων) τὰ μέν ἐστι δίθυρα, τὰ δὲ μονόθυρα· τῶν δὲ διθύρων τὰ μέν ἐστι ἀνάπτυχα, οἷον οἱ χτένες καὶ οἱ μύες· ἅπαντα γὰρ τὰ τοιαῦτα τῇ μὲν συμπέφυκε, τῇ δὲ διαλέλυται, ὥστε συγκλείεσθαι καὶ ἀνοίγεσθαι.« — *averrere*] Sic plurima pars antiquissimorum codicum, alii *avertere*. cf. Mart. II, 37, 1: »Quidquid ponitur (in mensa) hinc et inde *verris* . . . Haec cum condita sunt madente mappa Traduntur puero domum ferenda.« Plaut. Truc. II, 3, 8: »Domi quidquid habet verritur ἔξω.« Mensa autem est piscatoria in foro. Sententia haec est: non satis est omnes pretiosos pisces quovis pretio coëmisse, ut, cum tu ad mensam piscatoriam steteris, omnes pisces quasi scopis collecti videantur, sed accedat oportet ars et scientia quodvis genus ex sua natura parandi et apponendi. — *languidus*] edendo iam fatigatus. — *reponet*] Carm. I, 27, 8. Comm. Cruq.: »suavitate condimenti ad edendum revocabitur.«

V. 41. *carnem inertem*] fatuam. Praefert hic Umbricum aprum Laurentino ab aliis magis laudato; nam Statius certe Silv. IV, 6, 12: »Tuscus aper generosior Umbro.« Becker. Gall. T. II. p. 168 (ed. Imae): »Der Eber war in der Regel das Hauptgericht einer grossen coena, und der Anstand verlangte, dass er ganz auf den Tisch kam.« Sat. II, 3, 234. II, 8, 6. — *fecundae leporis*] Adiectivum e natura sumptum leporis, nam non est *praegnantis*. Alii *fecundi*, sed femininum genus tuetur antiquissimus codex Cruq. Iam Priscianus docet *hic* et *haec lepus* dici. cf. Sat. II, 8, 89. — *aetas*] Inven. 4, 140: »Circeis nata forent an Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu, Et semel adspecti littus dicebat echini.« Hic quoque primo se morsu dignoscere posse gloriatur, ubi natae aves

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis
Flagitat in morsus refici, quin omnia malit,
Quaecunque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis

et pisces et qua sint aetate. — ***Massica***] Ab exemplo quo v. 49 usus est Catius ultro ad vinorum praecepta aufertur in iisque pergit usque ad v. 62. — ***tenuabitur***] Plin. H. N. XIV, 27: »Campaniae vina nobilissima exposita sub dio in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videtur.« Porphyrionem si audimus, ea tantum *Massica* sereno coelo supponebant antiqui, quae poturi erant insequenti die. — ***nervis***] corpori. cf. Epist. I, 15, 6. — ***lino vitiata***] vide ad Carm. I, 11, 6. — ***Surrentina***] Plin. XIV, 8: »Ad tertiam palmam venere Surrentina convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque.« Colum. XII, 30: »Si qua vina erunt duriora aut minus bona, sumito faecem vini boni et panes facito et in sole arefacito et coquito in igne, postea terito et pondo quadrantem amphoris singulis infricato et oblinito.« Quod si factum erat, postea ovo columbino defaecandum erat vinum. Haec quoque praescripta omnibus haud dubie fuerunt nota. — ***marcentem***] nimio potu torpentem; sic Tacit. Hist. III, 36 Vitellium »desidem et marcentem« appellat. — ***acri stomacho***] aestuanti. Ceterum haec de lactuca doctrina contraria est Romanorum consuetudini. Martial. XIII, 14: »Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?« Virg. Moret. 76: »Grataque nobilium requies lactuca ciborum.« — ***in morsus***] Sic scribendum ex auctoritate optimorum codicum et editionum antiquarum; qui morsus sint, videbis ex Virg. Aen. III, 394. Stomachus enim hominis qui nimis vino indulsit cibos (morsus) spernit; perna et hillis reficitur ad morsus. De nova potatione non videtur sermo esse. Sic etiam Doederlinius. Quare non placet aliorum (*immorsus* Haupt., Meinek., Linker., Kirchn. *immorsus* Ritter.) *immorsus*, quod idem esse aiunt quod ***vellicatus, excitatus***; vocabulum dubiae sane et auctoritatis et interpretationis. — ***malit***] quam lactucam. — ***immundis***] cf. Ep. I, 14, 21. Martial. VII, 61, 8: »nigra popina.« Omnes Cruquii codices habent ***in mundis***, ex mendo natum pro ***inmundis***. — ***Est operae***] Iocose imitatur Ennium, cuius versum vide ad Sat. I, 2, 37. cf. etiam Epist. II, 1, 229.

V. 65. ***muria***] liquamen praecipue

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod baca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia suco:
Nam facie praestant. Venucula convenit ollis,
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,
Primus et invenior piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium dare milia terna macello
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit,
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.
Ten lapides varios lutulenta radere palma

thynnorum. Catius eam laudat quae paratur ex thynnis apud Byzantium captis. — *orca*] vas fictile vel ligneum servandis salsamentis. — *hoc ubi*] Cum quibus rebus compositum sit ius simplex exposuerit, iam ea addit quae ut compositum ius paretur addantur necesse sit. — *herbis*] erucis, inulis, ut Sat. II, 8, 51. — *Corycioque croco*] Plin. XXI, 6: »Prima nobilitas Cilicio (croco) et ibi in Coryco monte.« — *stetit*] ut paulatim intepescat. — *Venafranae*] vide ad Carm. II, 6, 16. — *Picenis*] Sat. II, 3, 272. cf. Carm. I, 17, 14. — *Venuculam*] uvam, de qua Plin. XIV, 2: »Veniculam (sic quoque scribitur) inter optime deflorescentes et ollis aptissimam Campani malunt sirculam vocare, alii staculam.« — *ego*] In iterato pronomine cernenda est gloriola hominis de rebus in hoc genere inventis. cf. Sat. II, 8, 51. De faece vide ibid. v. 9. — *piper album*] lenius nigro, contra sal niger salsissimus. — *incretum*] admixtum. — *macello*] vide ad Sat. II, 3, 229. — *vagos pisces*] Acron: »epitheton piscium, quibus naturale est late vagari.« — *angustoque catino*] Catinus quoque amplus sit oportet, cum tanta pecunia consumatur in pisces. Iam loquitur de externo mensae apparatu. — *unctis*] Sat. II, 2, 68. — *furta*] sic recte antiquissimi codices, alii *frusta* quod in uno tantum Cruquii legebatur. — *veteri*] per se quidem ob vetustatem pretioso sed adhaerente limo deformato. cf. Sat. I, 3, 91. II, 3, 21. Pauly et Linker. cum Cruquio ex Bland. vetustissimo scripserunt *creterrae*. Eadem forma *cratera* v. *cretera* (graece *χρητήρ*) reperta est apud Arat. in Cicer. Nat. D. II, 44: »In medioque sinu fulgens Cratera relucet.«

V. 81. *vilibus in scopis*] Etiam minimis rebus magna adhibenda cura est, ne convivis fastidium exoriatur neglectis. — *scobe*] »Hic scobis et haec scobes dicitur rasura serrarum; sed hic pro omni purgamento domus ponitur.« Comm. Cruq. — *quantus*] quam parvus. — *mappis*] vide ad Sat. II, 8, 63. — *lapides varios*] Epist. I, 10, 19; est pavimentum tessellatum, vermiculatum, sectile (Mosaikboden). — *toralia*] Becker. Gall. II. p. 149: »Die lecti triclniares waren niedrig, was man schon daraus schliessen kann, dass sämmtliche Tische, welche sich hie und da gefunden haben, bedeutend nie-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem
Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?
Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem iuveris. Adde
Vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

Satira V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res

driger sind, als die unsrigen. Uebrigens mochten sie von derselben Beschaffenheit sein, wie die cubiculares, d. h. mit Gurten und darauf liegendem Polster, über das prächtige gewöhnlich purpurfarbige Decken gebreitet wurden. Natürlich fand man aber hier noch mehr Veranlassung, die reichste Pracht zu entfalten und daher werden häufig nicht nur aerati, sondern argentei, testudinei genannt. Von den Decken, welche darüber gebreitet wurden, sind durchaus zu unterscheiden die toralia.« p. 150: »Es (die toralia) sind Behänge, mit denen der lectus von dem torus an bis zum Fussboden bekleidet wird, proponuntur, und daher sagt auch Horaz circum Tyrias vestes (purpureum torum) dare illota toralia.« cf. Epist. I, 5, 22. — *illota*] Alii ex optimis codd. *inluta*. Cruquius de hac antiquiore, ut videtur, forma ad hunc locum de suis codicibus nihil adnotavit, sed ad Sat. II, 8, 52: »*inlutos*, sic in codd. Blandin. et aliis, quos secutus sum propter antiquitatem.« Boni etiam codd. Orellii h. l. habent *inluta*. In antiquo cod. Montepessulano Sat. II, 8, 52 est *illutos*. Non licet provocare ad formas *ablutus*, *prolutus*, *elutus*, quoniam hae originem ducunt ex verbis *abluere*, *proluere*, *eluere*; *illotus* autem compositum est ex *in* et *lotus* (Martial. X, 11, 6 »lotam terque quaterque togam.« Plin. H. N. XXIV, 11: »pure lotis pedibus«). — *reprehendi*] »Sensus est: iustius reprehenderis, si non habueris domi omnia munda, quae minoris constant, quam si defuerint tibi pretiosi pisces et optima vina, quae non solent habere nisi mensae divitum.« Comm. Cruq. — *tantundem iuveris*] quam si ad ipsum me duxeris; quare adde vultum habitumque hominis cet. — *atque haurire*] festiva imitatio versus Lucretiani I, 926: »Iuvat integros accedere fontes Atque haurire.«

Satira V.

Cum Romanorum fortitudine ac felicitate aliae ex aliis terrae ac nationes Romano imperio subiicerentur immensisque quovis anno Romam comportatis divitiis multi ibi homines casu magis quam sua opera ditarentur, quid fuit mirum,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Artibus atque modis. Quid rides? Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi patriosque penates
Adspicere? O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam te vate neque illic
Aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui
Et genus et virtus nisi cum re vilior alga est.
Quando pauperiem missis ambagibus horres,
Accipe qua ratione queas ditescere. Turdus
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores

cum mores luxuria bellorumque civilium licentia plane perditi essent paupertasque pro vitio haberetur, quod ii quibus neque militia neque patrimonio bona satis magna obvenissent alii aliam ingrediebantur viam, qua ad beatam quae videretur vitam fortunaeque fastigium pervenirent? Inde natum est genus hominum, quo vilius et abiectius vix potest ullum cogitari, qui pessimis artibus, dolo, scelere atque flagitio in testamenta locupletium irrepere iustosque heredes hereditate privare studerent. Neque vero defuit malis istis hominibus cupiditatis explendae occasio; adiuvit morum nefanda foeditas. Multos enim ea aetate, quos luxuria et libido a matrimoniis ineundis deterruerunt, caelebs vita et senectus gratam praebuit quasi praedam inhiantibus undique heredipetis. Quos cum merito sale perfricat Horatius, mollissimo sane genere satirae utitur, scenam ipsam — nam satira tota dramatica est — ex sua aetate suaque patria in antiquissima tempora ad Graecosque homines relegans. Ita enim rem finxit poeta, quasi Ulixes Tiresiam, vatem Thebanum, quocum in inferis convenisset (Hom. Od. XI, 90 sqq.), de futura vitae condicione quaque in Ithacam reversus amissa bona optime posset ratione recuperare, interrogare pergeret. Inde primo statim versu particula *quoque*, superioribus interrogationibus novam quasi annectens. Lepide factum est, quod Tiresias, antiquus vates, Graecus homo, per totum sermonem heroicis rebus vitam et consuetudinem Romanam admiscet exemplaque quae futura esse vaticinatur ex iis rebus sumit quae Romae factae omnibus lippis et tonsoribus notae erant. De satirae anno natali viri docti non consentiunt: versibus 62 sqq. alii annum 722 alii 724 vel 725, alii denique 734 significari arbitrantur; utut ea res se habet, hoc certum videtur, non licere satiram post pugnam Actiacam proferre.

V. 2. *amissas*] cf. Hom. Od. XI, 113—116. — *Quid rides*] Ulixis verba sunt; vates enim, dum ille interrogat de recuperandis rebus, risit, cf. Hom. Od. XIII, 291 sqq. Dolosus enim Ulixes, cui ante sufficere videretur si vel fumum ex patria terra ascendentem conspiceret (Hom. Od. I, 58), *iam* maiora exoptat. — *vilior alga*] Carm. III, 17, 10. Virg. Buc. 7, 42. — *missis ambagibus*] i. e. ut breviter dicam; nam quae Ulixes uberius exposuerat et quasi excusare tentaverat, ea duobus verbis complectitur Tiresias, *pauperiem horres*. — *Turdus sive aliud*] Altera particula *sive* omissa est, ut Carm. I, 3, 16 ubi vide. — *privum*] Proprie priva sunt quae singula sunt vel singularia ut apud Liv. XXX, 43: »ut *privas* lapides silices *privasque* verbenas secum ferrent;« deinde *priva* ponuntur contra ea quae publica sunt, ut Hor. Ep. I, 1, 92. Inde exorta ea est significatio, quam h. l. sententia efflagitat, ut *privum* sit idem quod

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
Utne tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
Me gessi certans semper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare iubebo;
Et quondam maiora tuli. Tu protinus unde
Divitias aerisque ruam dic augur acervos.
Dixi equidem et dico: captes astutus ubique
Testamenta senum, neu si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo,
Aut spem deponas aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,

singulare et *eximium*. — *honores*] Carm. I, 17, 16. — *ante Larem*] »Consuetudo fuit ut rerum primitiae dis Laribus ponerentur.« Porphyr. Tibull. I, 1, 13: »Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante deo.« cf. Epist. I, 1, 78. Monet ergo vates, ut senem divitem cariorem habeat se ipso venerabilioremque ipsis Laribus; cui rei tertium hoc adiungitur, ut eodem habeat divitem honore quo nobilissimi amplissimique soleant haberi, etiamsi ille vel vilissimus fuerit servus vel sit sceleratissimus homo. — *comes exterior*] ad sinistrum latus hostili impetui magis oppositum incedere hominis est alterum suspicientis. Sic dicebant Romani *latus tegere* v. *claudere*. Iuven. 3, 131: Divitis hic servi claudit latus ingenuorum Filius.« Sueton. Claud. 24: »Plautio in Capitolium eunti et inde rursus revertenti *latus texit*.« — *si postulet*] sc. te comitem.

V. 18. *utne*] Cic. Cat. I, 9 »Te ut ulla res frangat?« Liv. IV, 2: »Victamne ut quisquam victrici patriae praeferret?« Terent. Andr. I, 5, 28: »Eine ego ut advorser?« — *Damae*] Servile nomen est, *Δημόδωρος*, *Δημᾶς*. Nomen autem positum pro toto genere, ut infra v. 91 et Sat. I, 6, 38. Quae Tiresias facienda praescribit, ea etiam Ulixi patientissimo et moderatissimo homini intolerabilia videntur; quare indignabundus in haec verba erumpit. Tiresias autem frigide respondet: ergo pauper eris. Quare cum una haec relicta sit via ratioque quae amiserit recuperandi, quid restat sapienti viro nisi ut hoc quoque multis quae iam perpessus est malis forti animo addat? cf. Hom. Od. XX, 18. — *tuli*] Horkelius *tulit* ex coniectura, quo propius accederet Horatii versus ad Homericum; acute, sed non satis caute. Potuit sane poeta scribere *tulit*, non debuit. Et si non debuit, quid mutemus lectionem contra omnes libros MSS.? — *ruam*] Ruendi verbum apud poetas et eos scriptores qui poeticam orationem imitabantur activam naturam induebat; quod qua ratione fiat vide apud Virgilium Aen. I, 35 et 85. XI, 211. Georg. II, 308. — *praeroso hamo*] »Metaphora a piscibus; quod apte subdit quia dixit *captes*. Praeroso hamo i. e. vorata esca, consumptis tuis et perditis muneribus.« Comm. Cruq. — *illusus*] non cum *omittas* solum, sed etiam cum *deponas* coniungendum. — *certabitur*] Etsi vulgo et apud bonos scriptores dicitur certare de aliqua re vel pro aliqua re, tamen poetae brevitatis et gravitatis studio, quo molesta sane

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor; fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniux.
Quinte puta aut Publi, — gaudent praenomine molles
Auriculae — tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps novi, causas defendere possum;
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
Ne quid tu perdas neu sis iocus. Ire domum atque
Pelliculam curare iube; fi cognitor ipse;
Persta atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne vides, aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet, ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?

praepositio vitaretur, nihil dubitarunt usurpare *certare aliquid*; inde passiva quoque constructio verbi. Sat. II, 1, 49. Ovid. Met. XIII, 713. Sil. Ital. XVII, 337: »Certatus nobis (Scipioni et Hannibali) hodie dominum accipit orbis;« a quo genere ne Livius quidem abstinuit XXV, 3. — *olim*] vide ad Carm. II, 10, 17. — *priorem*] Carm. III, 1, 12.

V. 32. *puta*] exempli causa. Imperativus, ubi quasi adverbii vice fungitur, ultimam syllabam corripit. — *molles auriculae*] quae facile offenduntur nisi permulcentur. Praenomine autem amici utebantur et cognati. cf. Sat. II, 6, 37. — *ius anceps*] Sat. II, 2, 131. I, 9, 39. — *pauperet*] Verbum est Plautinum, gratum Horatio et gravitate et sono. cf. *inimicare* Carm. IV, 15, 20, alia id genus. — *pelliculam*] Sic *cutem curare* Epist. I, 4, 15; elegantius dicebant *corpus curare*, ut apud Liv. III, 60. IV, 9. — *cassa nuce*] ex proverbio. »Omnes MSS. habent *quassa*, vetere scriptura, sicuti nonnunquam offendi *quarere* pro *carere*.« Cruquius. — *fi cognitor*] »Cognitor est qui defendit alterum in iudicio, si *praesentis* causam novit et sic tuetur ut suam.« Pseudoascon. in Cic. Divin. §. 11. Postquam in locum domini litis substitutus est cognitor, domini loco habetur, dominus ipse iam non in iudicio compareat necesse est. — *obdura seu*] Hereditatem captanti obdurandum esse et solis aestu et hiemis frigore ut praecipiat, singulari lepore tumidis quibusdam elocutionibus utitur, M. Furium Bibaculum, turgidum illum Alpinum (Sat. I, 10, 36 ubi vide), egregia *παρῳδίᾳ* irrisurus. Nam praeter versum 41, in quo salsissime Iovis partes ad ipsum Furium translatae sunt, veri simile est alia quoque ab eodem Furio petita esse; veluti *infantes* illae *statuae*, sive mutae (Epist. II, 2, 83) sunt sive recens factae, nescio quid habent inepti ac prope monstrosi ornatus, neque minus elucet malignius paulo consilium poetae ex verbis *pingui tentus omaso*. In quibus ego vero non negaverim inesse dilogiam quandam a corpore ad animum translatam. Boni enim Bibaculi, qui »Bibaculus et erat et vocabatur« (Plin. H. N. praef.) corpusculum fortasse non magis extentum erat vili, ut maligne addit Horatius, omaso quam animus ridiculis imaginibus repletus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Plures adnabunt thunni et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere et tabulas a te removere memento,
Sic tamen ut limis rapias quid prima secundo
Cera velit versu; solus multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.
Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?
O Laërtiade, quidquid dicam aut erit aut non:

V. 44. *thunni*] Certum piscem in imaginem supra iam usurpatam intulit. Similiter Epist. I, 1, 79. Eadem metaphora Lucian. Tim. 22: »αὐτοὺς (heredipetas) ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ κατασπών.« — *cetaria*] vel *cetariae* »sunt loca stagnantia in littoribus maris, quo maiores pisces statis anni temporibus convenire et a piscatoribus, qui ea loca de industria nanciscuntur et parant, ubere praeda capi iuxtaque saliri solent.« Forc. Plin. H. N. IX, 15, 19: »Scombri Hispaniae cetarias replent, thunnis non commeantibus.« Idem paulo ante: »Intrant (thunni) e magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi foetificant.« — *sublatus*] Virg. Aen. IV, 203. Patres recens natos quos ali iubebant humi iacentes in genua tollebant: quos exponi, non tollebant. — *nudet*] i. e. »dolum tuum ac simulationem aperiat tuque testamento excludaris.« — *tabulas*] testamenti. — *prima cera*] »prima tabula, nam in primae tabulae secundo versu heredis nomen continetur.« Comm. Cruq. Primo versu testatoris nomen scribi solebat. — *plerumque*] Ea autem cautio necessaria est, ne, id quod saepe fit, ab astuto quodam homine decipiaris, ut Nasica a Corano. Festive vetera ut futura vaticinatur Tiresias. — *recoctus*] Quintil. XII, 6, 7: »Apollonio Moloni, quem Romae quoque audierat, Rhodi rursus formandum ac velut *recoquendum* dedit (se Cicero).« Ex qua formae mutatione facilis est transitus ad astutiam et calliditatem quam in hoc loco inesse putamus. — *ex quinqueviro*] Cic. Acad. pr. II, 44, 136: »Neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam.« Digest. L. I. Tit. 2. c. 2. §. 31: »Quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et trans Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi.« *Coranus* igitur astutus ille scriba est, olim quinquevir, qui captatorem Nasicam fefellit. — *corvum*] cf. fabulam de vulpe et corvo apud Phaedr. I, 13.

V. 58. *Num furis*] Ulixis verba sunt, qui quid alter velit non satis se intelligere fatetur. Inde uberior de Corano expositio. — *aut erit aut non*] Recte videtur pars interpretum dilogiam quandam iocosam vidisse,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
Ut legat orabit; multum Nasica negatas
Accipiet tandem et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens:
Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors:
Laudato. Scortator erit: cave te roget; ultro
Penelopam facilis potiori trade. Putasne?
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
Venit enim magnum donandi parca iuventus,
Nec tantum veneris quantum studiosa culinae:

ut dubium sit, utrum sincere dicat: *aut erit aut non erit, prout dixero* an voluerit *quidquid dicam eveniet aut non eveniet, eadem omnino ratione qua sunt aliorum non divinorum hominum dicta.* Illud opinor voluit Tiresias, hoc Horatius, qui non nimiam fidem habuit vaticinationibus. — *iuvenis*] Octavianus. Carm. I, 2, 41. — *Corano*] Comicam vim huius narrationis magnopere adiuvari vides epica gravitate, quam poeta lepide imitatur epithetis *forti, procera, metuentis reddere soldum.* Coranus autem dives homo fuit; in cuius hereditatem ut irreperet Nasica, magno aere alieno obrutus, omni arte efficere studuit atque adeo seni filiam poscenti dare haudquaquam cunctatus est. Sed quid deinde factum? Nasica a Corano misere deceptus in testamento nihil invenit sibi relictum nisi luctum, non de mortuo genero se de inani captatione. — *soldum*] so tem, summam argenti, quam mutu acceperat, fortasse etiam ab ip Corano. Cic. Rabir. Post. 17 »Ita bo veneant, ut *solidum* suum cuique sc vatur.« Tacit. Ann. VI, 17. — *praet plorare*] cf. Ovid. Heroid. 17, 162: »N illi potui dicere praeter *erit*.« *illud ad haec*] *haec* de superioribu *illud* de iis quae insequuntur. Te tium autem hoc est praescriptum (v. 45). — *mulier*] libertina. — *lon prius*] *χρεῖττον ὄν*. — *caput*] divite ipsum. — *cave*] vide ad Sat. II, 3, 3 — *venit enim*] Particula *enim* posi est ut a Graecis in sermonibus sa pissime *γάρ*; nam dum quae alt affirmavit conceditur, causa sim concedendi huius particulae ope a iungitur. Iocosa haec quoque *ρῳδία* Homeri Od. XVIII, 274—27

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sic tibi Penelope frugi est, quae si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene quod dicam factum est: anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres,
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operae neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus; ultra
Non etiam sileas. Davus sis comicus atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turba
Oppositis humeris; aurem substringe loquaci.

— *nec tantum*] vide ad Sat. I, 8, 17. — *ut canis*] sic Lucian. adv. Indoct. 25: »Οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ' ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα.«

V. 84. *Me sene*] Quod supra duobus verbis v. 47 (*lenitur arrepe*) tetigerat, id nunc v. 84—98 amplius illustratur; scilicet magnam cautionem adhibendam esse in captandis conciliandisque hominibus, discendos esse mores, spectanda studia, laudandam voluntatem, ne male tractatus post vanam curam evadat piscis. — *improba*] astuta, quae cum viva captatorem effugere non potuisset periculum facere voluit, num mortuae felicius sibi eveniret. cf. Sat. I, 9, 73. — *si posset*] Epist. I, 6, 41. I, 7, 39. I, 3, 30. — *ultra*] Sic plurimi et optimi codices, veluti ex Cruquianis quattuor Blandinii et quinque alii, Pulmanni quattuor; recte. Modus enim, ultra quem vetat ne colloquendi studium excedat, constituitur praemissa generali sententia: ultra quam ne garrulus habearis et offendas. Alii, ut Kirchnerus et Teuffelius, *ultro*. Bentleius ex coniectura: *offendes garrulus ultro*, quod probarunt Haupt., Meinek., Krueger., Linker., Doederlin.; Horkelius: *offendet garrulus: ultra Nos etiam sileas*, ut sit: »ultra mortuos sileas;« et »suo iure, inquit, usus est Horatius, si mortuos omnino omnes sermone carentes fecit, nisi quando Ulixes aliquis ad inferos descenderet.« — *Davus*] Davum ex comoedia ludere, inclinato capite stare timideque loqui te decet. — *capite obstipo*] cf. Pers. 3, 80: »obstipo capite et figentes lumine terram.« Theogn. 535 sq.: »οὔποτε δουλείη κεφαλὴ εὐθεῖα πέφυκεν, Ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ καὐχένα λοξὸν ἔχει.« Stat igitur servus inclinato capite nec videtur audere caput movere. — *multum similis*] Sic coniunge, ut Epist. I, 10, 3. — *grassare*] age, ut Liv. III, 44. X, 14. Sal. Iug. 68. Frequentissimum hac significatione verbum apud Tacitum. — *increbruit*] Cic. fam. VII, 20: »ventus increbrescit.« Virg. Georg. I, 359. Scribendum esse *increbruit*, docuit Haasius ad Reisigii praelectiones gramm. latin. p. 259, atque ita servatum est in antiquissimo Blandin., duobusque aliis libris MSS. Cruquii, cuius reliqui habent *increpuit*, quod nihil est nisi error scribentium, pro *increbuit*; ita enim alii et libri MSS. et editores. — *aurem substringe*] coërce, cohibe. Iam cum *loquaci* dativus sit quem commodi appellamus, sententia plana est: aurem nemini praebeas nisi huic, si loquax est.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Importunus amat laudari: donec „Ohe“ iam
Ad coelum manibus sublatis dixerit, urge et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levarit
Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulixes,
Audieris, heres: Ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?
Sparge subinde et, si paulum potes, illacrimare; est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque.

Comparari possunt hi loci: Tacit. Germ. 38: »Crinem nodo substringere.« Suet. Galb. 21: »Carnem fascia substringere. Quintil. X, 5, 4; »Omissa supplere, effusa substringere.« — *ohe iam*] Meinekius: »non credo recte coniungi *ohe iam!* quod ex plena dictione *ohe iam satis est!* decurtatum esse volunt. Quod in latino sermone non rectius fieri potest quam si germanice dicas *o schon!* pro *o schon ist es genug!*« Itaque coniunxit *donec »ohe« iam Ad coelum manibus sublatis dixerit.* Secutus sum cum Linkero et Doederlinio. — *sublatis manibus*] impatientiae signum. Cic. Acad. II, 19: »Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret.« — *servitio*] cf. Virg. Buc. 1, 41. Usus est hac deteriore forma, quod iusta forma nominis, *servitus*, versum intrare noluit. — *cura levarit*] si mortuus est. — *certum vigilans*] ne forte fallaris. — *unde mihi*] sc. petam. Sat. II, 7, 116. — *sparge*] passim inter legendum insere, clama. — *est celare*] licet, potest fieri. cf. Sat. I, 2, 101. Epist. I, 1, 32. Epod. 17, 25. Lachmannus tamen ad Lucret. p. 297 negavit Horatium ita scribere potuisse, cum *est* pro *est aliquid* sive *prodest* ab antiquorum usu remotissimum sit, et coniecit scribendum esse: *illacrima; e re est*; quam coniecturam Hauptius, Kruegerus, Meinekius, Linkerus receperunt. Non recte, opinor. Nec magis placet Doederlinii conformatio sententiae: »et, si paulum potes illacrimare (infin.), est celare i. e. poteris celare, ut Epist. I, 1, 32. — *nummo addicere*] ficta venditione donare. Cic. pro Rab. Post. 17: »Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit?« Cfr. Gaius 2, 252: »Olim in usu erat ei, cui restituebatur hereditas, nummo uno eam hereditatem dicis causa venire.« — *imperiosa*] ἐπαινῆ. Satis lepide subito abrumpit sermonem Tiresias nihil gratiae exspectans ab Ulixe, qui qua fuit probitate et iustitia haud dubie paupertatem praeferret divitiis improbitate ac scelere parandis. cf. Virg. Aen. V, 738. — *vive valeque*] Epist. I, 6, 67. I, 7, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Satira VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paulum silvae super his foret. Auctius atque
Di melius fecere. Bene est: nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

Satira VI.

Consilium quod in Sat. I, 9 inesse vidimus hoc quoque poemate secutum esse Horatium manifestum est. Nam quis dubitat quin multi semper fuerint homines, qui falsum sibi de amicitiae qua Horatius cum Maecenate coniunctus vixit vinculo deque Horatii studiis consiliisque fingerent iudicium? Nae isti homines non potuerunt sibi persuadere, eum qui summi prope in republica viri familiaritate uteretur alienissimo esse a publicis negotiis animo, remotissimo a comparandis sibi maioribus bonis, continentissimo in fruendis modicis quas haberet opibus. Quae prava harum rerum existimatio cum radices quasi ageret in iniqua plerorumque hominum de veris gaudiis veraque felicitate sententia, tenerrima qua fieri potuit ratione Horatius quibus finibus circumscripta essent sua vota, quo modo viveret cum Maecenate, quibus denique rebus vita vere beata compararetur docere studuit. Inde exorta est rusticae vitae suavis laudatio, urbanarum molestiarum lenis reprehensio, consuetudinis suae cum Maecenate iocosa quaedam contractio. Poema autem ita comparatum est, ut remotum ab acerbitate hominumque salsa irrisione proximum sit dulcedini ac lenitati epistolarum, ut egregia frugalitatis laude, vero ex mediocribus rebus percepto gaudio, aperta ac non simulata pravae ambitionis despicientia facillimam et planissimam viam nobis muniat ad recte aestimandam amabilem Horatii naturam, qua omnes qui primos tantum versus legerint statim capiantur necesse est. Scriptum autem poema est exeunte anno 723. Tum enim curiosi homines quaerere potuerunt de Dacis (v. 53), qui Antonio quem adiuverant Actiaca pugna devicto motus ciebant, ut insequenti anno M. Crassus contra eos mitteretur; tum etiam frequens inter cives sermo erat de distributione agrorum, qua periculosam veteranorum militum in Italia seditionem ex Asia advolans Octavianus media inter annos 723—724 hieme sedavit (v. 55); tum denique negotiosi homines Horatium rogare potuerunt, ut tabellas suas anulo Octaviani a Maecenate obsignandas curaret (v. 38). Maecenati enim Octavianus ad bellum proficiscens anulum signatorium sphingis imagine insignitum commiserat, ut unus Italicis rebus praeesset; cui exeunte demum anno 723 socius additus est Agrippa. Restat ut moneam ne quis eodem anno Sabinam villam Horatio datam esse credat; immo vero desiderium ruris, grata rusticationis descriptio, rusticae vitae consuetudo firmissime evincunt, paucos certe annos Horatium iam habuisse suum praedium.

V. 1. *votis*] Raro apud bonos scriptores pedestris orationis vota dicuntur pro optatis, saepe apud poetas eosque qui secuti sunt scriptores. cf. v. 59. Epist. I, 11, 5. I, 14, 41. I, 2, 56. Sat. I, 1, 22. Carm. IV, 13, 1. C. S. 71. Epod. 7, 9. 17, 62. — *iugis aquae*] Sic coniunge; ut Epist. I, 15, 16. — *super his*] In prosa melius dicitur *super haec*. Ceterum cf. Carm. II, 18, 11 sq. III, 16, 29 sq. Epod. 1, 31. — *Maia nate*] Invocat Mercurium *κερδῷον*. cf. Sat. II, 3, 68. Matris autem nomen in precibus blandum est. — *propria*] ut Sat. II, 2, 129. Epist. II, 2, 158. — *si neque* cet.] Frequens in precibus particula *si*, ubi modestia indicatur, quae decet infirmum genus humanum, et probatur simul,

Si neque maiorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si veneror stultus nihil horum: O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!—; si quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,

non iniquas preces ad deos fundi. Quare quae dubitanter dicuntur ea aliquam habent causam spei fore ut dii faciant quae precibus expetantur. Horatii autem causa triplex est; inde ter particula *si* posita, quam apodosis excipit versu 13. — *veneror*] vide ad C. S. 49. Sat. II, 2, 124. — *mercenarius*] pro: ut illi mercenario, qui. cf. Sat. II, 2, 59. — *Hercule*] qui thesauris recludendis et opibus largiendis praeest. Imitatus hunc locum est Pers. 2, 8: »o si Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule!« — *gratum*] Sententia nihil mutatur, sive neutrius generis esse putas cum Heindorfio et Rittero, sive masculini cum Teuffelio et Doederlinio; mihi tamen neutrum esse videtur; cf. Liv. XXXII, 8: »quod rex Attalus Romanos iuvisset, id gratum senatui esse.« — *praeter ingenium*] Iocatur ambiguo vocabulo *pinguis*, quod de ingenio dictum crassum, stupidum, hebes, tardum significat. Ovid. Met. XI, 148. — *utque soles*] quia Mercurialium virorum custos est. Carm. II, 17, 29. — *in montes*] Sabinos, quibus addit *in arcem*, quia tutus ibi est ab urbanae vitae molestiis. — *quid prius illustrem*] sc. quam hanc felicitatem qua in rustica solitudine tunc utor. *Satiris* igitur et *musa pedestri* ablativi instrumenti sunt, non coniungendi cum comparativo. De musa pedestri cf. Carm. II, 12, 9. Sat. I, 4, 47. Epist. II, 1, 250. A. P. 95.

V. 18. *ambitio*] quae proficiscitur ex incontinentia animi qua homines maiora semper petunt ad altioraque tendunt. Haec autem ambitio in urbe alitur, in secessu ruris exstinguitur; rus igitur hominem defendit a morbis et animi et corporis. De Austro vide Carm. II, 14, 15. cf. Epist. I, 16, 15 sq.; *plumbeus* est, quia aestu corpus premit ut plumbum. — *Libitinae*] vide ad Carm. III, 30, 7. cf. Epist. I, 7, 5 sqq. — *Matutine*] Ut importuna in urbe negotia omnia describat, a matutino tempore orditur et lepide iocans ipsum deum Matutinum appellat quasi preces facturus. Deus ipse quasi testis est multorum negotiorum, quibus homines agitantur; ipse enim dormientes excitat ad muneraque adeunda agitat. De duobus dei nominibus vide ad C. S. 15 sq. — *Iane audis*] Vocativus tanquam obiectum aliquod additus est verbo audiendi; quod ne singulare videatur, compara Epist. I, 7, 37. I, 16, 59. Ovid. Am. I, 7, 19:

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt — sic dis placitum —, tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.
Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo quod mi obsit clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
Quid vis, insane, et quas res agis? improbus urget
Iratis precibus: tu pulses omne quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
Hoc iuvat et melli est, non mentiar; at simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus: Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras;

»Quis mihi non *demens*, quis non mihi *barbare* dixit?« id. A. A. I, 665: »Pugnabit primo fortassis et *improbe* dicet.« — *unde*] a quo. Vide ad Carm. II, 12, 7. — *Eia, ne*] verba sunt Iani Horatium ex somno quasi excitantis. cf. Pers. 5, 138: »Surge, inquit Avaritia; eia, surge.« — *officio*] Officium est quo alterius voluntati morem gerimus. Sat. II, 5, 48. Epist. I, 7, 8. cf. Epist. II, 2, 65 sqq. — *interiore gyro*] duorum circulorum, quibus idem est centrum, interior brevior est. Iam cum Sol hieme breviorem viam sequatur, dies hiberni breviores sunt. — *postmodo*] Coniungendum videtur *postmodo luctandum*, quoniam cum *obsit* coniunctum inanis ac supervacanea esset definitio. Deinde vv. *quod mi obsit* obiectum efficiunt verbo *locuto*. De re comparandum est Biantis proverbium ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. — *Quid vis*] Sunt verba hominis in turba pulsati et iniuriam aegre ferentis; qui cum malas preces coniiciat in festinantem poetam neque intelligat qua is necessitate obstrictus properare debeat, satis lepide *improbus* vocatur. Nam *preces* imprecationes sunt, ut Carm. I, 28, 33. — *tu pulses*] Coniunctivus potentialis esse videtur, cuius loco Graeci optativum usurpant cum part. ἄν. — *Hoc iuvat*] sc. recurrere ad Maecenatem. — *atras*] propter sepulcreta quae olim ibi fuerant. Sat. I, 8, 14. — *secundam*] vide ad Sat. I, 5, 23. — *circa latus*] Duplex genus est alienorum negotiorum, quibus curae creantur poetae: alterum eorum, quae ipse in memoriam revocat quaeque *per caput saliunt* (*Roscius orabat* et *scribae orabant*), alterum eorum, quae festinanti in ipsa via ab hominibus, notis quidem sed importunis, mandantur ideoque *circa latus saliunt* (*imprimat his*). Ad hoc alterum genus importuni hominis versus 59 accommodatus est. — *Puteal*] »Puteal locus erat in foro, ad quem conveniebant mercatores et feneratores ad tradendum et recipiendum.« Comm. Cruq. Fuit autem puteal septum lapideum puteo circumdatum ne incauti in puteum deciderent; cui quidem simile erat septum loco sacro circumdatum, ne humus consecrata praetereuntium pedibus conculcaretur. Hoc loco quod memoratur Libonis est sive Scribonianum a Libone quodam Scribonio exstructum. Epist. I, 19, 8. — *adesses*] ut testis apud argentarium.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti;
Imprimat, his, cura, Maecenas signa tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens et cui concredere nugas
Hoc genus: Hora quota est? Thrax est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent;
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
Invidiae noster. Ludos spectaverat una,
Luserat in campo: Fortunae filius! omnes.
Frigidus a rostris manat per compita rumor:
Quicunque obvius est, me consulit: O bone, — nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet —

V. 36. *de re communi*] Olim Horatius ipse scribarum ordini adscriptus erat; quare quid mirum si scribae tunc quoque poetam suum haberent magnoque quem putarent fautore ad iuvanda sua negotia uterentur? — *Quinte*] cf. Sat. II, 5, 32. Non est veri simile, etiam tum Horatium scribam fuisse; quomodo enim, si ipse fuisset, scribarum negotia aliena potuisset appellare? — *imprimat, cura*] cf. Carm. I, 38, 6. Phaedr. V, 2, 6: »Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat, Quos attentarit.« — *tabellis*] Otiosum videtur quaerere, quae fuerint tabellae. Sufficit quod certum est, opus fuisse ut publicam fidem acciperent tabellae signo Octaviani Maecenati commisso. — *septimus octavo*] vide Vitam Hor. p. 7. — *dumtaxat ad hoc*] Quae sequuntur iocose extenuant suam cum Maecenate necessitudinem, quippe quae admodum aliena fuit a curis negotiisque publicis. — *Thrax*] Gallina nomen est gladiatoris parma Threcidica et gladio incurvo induti; is componitur cum alio gladiatore, Syro, mirmillone, gallicis armis instructo et piscis (*μορμύλου* s. *μορμύρου*) imaginem in galea habente. In codd. et *Thrax* et *Thraex* et *Threx* reperiuntur, sine discrimine, nam quod olim constituebant, ita ut *Thrax* et *Thraex* populi, *Threx* gladiatorum nomen esset, nullum est. — *deponuntur*] cf. Carm. I, 27, 18. — *noster*] Vocabulorum interductus posui cum Bentleio, olim cum aliis *noster* coniunxeram cum *spectaverat*. *Noster* comice pro *ego*, ut Plaut. Amphitr. I, 1, 242: »*Merc.* Tu me vivus hodie nunquam facies quin sim Sosia. *Sosia*: Certe edepol tu me alienabis nunquam quin *noster* siem, Nec nobis praeter me quisquam est alius servus *Sosia*.« — *spectaverat*] omissa particula *si*, ut supra v. 39. Sat. I, 3, 56. II, 7, 68. Servavi cum Kirchnero et Teuffelio plusquamperfectum tempus ex maiore parte codicum: Bentleius, quem secuti sunt Heindorf. Haupt. Mein. Linker.: *spectaverit, luserit*. — *frigidus*] qui timorem et frigus incutit. — *compita*] cf. Sat. II, 3, 26. 281. — *deos*] facete de magnis in republica hominibus. — *derisor*] *εἴρων*. Epist. I, 18, 11. A. P. 433.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Num quid de Dacis audisti; Nil equidem. Ut tu
Semper eris derisor! At omnes di exagitent me,
Si quidquam. Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?
Iurantem me scire nihil mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.
Perditur haec inter misero lux non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit,
Nunc veterum libris nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes coenaeque deum! quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inaequales calices conviva solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,

V. 55. *Triquetra*] Sicula; propter formam insulae. cf. Caes. B. G. V, 13, 1. — *Perditur*] Lachmann. ad Lucret. p. 121 docuit, *perditur* pro *perit* omnino nullum dixisse et scribendum esse *Pergitur*, cui simillimum sit quod Ovid. Met. IV, 199 solem *horas brumales porrexisse* fingat. Hauptius et Linkerus receperunt: sed cum alia quoque ἅπαξ λεγόμενα sint apud Horatium, retinenda codicum scriptura, quam Acron quoque tuetur; ibi enim legitur »*perditur*: consumitur.« — *veterum libris*] cf. Sat. II, 3, 11. Inertes horae sunt quae non molestis negotiis auferuntur sed naturae iucunditatibus meditationique dicantur. cf. Sat. I, 6, 128. Carm. I, 1, 20. — *ducere*] oblivia, ut vinum. Virg. Aen. VI, 714. — *faba*] Iocose dictum ex vulgari opinione; de vera causa, cur fabis abstinerent Pythagorei, alii alia retulerunt. cf. Cic. de Divin. I, 30, 62. II, 58. Comm. Cruq.: »Dubitabat enim Pythagoras, an in eo corpore lateret anima patris sui an alterius propinqui.« — *uncta satis*] haec coniungenda esse caesura suadet. cf. Sat. II, 3, 117. Bentleius, cui *satis* probari posse non videretur, ex coniectura scribere maluit *focis*; Meinekius *fabis*, quod Linkerus non dubitavit recipere, Teuffelius recte refutavit: non exilem victum quaerebat Horatius, sed simplicem. — *meique*] amici. *Noctes* autem *et coenae* sunt coenae in noctem productae. »Coenas deum dixit securiores et quae sunt sine sollicitudine.« Comm. Cruq. — *libatis dapibus*] Liv. XXXIX, 43. Cic. de legg. II, 8; »Certasque fruges certasque bacas sacerdotes publice libanto.« Alii interpretantur *degustatas*, reliquias coenae intelligentes. — *prout*] monosyllabum. — *inaequales*] sive maiores sive minores, prout cuique libido est. cf. Sat. II, 8, 35. — *legibus insanis*] bibendi, quas συμποσιάρχης, magister bibendi, in urbe imponere

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est agitamus: utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;
Et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
Vincere tangentis male singula dente superbo:
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te iuvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?

solebat convivis. — *acria*] vide ad Carm. III, 19, 11. cf. Sat. II, 8, 36. — *Lepos*] saltator, archimimus Caesari gratus. — *Cervius*] Hic et Arellius vicini erant Horatii in Sabinis. — *aniles*] ex nutricum narrationibus notas. — *ex re*] ut fert occasio; in quas ipsa confabulatione sponte sua incidit.

V. 80. *Olim*] Sic saepe in initiis fabularum; cf. Phaedr. III, 2, 2. 17, 1. Fabula autem inter Aesopi reperitur 121, apud Babrium 108: tractavit etiam poeta graecus, cuius hos versus Suidas servavit: »Θέντο μετ' ἀλλήλοισιν ἑταιρείην μύε δοιώ, Οὔ καθομὰ ζώοντες, ὃ μὲν κατὰ νειὸν ἐρήμην Ἐτρέφετ', ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ' ἀνδρῶν.« — *murem mus*] Vides bis (*murem mus, veterem vetus*) ita disposuisse Horatium verba, ut eiusdem nominis diversae formae altera alteram exciperet; id quod amabant latini scriptores. — *artum*] contractum, itaque parcum; inde verbum solvendi, cui adhaeret dativus commodi quem vocant *hospitiis*. cf. Epist. I, 7, 91. II, 1, 172. — *invidit avenae*] Sic Graeci φθονεῖν τινί τινος. Aliam vere Romanam constructionem habet Horatius Sat. I, 6, 50. Epist. I, 14, 41. — *tangentis male*] fastidiose. — *pater*] similiter Sat. II, 8, 7. — *patientem*] cf. Carm. I, 7, 10. — *vis tu*] Sic antiquissimi codices; alii *vin tu* quod est simpliciter interrogantis, cum illud sit hortantis et excitantis. cf. ad Sat. I, 9, 69. — *mihi crede*] Similiter Tibull. IV, 4, 3: »crede mihi, propera«; simpliciore et vulgari constructione scribi debuit: carpenda via est, mihi crede. — *quando*] quoniam. Facete poeta mu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carpe viam, mihi crede, comes terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
Vive memor quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat
Nox medium coeli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
Continuatque dapes nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
Rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque,
Currere per totum pavidi conclave, magisque

rem urbanum ex sententia Epicureorum philosophorum disputantem facit. — *quo, bone, circa*] Tmesis est pro *quocirca*, qua particula praeter positas causas aliae et similes non excluduntur; sic *quocirca* et *quapropter* differunt a particulis *quare* et *quamobrem*. De voc. *bone* cf. Sat. II, 2, 1. — *aevi brevis*] cf. Carm. II, 14, 24. — *levis*] Notanda est in versu levitatis egregia imitatio; *levis* i. q. levi pede, cum facile a se possit impetrare, ut domum relinquat; non: parum sibi constans, ut Sat. II, 7, 29. — *canderet*] Acron: »fulgeret«. Positum est de splendore etiam rubri coloris. — *vestis*] vide ad Sat. II, 4, 84. — *procul*] *prope*, non *in allum*. Epist. I, 7, 32. Virg. Buc. 6, 16. Ovid. Met. V, 114. — *succinctus*] quia sedulus, ut Sat. I, 5, 71. — *verniliter*] in modum servorum. M. Antonius in Aegypto apud Cleopatram primus inter Romanos servo praegustatore usus est; deinde Augustus et qui eum secuti sunt imperatores hunc morem acceperunt. Horatius hoc tetigisse non videtur. — *praelambens*] Urbanus mus sic quoque morem hominum urbanorum imitatur cibos praegustantium, i. e. gustu explorantium, num bene parati sint cibi potusque recte temperati. Haec sunt officia, quibus fungitur mus urbanus; sed fungitur ita ut simul speciem praeberet vernarum, qui, dum cibos apportabant, clam inde particulam surripiebant vel certe lambentes gustabant. — *cubans*] in stragula purpurea. — *strepitus*] factus a servis, qui primo diluculo conclave scopis spongiisque purgaturi sunt; idem strepitus excitat canes, custo-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vita
Est opus hac, ait, et valeas: me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

Satira VII.

Iamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus
Pauca reformido. Davusne? Ita, Davus, amicum

des domus. cf. Epod. 6, 5. — *haud mihi vita*] »Etiam in iis sententiis haec negatio (*haud*) proprie adhiberi poterat, quibus veritas alicuius rei demonstranda aut ipsa res confirmanda erat (*gar nicht, wirklich nicht*).« Haud. Turs. T. III. p. 29. — *et valeas*] Sic recte optimi codices. Alii *valeat*; quod magnopere friget prae altera lectione, nam *et* est i. q. *et propterea*. Vide ad Carm. II, 2, 11. — *solabitur*] vide ad Carm. II, 5, 7.

Satira VII.

Superiore poemate Horatius veram suam sententiam de suis rebus suaque cum Maecenate magnisque in civitate viris necessitudine amabili ratione descripserat; inde igitur petenda est vera morum animique Horatii cognitio. Adversarii autem, quos multos eum habuisse et natura rerum hominumque et poemata docent, aliter de eo iudicabant, quippe qui in homine olim paupere, paupertatis, frugalitatis, libertatis, temperantiae laudatore, tunc satis ditato, ut etiam umbras scurrasque aleret (v. 36), divitum delicatorumque hominum sectatore et adulatore, luxuriosae vitae amatore ea omnia vitia omnemque inconstantiam et dissolutionem iure sibi invenire et vituperare viderentur, quae saepissime in aliis non peioribus hominibus maligne, ut putabant, descripsisset. His igitur criminationibus postremum obviam eundi egregiam poeta invenit viam. Tantum enim abest ut iis se vitiis laborare negaverit, ut acriorem infestioremque sui ipsius incusationem hoc poemate scripserit, quam unquam vel acerrimus adversarius in se parare auderet. Etenim ea non debilis ratio est sese ab aliorum criminationibus defendendi, cum nihil eorum quae vituperata sunt extenuatur, omnia potius ridicula quadam superlatione ita augentur, ut ridere debeant quicunque audiant legantve adversariisque fidem abrogent. Putidum autem fuisset et prope cynicum, si ipse suo ore sese voluisset maculis flagitiisque conspergere; quare sapiens eam poematis formam elegit, qua quidquid esset dicendum abiecto pudore insolitaque licentia posset pronuntiare. Saturnalia (vide ad Sat. II, 3) a Numa rege instituta, quae Saturni auream aetatem sublatoque inter heros servosque discrimine pristinam omnium hominum aequalitatem in paucos dies referebant, magnam dicendi agendique praebuerunt servis libertatem. Fingit igitur Horatius, Saturnalibus Davum suum servum impunitate ac licentia dicendi abuti gravissimeque dominum inconstantiae, stultitiae insignisque temeritatis accusare. Consilium poetae sane felicissimum est. Servi enim, quibus ne quid dominis ingratum dicant per totum annum gravi poena vetitum est, ubi dicendi quidquid velint veniam accipiunt, arrogantes et impudentes sese praestant, praesertim qui sapientiores vel doctiores sibi esse videantur quam solet esse plurima pars eorum. Quare hoc egregie invenit Horatius, quod Davum a Crispini aretalogi (Sat. I, 1, 120. I, 3, 139) ianitore ridiculis Stoi-

Mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,
Ut vitale putes. Age, libertate Decembri,
Quando ita maiores voluerunt, utere; narra.
Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas,
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste,

corum Romanorum doctrinis imbutum esse finxit (v. 45). Aliter enim unde Davus animum sumpsisset et facultatem ita disputandi? Et vide, ab ianitore Crispini, non ab ipso Crispino suam sapientiam ille accepit, hoc est a vilissimo mancipio, unde non minima profecto vilitas et nequitia in ipsam quoque sapientiam redundavit. Quare Horatius alteram simul occasionem nactus est, in insulsum illud genus aretalogorum acerbissime invehendi; quod quomodo ludibrium reddere verius potuit inter aequales, quam ita ut doctores et interpretes doctrinae eorum nunc insanum et perditum mercatorem (Sat. II, 3) nunc nequissimum servum et ianitorem poneret? — De tempore satirae nihil certum est aliud nisi habuisse iam Horatium aliquamdiu villam suam Sabinam (v. 28. 118); veri tamen simile est haud ita multo post sextam huius libri hanc quoque scriptam esse. Itaque iis assentior qui ad a. 724 hoc poema referendum existimarunt.

V. 1. *ausculto*] Cogita Horatium in cubiculo aut clara voce legisse aut inter scribendum secum subinde esse locutum, neque servum ausum esse adhuc libertate Saturnalium uti, tandem opportunum tempus nactum silentium rumpere. Poeta ita cubat ut Davum adesse non sentiat; iam nondum respiciens et ex vocis noto sono Davum loqui suspicans rogat *Davusne*? Affirmante Davo inter tertium versum Horatius retro vertitur. — *ita*] »In colloquiis unum *ita* totam sententiam affirmat responsione.« Hand. Turs. T. III. p. 493. — *vitale*] Sat. II, 1, 61. Et »optima prima fere Manibus rapiuntur avaris.« Ovid. Am. II, 6, 39. Homo igitur nequam est, qui magnam sibi impertire laudem non audet. — *pars hominum*] Iam incipit Davus ratione vere philosophica, ut opinatur; antequam eo progrediatur quo vult, praemittit magnificam de hominum inconstantia universam sententiam exemplorum splendore satis ornatam (6—20). — *natat*] Senec. Ep. 35: »Profice et ante omnia hoc cura ut constes tibi. Mutatio voluntatis indicat animum *natare*, aliubi atque aliubi apparere prout tulit ventus: non vagatur quod est fixum et fundatum.« — *modo*] cui respondet *interdum*, ut Sat. I, 10, 12 sq. Aliter etiam Epist. II, 1, 63. — *tribus anellis*] De anulorum usu magnoque in iis luxu hos lege locos: Isid. Origg. XIX, 32: »Apud veteres ultra unum anulum uti infame habitum viro.« Contra Senec. Nat. Quaest. VII, 31: »Exornamus anulis digitos; in omni articulo gemma disponitur.« — *Priscus*] homo ignotus, senatorii ordinis. — *inaequalis*] Sat. I, 3, 9. 19. — *clavum*] Tunica indutus erat modo lato, ut senatorum, modo angusto clavo, ut equitum, ornata. — *in horas*] A. P. 160. Cic. ad Att. XIV, 20: »consilia temporum sunt; quae in horas commutari vides.«

V. 13. *doctor*] Sic optimi quique codices, alii *doctus*. Illud tamen praeferendum puto vel propter co-

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iam moechus Romae, iam mallet doctor Athenis
Vivere: Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.
Non dices hodie quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, pessime? Laudas
Fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis quod clamas rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis et haeres
Nequidquam coeno cupiens evellere plantam.

dicum Blandin. auctoritatem, etiamsi nihil tribuendum sit scholiastarum adnotationi: »Dicitur Priscus oratoriam docuisse.« — *Vertumnis*] A vertendo dictus deus Vertumnus, qui variis anni temporibus praeerat. Vide de eo Ovid. Met. XIV, 642 sqq. Comm. Cruq.: »Erat Vertumnis multiformis, positus in multis locis civitatis, et fere in omnibus municipiis Italiae consecrabantur simulacra, quibus essent ambigui vultus, qui pro habitus diversitate in diversas facies deorum vertebantur.« Ceterum cf. Sat. II, 3, 8. — *Volanerius*] Nihil praeterea de hoc homine traditur. Est autem exemplum constantiae in vitiis. — *cheragra*] Verior haec videtur esse forma in locis, in quibus prima syllaba corripiatur necesse est, quam altera *chiragra*. Epist. I, 1, 31. — *mitteret*] E fritillo, pyxide lignea, in qua tali manu agitabantur, deinde ex ea in phimum coniiciebantur, adeo ut duobus his instrumentis omnis fraus arceretur. Phimus autem turricula erat sive pyrgus, cylindrus cavus qui trochleatim effictus erat certosque habebat intus gradus excisos, ex quibus fundebantur tali in alveolum sive tabulam lusoriam. Alii fritillum idem esse ac phimum affirmant, ut Schol. Iuven. ad Sat. 14, 5: »Fritillus, pyxis cornea, qui *fimus* dicitur graece.« — *prior illo*] »quanto pertinacior erat in suo proposito, tanto felicior illo, qui semper in diversa vertebatur.« Acro. In bonis tamen codd. est *acrior* pro *ac prior*, et *ille* pro *illo*. — *iam — iam*] modo — modo. Tres Bland. et duo alii Cruq., unus Pulmanni, duo Orellii habent *tam - quam*. cf. Ovid. Met. I, 111. Ad imaginem cf. Lucian. Dial. meretr. III. extr.: »Ὄρα μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείνουσαι τὸ καλώδιον.« — *hodie*] Longi sermonis taedio captus Horatius timet ne totus dies ita consumatur. — *Furcifer*] Donat. ad Terent. Andr. IV, 5, 12: »Furciferi dicebantur qui ob leve delictum cogebantur a dominis ignominiae magis quam supplicii causa circa vicinos furcam (V) in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et praedicare peccatum suum simulque commonere ceteros ne quid simile admittant.« Cic. pro Deiot. 9. — *coeno*] Ex graeco proverbio: αἴρειν ἔξω πόδα πηλοῦ. Metaphora sumpta de eo, cui in coenum delapso vires non sufficiunt ad enitendum. »Tantus,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Romae rus optas; absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad coenam, laudas securum olus ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: Nemon oleum feret ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore furisque.
Mulvius et scurrae tibi non referenda precati
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem, nasum nidore supinor,
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino;
Tu cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro
Insectere velut melior verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso

inquit, in te non inest sensus veri, ut ex turpitudine omnino possis exire.« — *olus*] Sat. II, 6, 60—64. — *vinctus*] vinculis oneratus, quia invitissimus. Et ne cum Horkelio dubites, num *vincire* idem possit esse quod *vinculis onerare*, lege Tacit. Ann. I, 23: »tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores, qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam *vincirent*.« id. Hist. I, 45: »*vinciri* iussum et maiores poenas daturum affirmans praesenti exitio subtraxit.« ibid. III, 36: »P. Sabinum *vinciri* iubet.« Horkelii coniectura: *escam Vix fugias*, necessaria non videtur, neque in satira me offendit intra paucissimas lineas *usquam* ter ingestum. — *amasque*] Cic. ad Att. IV, 16: »In eo me valde amo.« Sat. I, 2, 54.

V. 33. *lumina prima*] Epist. II, 2, 98. — *oleum*] lucernae, quae opus est ad Maecenatem festinanti. — *feret*] Sic recte etiam Doederlinius et Paulyus; nam scriptum erat in omnibus codd. Cruquii, exceptis tribus (Martin. Buslid. Div.). Quare non recte affirmavit Teuffelius, optimos et plurimos libros praebuisse alteram lectionem *fert*, quam commendavit Bentleius, receperunt Haupt., Meinek., Linker., Ritter. — *blateras*] Fest.: »Blaterare, stulte et percupide loqui.« — *furisque*] Sic ex Cruquianis MSS. Blandinius antiquissimus et tres alii, Pulmanni quattuor. Recte iam Georg. Fabricius: »Interrogatio prior est Horatii, vocantis servos; qui cum sint in herili imperio segniores, blaterat, clamat, furit.« Velocitatis notio, quae inest in *fugis*, plurimorum codd. scriptura, supervacanea est, quippe quae praecedente interrogatione multo gravius indicetur. Hoc tamen (*fugis*) probarunt Bentl., Haupt., Meinek., Linker., Ritter., Teuffel., Doederlin., Krueger. — *Mulvius*] »Scurrae spe bonae coenae decepti imprecantur tibi quae ego nolim iterare. Et recte quidem tibi maledicunt. Facile enim suam causam adversus te sic illi defendant.« — *dixerit ille*] Mulvius. — *ultro insectere*] In scurras, qui ridendi causa alebantur, suo sibi iure invehi videbantur. — *Quid*] Confirmat Davus Mulvii criminationes in poetam coniectas: »Recte sic Mulvius; quid enim? tu nonne stultior es me ipso mancipio?« Quod cum dicere audeat Davus, cogitandum est iratum se

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere: manum stomachumque teneto,
Dum quae Crispini docuit me ianitor edo.
Te coniux aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura intendit, sub clara nuda lucerna
Quaecunque excepit turgentis verbera caudae,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
Ditior aut formae melioris meiat eodem.
Tu cum proiectis insignibus, anulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es quod simulas? Metuens induceris atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri, virgis ferroque necari

praestare Horatium et manum tollere minantem. — *quingentis drachmis*] quo parvo pretio (120 thal.) vilia tantum mancipia emebantur. — *cruce*] Epist. I, 16, 48. Crucis autem supplicium apud Romanos peculiare fuit servis, unde servile supplicium appellatum. — *anulo equestri*] Qua ratione Horatius equestrem dignitatem acceperit nos quidem ignoramus; fortasse beneficio Octaviani eo tempore, quo Sabinum accepit, in ingenuitatem assertus cum censu equestri dignitatem quoque adeptus est. Cum qua re non pugnat Sat. II, 1, 29. 75; ibi enim cavet ne nova sibi dignitas in crimen et arrogantiam convertatur. Alii non sententiam solum ianitoris Crispini, sed verba etiam a Dama pronuntiari putantes neque *te* v. 46 neque *tu* v. 53 ad Horatium referunt, sed virum aliquem conspicuum et locupletem obiurgari malunt. Quo fit, ut etiam v. 54 *Damam* nomen non intelligant de servo Horatii, sed positum putent omnino pro appellativo *servi*. Quae ratio quam non sit probabilis quamque conturbet dialogum satirae, in promptu est.

V. 54. *ex iudice*] nam ex equitibus iudices eligebantur. De lacerna vide ad Carm. II, 16, 35; quae ibi notata sunt iis adde haec Beckeri Gall. T. II. p. 98 (ed. 1): »Da bei dieser Kleidung (lacerna) der Kopf immer unbedeckt blieb und man einen petasus gewöhnlich nicht trug, so heftete man, namentlich für die Reise oder wenn man obvoluto capite unerkannt sein wollte, eine Art Capuchon, cucullus, auch cucullio an die lacerna oder paenula.« — *induceris*] in domum adulterae. — *altercante*] Verbum a iudicio est translatum; altercatur enim qui adversarium interrogando vincere studet. Cic. Brut. 43: »Crassus in altercando invenit parem neminem.« — *quid refert*] »Quodsi ita te geris, num tu magis liber es quam is qui lanistae se vendidit? nihil enim interest utrum ad gladiatoria munera corpus tuum lanistae an libidinibus corpus et animum ad flagitia dederis.« De verbis Acro: »Qui se vendunt ludo auctorati dicuntur; auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.« Senec. Epist. 37: »Illius turpissimi auctoramenti verba sunt, uri, vinciri, ver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
In corruptorem vel iustior. Illa tamen se
Non habitu mutatve loco, peccatve superne.
Cum te formidet mulier neque credat amanti,
Ibis sub furcam prudens dominoque furenti
Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.
Evasti: credo, metues doctusque cavebis;
Quaeres quando iterum paveas iterumque perire
Possis, o toties servus! Quae belua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum moechus, ais; neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea: tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?
Adde super dictis quod non levius valeat: nam

berari ferroque necari.« —*ibis*] omisso pronomine *tu*. cf. Sat. I, 2, 90. II, 3, 212. 234. Epist. I, 14, 40. — *prudens*] »Mulier certe cautior est ac minus credula quam tu, qui *prudens* in periculum ruis, omnem rem tuam caeca temeritate ductus domino i. e. marito committis.« Noli cum aliis versum 65 a sequente distractum cum superiori coniungere Ceterum pro *peccatve superne* Horkelius coniecit scribendum esse *spectatque superne*, versibus tamen 64 et 65 inter se coniunctis punctoque posito. Ceterum cum Kirchnero Paulyus et Linkerus vv. 63. 64. 65 eiecerunt; Doederlinio non displicuit indicativus *formidat, credit*. — *Evasti*] Omissa particula *cum* vel *si*; vides orationem sic nervosiorem reddi. — *toties*] saepissime. cf. Epist. I, 1, 6. Cogitatione addamus necesse est: »quoties talem te ostendis.«

V. 74. *vaga*] προληπτικῶς positum: prosiliet et vagabitur, se extendet. — *vindicta*] De ratione manu servum mittendi Orellius ad h. l. haec habet: »Comparebat coram praetore urbano dominus cum servo, amicusque domini, assertor in libertatem; dominus servum vindicta (virgula) vel festuca dicis causa percutiebat, quo suam in eum potestatem manifestaret: tum assertor in libertatem hanc formulam pronuntiabat: *Hunc hominem liberum esse aio ex iure Quiritium.* Dominus velut cedens adversario ficto: *Hunc hominem liberum esse volo* vel *liber esto atque abito quo voles*; dein eum circumagebat et manu emittebat; postea praetor edicebat *eum hominem liberum esse ex iure Quiritium.*« — *super dictis*] Ita cur non coniungamus non video neque est cur *dictis* dativum esse dicamus. Latior enim

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sive vicarius est, qui servo paret — uti mos
Vester ait — seu conservus; tibi quid sum ego? — Nempe
Tu, mihi qui imperitas, alii servis miser atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens sibique imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat foribusque repulsum
Perfundit gelida, rursus vocat: eripe turpi
Colla iugo; Liber, liber sum, dic age! Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis et acres
Subiectat lasso stimulos versatque negantem.
Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella,

Horatii usus est huius particulae cum ablativo coniunctae. cf. Carm. I, 9, 5. Epod. 7, 3, Virg. Bucol. 1, 80. Alii sic: *adde super, dictis.* — *vicarius*] Licuit servis alium servum ex peculio suo emere ad perficienda quae sibi essent servilia negotia. Eum autem nominabant vicarium, qui, cum peculium servorum in potestate domini esset, servi non servus solum erat sed etiam conservus. — *alii*] Sic bene ex antiquis codicibus, quod etiam Lachm. ad Lucret. p. 249 probavit, alii, ut Haupt., Meinek., Linker. alteram lectionem *aliis* praetulerunt; significatur non Maecenas, sed libido et cupiditas. — *lignum*] Significantur *νευράσπαστα*, parva quaedam animalium simulacra, quorum vel singula vel universa membra certis nervis in hanc vel illam partem movebantur (Marionetten). — *sibique imperiosus*] Sic scripsi cum antiquissimo cod. Blandin., duobus aliis Cruquii, quattuor Pottierii, uno Pulmanni et Montepessul. pro eo quod in pluribus inest *sibi qui*. Displicet duplex sententia relativa, altera alteram explicans. cf. Carm. III, 29, 41.

V. 86. *in se ipso totus*] Cic. Parad. 2: »Non potest non beatissimus esse, qui totus aptus est ex sese, qui in se uno sua posuit omnia.« — *teres atque rotundus*] M. Anton. III, 41: »*Τούτου (τοῦ νοῦ) οὐ πῖρ, οὐ σίδηρος, οὐ τύραννος, οὐ βλασφημία, οὐχ ὁτιοῦν ἅπτεται· ὅταν γένηται σφαῖρος, κυκλοτερὴς μένει.*« — *dominus*] prava cupiditas. — *subiectat*] Metaphora sumpta ab equite qui lasso equo calcaria subdit. Epist. II, 1, 217. — *Pausiaca*] Pausias Sicyonius floruit circa a. ante Chr. 370. De re conferas Ciceronem Parad. 5: »An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit; dandum est: vocat; veniendum: eiicit; abeundum: minatur; extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum appellandum puto.« Et deinde: »Pari stultitia sunt quos signa, quos tabulae, quos aedificia magni-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
Aut Pacideiani contento poplite miror
Proelia rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus coenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,

fica nimio opere delectant.« — *Fulvi*] Tria sunt nomina gladiatorum; tertium ex Lucilii satiris sumptum. — *contento poplite*] Acron: »dum attentus aliquid spectat (Davus), erigit se et extendit poplitem suum.« Hanc veram esse interpretationem viderunt Teuffelius et Doederlinius. Coniunge igitur *cont. popl. miror.* — *rubrica picta*] Significantur rudes picturae, quae ad alliciendum populum vel a lanistis vel ab iis, qui spectacula edebant, exponebantur. Plin. H. N. XXXV, 7: »Libertus eius (Neronis) cum daret Antii munus gladiatorium, publicas porticus investivit pictura, ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus . . . Pingi gladiatoria munera atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano. Is avo suo triginta paria in Foro per triduum dedit tabulamque pictam in nemore Dianae posuit.« — *cessator*] »quodsi ego illas rudes tabellas a lanistis propositas admirans paulo diutius moror, statim cessator audio et vituperor; tu contra in simili re non melior laudaris.« — *nil ego*] nequam audio. — *plector enim*] »Perniciosum quidem est, nam tergum plectitur; tu autem nunc in stomacho et pedibus poenam sentis?« cf. Sat. II, 2, 41 sqq. — *qui tu*] quo iure tu. Haec imitatus est Persius 5, 129: »Sed si intus et in iecore aegro Nascuntur domini, *qui tu impunitior exis* Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?« — *illusi pedes*] qui vacillant vel propter podagram vel propter totius corporis imbecillitatem. Senec. Epist. 95: »inde (ex luxuria) incerti labantium pedes et semper, qualis in ebrietate, titubatio.«

V. 110. *mutat*] vide ad Carm. I, 17, 1. Acron: »servus, qui strigilem furatur et mutat in uvam (i. e. eiusque pretio uvam sibi emit), ut comedat, crimine luxuriae notatur, liber vero, qui patrimonium suum luxuriae impendit, non servit gulae nec luxuriosus est?« — *strigili*] Becker. Gall. T. II. p. 47: »Die strigiles oder Schabeisen sind aus den Gymnasien bekannt. In den Bädern bediente man sich ihrer, um Oel, Schweiss und Unreinigkeit von der Haut zu schaben. Sie haben sämmtlich eine Höhlung, in welcher sich, wenn sie über den Körper strichen, Schweiss, Oel oder Wasser sammelte und wie in einer Rinne herablief.« — *gulae parens*] Sententia haec est:

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nil servile gulae parens habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.
Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? Unde sagittas?
Aut insanit homo aut versus facit. Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Satira VIII.

Ut Nasidieni iuvit te coena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic

qui praedia vendit, ut gulae parcat, nihilne is servile habet? — *erro*] Ulpian. Dig. XXI, 1, 17: »Erronem sic definimus, qui non quidem fugit sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in rebus nugatoriis consumptis serius ad dominum redit.« — *unde mihi lapidem*] De impudentia servi iratus dominus lapidem quaerit, quo malum hominem percutiat. Sic autem irasci et furere hominis est qui veras criminationes iustis causis non possit diluere. Quare lepide Horatius contumeliosis servi obiurgationibus quasi cedit. Lepide etiam Davus calidis domini exclamationibus frigidissime respondet; dominus calidior etiam factus sagittas quaerit, deinde impotens neque sibi consulere sciens molestum servum dirissimis minis pellit. — *versus facit*] Poetae qui vere sunt divino quodam furore corripiuntur, cum versus faciunt. Qua re Davus maligne ita utitur, ut dominum poetam, nunc furore correptum, mentis compotem esse aut quid dicat scire neget. — *opera nona*] Octo igitur iam servi fuerunt Horatio in Sabino. Viliores erant servi rustici et opera ruri duriora; quare qui ex urbana familia gravius quid deliquissent rusticae familiae addebantur.

Satira VIII.

Quod semper fieri solet, cum rerum publicarum status et ordines violentis bellorum motibus turbantur, ut ex infima etiam plebe homines casu vel fortunae ludibrio emergant corrasisque magnis divitiis eam sibi concilient auctoritatem quam coniunctam semper scimus cum divitiis, id Romae et Horatii aetate saepe factum esse taedium testatur, quo boni saepe cives moti de arrogantia et insolentia divitum libertinorum, aliorum id genus hominum conquerebantur. Nempe »fortuna non mutat genus« (Epod. 4, 6). Talem tibi cogita hunc Nasidienum, cuius coenam in hac satira Horatius Fundanio, comico poeta, interprete describsit. Is enim casu magis quam meritis dives factus cum pecunia omnia parari, genus et formam donari crederet (Epist. I, 6, 36 sq.), in consuetudine nobilium et doctorum hominum aliam insuper gloriandi causam quaesivisse videtur. Quare Maecenatem clarosque poetas, Varium et Fundanium (Sat. I, 10, 42) iam saepius fortasse ad se invitaverat; sed cum illud quod ardenter cuperet tandem esset assecutus, cum Maecenas importunis eius precibus cedere tandem coactus esset, ingentem convivis ridendi copiam praebuerunt eius agrestes mores, vana in ostendendis opibus elegantia, rustica in laudandis rebus arrogantia. Duae igitur res fuerunt

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

De medio potare die. Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. Dic, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.
In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
Captus, ut aiebat coenae pater; acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum

quae Horatium ut convivium illud ridicule describeret videntur permovisse; ac primum quidem ut Nasidienorum perversitatem aequalibus ridendam praeberet aliorumque si fieri posset stolidam iactantiam sanaret, deinde quo Maecenati, qui Nasidieni imperitia et ineptiis magnopere esset delectatus, gratam eius convivii memoriam conservaret. In qua re illud tenendum est, multa haud dubie Romanis hominibus magis ridicula visa esse quam nobis de antiqua instruendae coenae ratione, de ferculorum recto ordine, de ciborum bene et eleganter parandorum et ponendorum iusto modo non satis instructis. Praeterea tamen bene velim observes, quam egregie Horatius qui ipse coenae non interfuit comico poetae Fundanio rem narrandam demandaverit, quippe in cuius ore quae natura essent ridicula maiorem etiam risum cierent. Deinde sapienter institutum est quod Maecenatis praeter nomen nihil memoratur; nimirum ne tanti viri gravitas apud populum laederetur. Nasidienus Rufus quis fuerit nescimus; nam quod apud Acronem legitur, fuisse eum equitem Romanum, cave ne ei auctori nimium credas. Deinde alii Salvidienum Rufum, Octaviani legatum, rideri suspicati sunt; non bene, quoniam ille iam anno 714 occisus est. Unum in hac re certum est, Nasidienum nomen fuisse vere Romanum; id quod exemplorum auctoritate satis comprobatur. Quo anno satiram scriptam dicas nihil est quo docearis; nonnulli annum 724 aptissimum suspicati sunt. Webero videtur carmen scriptum esse vere (cf. v. 8 sqq.) a. 726, Teuffelio a. u. 720, Zumptio iam anno 714, quoniam hic vir doctus Salvidieni fratrem derideri existimat; non recte, opinor.

V. 1. *Ut Nasidieni*] Nomen quattuor syllabis pronuntiandum *διὰ συναιρέσεως*. Vide ad Carm. III, 4, 41. Sat. I, 7, 30. II, 3, 245. Aliter v. 75. 84. Aliae lectiones *Ut te Nas.* et *Nasidieni qui* exortae sunt ex malo metri corrigendi studio. — *beati*] divitis. Carm. III, 7, 3. Inest tamen in hoc epitheto ironia quaedam, non tanquam vere fuerit miser et infelix, qui suis divitiis bene uti nesciret, sed quia opibus gloriari solebat vir bonus. — *Nam*] Additur hac particula unde sciat Horatius Fundanium coenae Nasidieni interfuisse. Vide ad Carm. III, 11, 1. — *dictus*] Omissum verbum *es*; ex sermone quotidiano. — *here*] De qua forma compara hos locos: Quintil. I, 7, 22: »*here* nunc *e* littera terminamus; at veterum comicorum adhuc libris invenio *heri ad me venit*, quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.« id. I, 4, 8: »in *here* neque *e* plane neque *i* auditur.« Priscian. p. 1011: »Dicitur tamen et *here* (Iuvenal. lib. I, 3, 23): *res hodie minor est, here quam fuit.*« Horatius in II. Sermonum. — *de medio die*] Solita coenae hora nona fuit. cf. Epist. I, 14, 34. — *dic*] Sic omnes codd. Cruquii, Bentleii, Pulmanni, Orellii; tamen Orellius Kirchn. Teuffel. Meinek. ex paucis codd. Feae et Comm. Cruq. *da*, de quo cf. Virg. Buc. 1, 19. — *placaverit*] cf. Sat. II, 2, 18. De gustatione qua initio coenae irritabatur stomachi cupiditas nihil dicitur. — *Lucanus*] Sat. II, 3, 234. II, 4, 40. — *leni Austro*] scilicet ne convivae putrescere iam aprum suspicarentur (Sat. II, 2, 41); qua quidem re quid potuit magis putide aut importune doceri? — *circum*] vide Sat. II, 4, 73 sqq. — *radices*] Rettig. Ovid. Met. VIII, 666. — *si-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόρειου

Pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcunque iaceret inutile quodque
Posset coenantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
Hic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat: habemus utrumque.
Divitias miseras! Sed quis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
Summus ego et prope me Viscus Thurinus et infra,

ser] Plin. XX, 7: »Siser stomachum excitat, fastidium absterget, ex aceto laserpitiato sumptum aut ex pipere et mulso vel ex garo.« — *faecula*] Sat. II, 4, 73. Est liquamen et condimentum ex Coi vini faece paratum. — *puer alte cinctus*] altius videtur quam decorum erat. Nam si nihil in hoc loco inesset ridiculi aut indecori, quid eam rem diserte nominavit Horatius? Deinde Servilius de eadem re videtur ridere v. 70. — *acernam*] non sequor Commentatorem Cruquianum: »Notat eius sorditiem, quod pro divitiis non habuerit mensam citream aut vermiculatam«; nam Plin. XVI, 26: »Acer, inquit, operum elegantia ac subtilitate citro secundum.« Neque consentaneum est divitem hominem in parandis mensis, in eligenda supellectile parcum aut avarum fuisse; immo vero mensa satis pretiosa est. Augusti autem aetate mensa nondum ut postea mantelibus tegebatur, quare antequam novum ferculum poneretur gausape abstergi debuit. Isid. Orig. XIX, 26, 6: »Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt, quae, ut nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus praebebantur.« — *sublegit*] ἀνελέξατο; unde nomen his servis analectarum.

V. 13. *Attica virgo*] καληφόρος; cf. Sat. I, 3, 10. — *Hydaspes*] Servus Indus, quos in familia habere luxuria et mos iussit. Nomen sumptum est ex patrio flumine servi. — *Caecuba*] Plin. XIV, 6: »Divus Augustus Setinum praetulit cunctis. Antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano. Secunda nobilitas Falerno agro erat et ex eo maxime Faustiano. Ad tertiam palmam varie venere; Albana urbi vicina praedulcia ac rara in austero; item Surrentina; certant Massica aeque ex monte Gaurano.« Vituperandus igitur Nasidienus non erat ideo quod Caecuba vina proposuit, sed quod simul gloriabatur se alia quoque habere, et quod in divitum hominum epulis plura fortasse genera praebebantur. — *Chium maris expers*] Solebat vinis graecis aqua marina admisceri; hoc igitur Chium, quod inter transmarina nobilissimum fuit auctore Plinio, non erat mixtum, sive quod salubrius fortasse habebatur (cf. Plin. XIV, 7: Nunc gratia ante omnia est Clazomenio, postquam *parcius* mari condiunt.« et ibid.: »Nec Ephesium salubre esse, quoniam mari et defruto condiatur.«) sive ne sitim excitaret neve qui acriter biberent minus recte de exquisitis cibis possent iudicare (cf. v. 36 sqq.). — *divitias miseras*] Horatii sunt Fundanium interrumpentis; de qua re ne cui dubitatio exoriatur, particula *sed* satis videtur cautum esse. Male igitur alii ea verba Nasidieno tribuerunt. Miserae sunt divitiae, quod miserum reddunt hominem in tan-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si memini, Varius, cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,



tamque agunt iactantiam et stultitiam. — *pulchre*] Sat. II, 2, 106. — *Summus ego*] Quo ordine accubuerint convivae ex hac tabula videbis: 1) Fundanius 2) Viscus 3) Varius 4) Servilius 5) Vibidius 6) Maecenas 7) Nomentanus 8) Nasidienus 9) Porcius. In quo ordine hoc incertum relinquitur, utrum Viscus secundum et Varius tertium tenuerit an contra Viscus tertium et Varius secundum. Idem dicendum de umbris Maecenatis. Medius lectus maxime honoratus nobilissimo inter convivas viro eiusque comitibus tribuebatur; quare Maecenas in ultimo loco medii lecti, qui locus *consularis* appellabatur, accumbebat. Si recte rem instituisset Nasidienus septimum locum Maecenati proximum sibi servare debuisset; quem cur Nomentano dederit, manifestum est ex versu 25. — *Viscus Thurinus*] Thuriis oriundus, diversus a Viscis fratribus qui Sat. I, 10, 83 nominantur. — *Servilio*] tribus syllabis pronuntiandum. — *quos Maecenas*] Optimi codices *quas*, quod quidem a scriba nimis anxio de consuetudine latina in *quas* mutatum videtur. — *umbras*] comites a domino coenae non invitatos. Epist. I, 5, 28. — *Nomentanus*] Sat. I, 1, 102. Porcius publicanus appellatur apud Comm. Cruq., Nomentanus decumanus.

V. 24. *simul*] Sic plurima pars bonorum codicum neque video cur haec lectio alteri *semel* cedat. Dicit enim Porcium, voracitate reliquis ut ostenderet quam essent egregiae placentae, totas, in partes non dissectas, absorbuisse. *Simul* igitur bene ponitur contra *totas*, ut eandem habeas sententiam quam in altera lectione *semel* adversarii inesse aiebant. Dubitationi magis obiectum est iudicium de diversa lectione verborum *absorbere* et *obsorbere*, utraque a bonis codicibus commendata. Illud tamen ideo praetulimus ne egregia comparatio gulonis cum maris gurgite perdatur, adinti loco Ciceronis Phil. II, 27, 67: »Oceanus vix videtur tot res, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse.« Praeterea *obsorbere* plerumque de liquidis usurpatur. — *nam cetera turba*] Nomentanus omnes cibos laudabat ob insolitum gustum et novam qua essent parati rationem; cuius quidem rei convivae, haudquaquam earum rerum imperiti, etiamsi non initiati in mysteria

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Longe dissimilem noto celantia sucum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti;
Et calices poscit maiores. Vertere pallor
Tum parochi faciem nil sic metuentis ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: Haec gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum ius est, oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de sucis piscis Hiberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur — cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud —; pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.

culinae Nasidieni, nihil sentiebant; neque magis delectabantur intestinis piscium, quae alias non apponebantur, Fundanius certe antea nunquam gustaverat. — *passeris*] Pleuronectis Flesi Linn. — *rhombi*] Sat. I, 2, 116, II, 2, 95. — *melimela*] Plin. H. N. XV, 15: »mustea (mala) a celeritate mitescendi, quae nunc *melimela* dicuntur a sapore melleo.« Non sunt mala Cydonia (Quitten). — *Nos nisi*] Perpetua omnium ciborum laudatione impudentique iactantia domini et eius sociorum convivis taedium paratur; quare Vibidius acri potatione ultionem quaerere constituit. cf. Virg. Aen. II, 670, IV, 659. — *parochi*] iocose dictum; vide ad Sat. I, 5, 46. — *maledicunt*] cf. Sat. I, 4, 89. — *Allifanis*] Maiores calices dicti ab Allifis, Samnii oppido. Animadverte iocosam gravitatem ipsius versus. — *imi lecti*] Nomentanus et Porcius, scilicet ne gustum sibi perderent neve Nasidienum acriter bibendo offenderent. — *his*] oleo, garo, vino cet. cf. Sat. II, 4, 63. — *Venafri*] Carm. II, 6, 15. — *garo*] Plin. XXXI, 43: »Garum nunc e scombro pisci laudatissimum in Karthaginis Spartariae cetariis.« Karthago Spartaria est Hispanica, quia frequens ibi fuit spartum. — *mutaverit*] cf. Sat. II, 2, 58. *Vitio* est dativus, in vitium i. e. in acorem. — *illotos*] e vasis, ubi sale conditi et repositi fuerant, cum sua

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, illotos Curtillus echinos,
Ut melius muria quod testa marina remittit.
Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur; Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret: Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
Haec est condicio vivendi, aiebat, eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur, ut omnes
Praecincti recte pueri comptique ministrent?
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.

salsugine exemptos. Vide ad Sat. II, 4, 84. — *ut melius*] ὡς χρεῖττον ὄν; cf. v. 89. — *quod remittit*] Sic codices Cruquiani antiquissimi omnes, nisi quod in Bland. antiquiss. est *quo*; relativum autem *quod* cum non intelligeretur, a scribis corruptum est in *quam*. Verba autem *quod testa mar. remittit* subiectum sunt quod vocamus; illud enim ipsum melius esse praedicatur quam muria. Alii ex bonis etiam codd. coniunctivum *remittat* praetulerunt; non recte. — *Curtillus*] ignotus homo.

V. 54. *aulaea*] vide ad Carm. III, 29, 15. — *maius veriti*] ruinam domus vel tecti triclinii. — *esset*] de imperfecto pro plusquamperf. cf. Sat. I, 3, 4. Cic. de off. III, 16. — *mappa*] linteum quo manus et ora abstergebant (Serviette). Petron. 32: »Circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus;« nam quibus ius lati clavi erat, ii mappas quoque et mantelia lato clavo ornabant. — *suspendens*] vide ad Sat. I, 6, 5. Balatro Nomentano quasi assentiens rem iocans et irridens magnopere auget; nam plena haec consolatio est ironiae. — *ne panis*] Particulas *ne* et *ut* vides coniungendas esse cum voc. *sollicitudine*. Ludibrium autem in ea re videndum est, quod Balatro Nasidienum, qui cibos et curam in parandis cibis positam ad taedium ipse praedicaverat, minutis curis enumerandis maligne laudat. Ac videntur ii recte locum intellexisse, qui panem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
Nasidienus ad haec: Tibi di quaecunque preceris
Commoda dent! ita vir bonus es convivaque comis;
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,

vere adustum, ius male conditum fuisse putarent. — *patinam*] Ea, in qua muraena apposita erat, haud dubie fracta erat decidentibus aulaeis. Quare si qui servus sinister hoc quoque in convivio patinam fregit, alia est patina, neque ille id facere potuit cum aulaea quae ciderant amoveret, id quod ex verbis *pede lapsus* clarissime patet. Neque credendum est Nasidienum ut numerum ministrorum augeret agasonem i. e. servum qui iumenta curaret aggregasse. In divite domo quis dubitat quin sat multi fuerint servi qui ad coenam adessent? praesertim cum ii homines qui in divitiis laudem quaerant in alenda magna familia parci esse non soleant. Quare agasonis nomen positum nobis quidem videtur pro vili et rudi servo, ut apud Persium 5, 176: »Hic Dama est non tressis agaso.« — *soleas poscit*] Qui ad coenam accumbebant soleas sibi demi iubebant; qui surgere volebant soleas poscebant. — *stridere*] Versus totus factus est ad significandum susurrum. — *nullos*] Sunt Horatii usque ad *risisti*.

V. 81. *quoque*] nam patina fracta erat. — *fictis rerum*] vide ad Sat. II, 2, 25. Rident autem de fictis rebus, quo facilius vera ridendi causa occultetur. — *secundo*] adiuvante. Epist. II, 1, 102. I, 10, 9. — *Nasidiene*] Fundanius ad ridendam gravitatem qua Nasidienus quasi triumphans redit epicorum consuetudine utitur heroas saepe in carminibus alloquentium. Hom. Il. IV, 127. — *arte emendaturus*] cf. Ter. Ad. IV, 7, 23: »Illud quod cecidit forte id arte ut corrigas.« — *Mazonomo*] Est proprie ingens lanx, ex qua μάζα νέμεται, puls distribuitur; deinde omnino ingentem patinam significat. — *discerpta membra*] In ipsis cibis quos apponebat Nasidienus nihil videtur magnopere peccatum esse; sed importunum omnes suas res laudandi studium, qua stolide saporem augere tentavit Nasidienus, taedium renovavit convivis, qui, cum aliter sese non possent liberare ab his molestiis, satiati fastidio tandem relictis omnibus deliciis aufugerunt. Nam quod gruis membra sparsa erant sale et farre, quod anser saginatus sucosis ficis muliebris sexus erat, et quae reliqua sunt, ea omnia Nasidienus multis verbis exposuisse et praedicasse putandus est. — *gruis sparsi*] *grus* nomen feminini generis esse solet, ut *anseris* nomen mascu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes,
Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus, quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset peior serpentibus Afris.

lini est. Docentur autem convivae ab importuno domino, gruem marem, anserem feminam esse. — *armos*] cf. Sat. II, 4, 44. »Quia lumbi habent aliquid tetri odoris et saporis minus iucundi. Comm. Cruq. — *edit*] Epod. 3, 3. — *pectore adusto*] cf. Ter. Ad. III, 3, 71; »Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum.« Merulae igitur apponebantur propter festinationem qua in iis parandis usi erant coqui, non assae sed vere adustae; praeterea absurdum videtur fuisse palumbes sine clunibus apponere. Apud Gellium certe legimus XV, 8: »Praefecti popinae atque altilium luxuriae negant ullam avem praeter ficedulam totam comesse oportere; ceterarum avium atque altilium nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiore parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere; superiorem partem avium et altilium qui edint, eos palatum non habere.« — *causas et naturas*] Omnia illa edulia, inquit Fundanius, satis bona fuissent, nisi coenae pater iterum docuisset cur quaeque res hac ratione, non alia, parata esset, quem gustum sucumve haberet, similia. — *Canidia*] Epod. 5. 17. Sat. I, 8. — *afflasset*] cum dativo, ut Tibull. II, 1, 80: »Felix cui placidus leniter afflat Amor.« Virg. Aen. I, 591. Cic. Her. IV, 49: »Si quem reperiat cui aliquid mali faucibus afflare possit.« — *Afris*] Carm. III, 10, 18.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

Epistola I.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,

Epistola I.

Editis tribus carminum libris Horatius magnam sibi nominis gloriam paraverat: ex quo tempore cum plures anni transiissent, quibus Romanae lyrae fidicen nihil ad sustentandam augendamve laudem novi addidisset, unus sane non fuit Maecenas, qui poetam ut laudi suae consuleret benevola admonitione incitaret. Sed »tempora mutantur et nos mutamur in illis« neque quaevis aetas aut quivis animus aptus est ad componenda lyrica carmina, quibus tenerrimos et intimos sensus poetae exprimere solent. Quod quam sit verum Horatius quoque sensit eamque excusationem Maecenatis amicorumque reliquorum voluntati opposuit. Quare olim se lusisse ait adolescentem, iam severis se disciplinis et studiis deditum eam conquirere rerum copiam, unde summam possit capere utilitatem ad vitam sapienter instituendam. Hoc enim se sequi in rebus philosophicis consilium, eandem ob rem uni philosophorum disciplinae se non addictum esse sed undecunque fieri possit optima quaeque et verissima colligere (v. 19). In qua re cum ardentissimo studio et indefesso animo elaboret, tamen haudquaquam se nescire, non omnibus ad summum ascendere fastigium sapientiae esse concessum; largissimam vero ibi paratam esse veritatis quasi quandam messem, ut quivis quovis tempore aut consolationem malorum aut perturbationum animi sedationem dum velit possit ibi reperire: in qua quidem animi perturbati sedatione principium cernendum esse sapientiae (v. 41). Stultitiae radices positas esse in pravo de rebus iudicio: quare admirationem et desiderium coërcenda esse ad ea quae vere bona sint h. e. ad virtutem (52); quamquam homines aliter ferme iudicare, virtutem divitiis posthabere, et in hominibus non virtutem sed opes admirari. Qui vero recte intelligant, iis summam vitae legem in innocentia esse, optimum consilium in animo a Fortunae incerto favore liberrimo (69); eosdem bene docere imperitae multitudinis opinionem vel voluntatem sequendam non esse, quoniam multiplex illa sit (76—80), incerta et varia ut Proteus (93), tam caeca, ut qui in externis rebus sui negligens sit eum derideat, qui inconstans in petendis fugiendisve rebus, cum ne vituperet quidem. Quare verissimum esse illud Stoicorum, sapientem unum esse regem, unum omnibus vere expetendis rebus exornatum. En habes argumentum epistolae, quam I. Caesar Scaliger, Horatii ille quidem non caecus laudator, sic praedi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βεροιας

Maecenas, iterum antiquo me includere ludo;
Non eadem est aetas, non mens. Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
Solve senescentem mature sanus equum, ne

cavit: »Prima epistola quovis melle dulcior est. Sententiae appositae, dictio casta, rotunda, suavis. Quapropter arbitror postremam omnium (libri I) factam, primam positam ob luculentam raritatem.« De tempore quo scripta sit epistola idem nunc quoque iudicant viri docti. Ne tamen credas Horatium qui olim Stoicorum doctrinam ut insanam sugillaverit laudatis iisdem praeceptis non constantem videri, animadverte quaeso lepidam illam sententiam, qua epistolae facete et iocose finis ita imponitur, ut quid discriminis faciendum sit inter artem et vitam bene hunc intellexisse videas.

V. 1. *summa Camena*] Significat poeta suam cum Maecenate familiaritatem, dignissimo viro quem semper et praedicaverit et praedicare debeat. In quo loco noli cogitare de certis carminibus; generalis enim sententia est. De voc. *summa* vide ad Carm. III, 28, 13. cf. Virg. Aen. II, 324. Inde Quintil. VI, 4, 22; »Eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima et summa ponantur. Ipsa Camena impedit quominus aut satiras aut epistolas intelligamus.« cf. Sat. I, 4, 40. II, 6, 17. — *spectatum*] Verbum hoc proprium est de gladiatoribus, quibuscum poeta se suamque laudem comparat. Satis spectati gladiatores a ludi editoribus populo postulante rude donabantur; quod signum erat exauctorationis, si liberi erant, missionis artis gladiatoriae, si servi. Huic igitur missioni opponitur v. 3 *antiquo includere ludo*, qui ludus non est amphitheatrum, quo spectabantur munera, sed ludus lanistae, in cuius parvis cellis gladiatores alebantur. — *Veianius*] »Nomen proprium gladiatoris nobilissimi; iucunde hoc exemplum attulit, quia superius meminit ludi. Comparat autem se Veianio, qui, cum post multas palmas Herculi consecrasset sua arma, tandem contentus agro suo privatim vixit. Cuius exemplo propter aetatem et institutum vitae dicit relictis iocis et lyricis versibus se velle transire ad philosophiae studium.« Comm. Cruq. — *toties*] quoties audeat in arenam denuo descendere et cum iunioribus et validioribus vires componere. cf. Sat. II, 7, 70. Laesi enim gladiatores arma summittebant; quo facto a nutu populi mors eorum pendebat aut salus. Qui saucio favebant premebant pollicem; qui necari eum volebant, retro vertebant pollicem et subrigebant. Iuven. 3, 36: »Munera nunc edunt et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.« Hor. Epist. I, 18, 66. Hic igitur Veianius ne partam sibi laudem perdat nullo ne maximo quidem auctoramento induci potuit, ut denuo in certamen prodiret novamque palmam reportare tentaret. Saepe enim factum est, ut qui iam missi essent gladiatores rudiarii ad singula certamina a munerum editoribus magno auctoramento revocarentur. Suet. Tib. 7: »Munus gladiatorium dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium.« — *extrema arena*] Acron: »quia gladiatores, petituri rudem, de media arena conferunt se ad crepidinem Circi.« — *purgatam*] Pers. 5, 96: »Stat contra ratio et secretam gannit in aurem.« Purgabant medici antiqui aures sordibus dolentes infuso aceto. Iam quae purgatae sunt aures facilius accipiunt allatos sonos et voces, ut ipsi homines iis facilius obtemperent neque quae benevole monita sunt spernant, tanquam surdi qui nihil omnino audiverint. — *personet*] active ut Virg. Aen. VI, 418.

V. 8. *solve senescentem*] Eandem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.
Nunc itaque et versus et cetera ludrica pono,
Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum;
Condo et compono quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes;
Nunc agilis fio et mersor civilibus undis

rem nova illustrat imagine, sumpta ea quidem a nobili equo, qui saepe ἀεθλοφόρος ne senescens quidem cum iunioribus certamen detrectat sed intentis quamvis omnibus viribus tamen vincitur et ridetur. — *peccet*] vincatur, eo quo velit non perveniat. Stat. Theb. VIII, 688: »Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit.« — *ilia ducat*] Meineke: »Ilia ducere non significat spiritum ex ilibus ducere, quod quo facto fieri possit vix intelligas, multo minus »die Lenden keuchend schleppen,« sed de iumentis dicitur, quorum ilia crebris pulsibus tenduntur rursusque remittuntur. Rem optime declarat Vegetius A. Veter. V, 64: »nares iumenti praecludes, ut spiritum reddere non possit: tunc ilia ei inspicies, quae si spissis pulsibus duxerit, scito esse tussim ex causa iecinoris, pulmonis vel praecordiorum, sed recentem: si lentis pulsibus ilia duxerit, veterem indicat tussim.« — *itaque*] De positura particulae Hand. Turs. III. p. 509: »Livii tempore primaria significatione oblitterata et particula pro *igitur* accepta scriptores haud contemnendi eam secundo loco vel tertio ponere consueverunt.« — *versus*] Haud dubie intelligenda sunt lyrica carmina a quibus se abstinere profitetur poeta; epistolas enim, tunc ipsum totum librum editurus, significare non potuit. cf. Epist. II, 1, 111. II, 2, 54 sqq. 141 sqq. I, 7, 27. I, 14, 36. Carm. III, 26, 4; ex quibus locis videbis quae cetera ludicra dixerit. — *curo et rogo*] meditando et alios, maxime libros, consulendo. — *omnis*] Sat. I, 9, 2. — *compono*] Quae collegi quasi in cella vel horreo condo et similia similibus compono, ut cum opus sit facile possim depromere. — *quo Lare tuter*] Metaphoram intelliges ex Carm. I, 29, 14. De ratione transeundi cf. Epist. II, 1, 208; praeterea notanda est breviloquentia in addenda apodosi et Graecis et Romanis valde usitata; vide ad Sat. II, 1, 82. Haec autem libertas, quam in philosophia quoque sibi servavit Horatius, cum satis nota esse debuerit Maecenati, ad hunc solum noli referre alteram verbi personam *roges*, sed quemcunque lectorem intelligas. — *addictus*] Verbum hoc proprium de iis, qui edicto praetoris ob aes alienum creditoribus quasi in servitutem dabantur, translatum est ad gladiatores (Sat. II, 7, 58) ab iisque ad philosophos h. l. ductum. Dicit autem poeta nihil aliud nisi hoc: »nunc Stoïcos lego, cum iisque agendi cupidis (*agilis*) πρακτικὸς sum philosophus et πολιτεύομαι videoque quid illi severi verae virtutis comites et satellites de rebus publicis praescribant, ut singuli homines universae saluti quam optime inserviant, nunc nescio quo modo (*furtim*) deferor ad Cyrenaicos (ἡδονικούς) cum iisque meditor de otiosa et beata vita, spreto rerum et hominum imperio paranda.« Epist. I, 17, 23. Sat. II, 3, 100. De Stoicis cf. Cic. de Fin. III, 20, 67: »Praeclare enim Chrysippus cetera nata esse hominum causa et deorum; eos autem communitatis et societatis suae; quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret cum iustum, qui migraret iniustum fore.« — *deferor*] Constat in imagine, in quam vocabulo *tempestas*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Virtutis verae custos rigidusque satelles,
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.
Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum;
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus:
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;

incidit. Navigantium enim hoc verbum est. — *mersor*] Nihil causae est cur hoc verbum a Porphyrione optimisque omnibus codicibus firmatum cedat alteri *versor* nullius prope auctoritatis. Et cf. Corn. Nep. Att. 6, 1. — *rigidus*] Sat. II, 1, 70. Lucan. II, 389: »(Cato) Iustitiae cultor, rigidi servator honesti.« De Aristippo vide Ciceronem Tusc. II, 6, 15. de Fin. II, 11, 34: »His omnibus quos dixi consequentes sunt fines bonorum: Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturae, quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere.«

V. 21. *opus debentibus*] mercenariis, servis, ancillis. — *custodia*] non tutela. Nam Dig. XXVI, 1, 18: »Feminae tutores dari non possunt, quia id munus masculinum est.« Cod. lib. V. Tit. XLIX, 1: »*Educatio* pupillorum tuorum nulli magis quam matri eorum, si non vitricum iis induxerit, committenda est.« Contra Tacit. dialog. c. 28: »Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis . . . . Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus.« — *tempora*] De plurali compara Epist. II, 1, 4. Ovid. Met. VIII, 2. Cic. pro Arch. 6, 13. — *pauperibus*] Similiter Diogenes apud Diog. Laert. 6, 68: »Τὴν παιδείαν εἶπε μὲν νέοις σωφροσύνην, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις παραμυθίαν, τοῖς δὲ πένησι πλοῦτον, τοῖς δὲ πλουσίοις κόσμον εἶναι.« — *elementis*] Sententia ita cum praecedentibus coniungenda videtur, ut causam ipsa prodat cur poetae omne tempus quod non consumpserit in vera doctrina perditum videatur. »Nam, inquit, meum nunc est his quae colligo philosophiae initiis (*elementis*) meam vitam regere et moderari.« Aliena enim negotia non curat ut Damasippus (Sat. II, 3) neque ab aliis se regi patitur. — *Lynceus*] Sat. I, 2, 90. De omissa quam dicunt particula *si*, ne nobis quidem Germanis necessaria, cf. infra 33. 87. Epist. I, 6, 31. Sat. I, 1, 45. Orationis formam tamen ita mutare nolui, ut protasis quae est in interrogationem videretur esse mutata, id quod Doederlinio placuit. Latina dictio nihil ab nostra discrepat. — *oculo contendere*] Sic optimi codices, recte. Pauci codices *oculos*. De constructione compara Cic. pro Ligar. 3, 6. — *inungi*] vide ad Sat. I, 5, 30. De re compara Arrian. Epict. I, 2: »οὐδὲ γὰρ Μίλων ἔσομαι, καὶ ὅμως οὐκ ἀμελῶ τοῦ σώματος, οὐδὲ Κροῖσος, καὶ ὅμως οὐκ ἀμελῶ τῆς κτή-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore;
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:

σεως.« — *Glyconis*] Hic qui fuerit, primus Lessing. (Vermischte Schrift. I. p. 325) ostendit ex Anthol. graeca (Brunck. Analect. T. II. p. 126. n. LXVIII): »Γλύκων, τὸ Πειραμηνὸν Ἀσίδι κλέος, Ὁ παμμάχων κεραυνὸς, ὁ πλατὺς πόδας, Ὁ χαυνὸς Ἄτλας κτλ.« — *cheragra*] Sat. II, 7, 15. — *Est prodire*] vide ad Sat. II, 5, 103. — *tenus*] Similis tmesis apud Ovidium Met. V, 642: »Hac Arethusa tenus.« — *avaritia*] »Notatu dignum est poetam, ubicunque mores suae aetatis perstringit, avaro primas tribuere partes ad eumque ire redireque. cf. Sat. I, 4, 26. II, 3, 82 sqq. I, 1, 28 sqq. Epist. II, 1, 119. II, 2, 148 sqq.« Obbarius. — *verba et voces*] Probabilis eorum opinio est qui *verba* ad cantiones, carmina magica, formulas magicas quibus corporum morbis medebantur antiqui, *voces* ad cantus vel vocis humanae vel tibiarum nervorumque (Epist. I, 2, 23. A. P. 216) referunt; nam symphoniae quoque ad leniendos dolores adhibebantur. Gell. IV, 13: »Proditum est, ischiaci cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.« cf. Plat. Charm. p. 155. E. 157. A. Eurip. Hippol. 478: »*Εἶαιν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι.*« — *tumes*] Sat. II, 3, 213. Epist. II, 1, 177. »Ambitioni secundus post avaritiam locus tribuitur. Sat. I, 4, 26. II, 2, 187. Epist II, 2, 205 sq.« Obbarius. — *ter*] vide ad Carm. I, 28, 36. Sat. II, 1, 7. Iungendum autem *ter lecto*. — *libello*] expiationum ritus et formulas continenti. Philosophorum libri quasi sacri sunt, ad quos non licet accedere nisi puro i. e. praevia lotione. Ut corporis morbi deorum ira efficiuntur nec possunt sanari nisi placatis diis (piaculis), ita animorum etiam vitiis certis quibusdam quasi piaculis medelae inveniuntur. —, *culturae*] Lege Cic. Tusc. II, 5, 13. et cf. Epist. I, 14, 4. Sat. I, 3, 37. — *sapientia prima*] Adi. *prima* coniunge etiam cum voc. *virtus*. cf. Epist. I, 6, 17. Sat. I, 3, 129. Quintil. VIII, 3, 41: »prima virtus est vitio carere.« — *caruisse*] vide ad Carm. I, 1, 4.

V. 42. *vides*] Idem genus apostrophes quod supra v. 13; nihil prorsus ad Maecenatem unum referendum est, sed ad omnes homines. — *per*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos! haec Ianus summus ab imo
Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

saxa] quae gravissimorum periculorum exempla sunt. Carm. IV, 14, 24. Sat. I, 1, 38. II, 3, 56. Neque rarius mercator exemplum est hominis lucri studiosi. cf. Carm. I, 1, 18. III, 1, 25. 26. III, 24, 40 sqq. Sat. I, 1, 39. I, 4, 29. — *ne cures*] non vis discere cet., ut desinas curare? *Ne* part. posita est pro *ut non*. vide A. P. 152. Ceterum cf. Epist. I, 8, 8. I, 6, 1. — *circum pagos*] Exemplo docetur, neminem, qui magnum possit sibi parare praemium, parvo contentum fore: maximum autem esse virtutem. Petitum est illud exemplum a pugilibus catervariis et circumforaneis lanistis, qui arte sua et robore paganum et oppidanum popellum delectabant. — *Olympia coronari*] στεφανοῦσθαι Ὀλύμπια. Sic Ennius apud Ciceronem de senect. 5: »vicit Olympia.« Magna autem appellantur Olympia et ornandi causa et »quia in pluribus Graeciae locis certamina sacra sub Olympiorum nomine celebrabantur et vv. *Olympia magna* differentia eorum ab illis, quae minus celebria erant, ab Horatio indicatur.« Iacob. Quaest. Ep. p. 35. — *sine pulvere*] cum quo nemo decertare auderet, is palmam tulit ἀχονιτὶ καὶ ἀμαχητί; id quod Olympiae Herculi primo contigisse narratur. In qua re haec inesse videtur sententia, eum qui vere sese ipse corrigere, virtuti studere audeat, si non facilem certam tamen victoriam esse reportaturum, de qua non ut de externis bonis cum aliis competitoribus decertandum sit. — *Ianus*] vide ad Sat. II, 3, 18. Ianus quasi magistri vice fungitur, inde vocabula propria *prodocet, recinunt, dictata*. *Prodocet*, docendo praeit, προδιδάσκει. Soph. Ai. 163. Vide ad Carm. I, 5, 8. — *laevo*] Idem versus Sat. I, 6, 74, de qua eiusdem versus repetitione, cum molesta Meinekio videretur, bene sic disputavit Orellius: »Versus illius bene tornati fortuito ei venit in mentem, quo aliquando centurionum Venusinorum filios, aequales suos, in Flavii ludum cum irent, nullis capsariis iis loculos (librorum chartaeque stilique repositoria) portantibus, sed ipsos haec puerilis disciplinae instrumenta gestantes, festive descripserat. Iam cum haec imago senum ac iuvenum ad Ianum medium velut in schola falsae sapientiae dictata magistro reddentium ei ante oculos versaretur, statim vidit nova hac et callida iunctura imaginem illam ita absolvi, nihil ut festivius magisve ridiculum excogitari posset.« Nihil igitur est quod cives ipsos tabulam calculatoriam et loculos nummis refertos brachiis gestantes hoc loco videre nos cogat; talia servi portabant. Similiter versus suos repetit Horatius Sat. I, 2, 13 et A. P. 421. Sat. I, 2, 27 et I, 4, 92. Sat. II, 3, 163 et Epist. I, 6, 28. Epist. I, 14, 34 et Epist. I, 18, 91. Carm. I, 19, 1 et IV, 1, 5. Meinekium secuti sunt Hauptius et Linkerus; nihil offenderunt Ritter. Doederlin., qui bene memor fuit, eundem versiculum etiam Schilleri nostratis bis reperiri in duabus tragoediis (»*das Volk ist länger nicht*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque,
Sed quadringentis sex septem milia desunt:
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aëneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum est
Nenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, recte, si non, quocunque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupi;

su bändigen«; in tragoedia de Maria Stuart et in Virgine Aurelianensi). — *Est animus*] Hunc versuum ordinem nos quoque rectum habemus; alii cum codicibus contrarium praetulerunt sed servata particula *si* pro *sed*. In nostro ordine difficultatis nihil, vigoris multum inest: »habes quidem quaecunque hominem ornare possunt virtutes, ingenium, innocentiam, facundiam, incorruptam fidem (Carm. II, 18, 9), sed desunt tibi magnae divitiae; et contemneris.« — *quadringentis*] census eques ter; ad nostram rationem 38198 flor. Rhen.

V. 59. *pueri ludentes*] Multo rectius pueri in ludendo viros imitantes et regna et imperia distribuentes non eum regem creant sibique praeesse volunt qui ditissimus est, sed quem iustissimum fore sperant. Neque de certo quodam puerorum ludo cogitandum esse arbitror; nimirum plures haud dubie erant ludi, in quibus qui lites dirimeret, praemia distribueret, ordinem restitueret magistratu aliquo opus erat. Hunc igitur creantes pueri canebant (*nenia*; vide ad Carm. II, 1, 38) teste Porphyrione: »Rex erit qui recte faciet; qui non faciet non erit.« — *murus*] cf. Senec. Ep. 74: »philosophia .. inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit.« Id. Ep. 105: »securitatis magna portio est nihil iniqui facere.« — *nil conscire*] idem quod recte facere; quam sententiam ut murum aëneum pravis cupiditatibus opponi vult poeta. Ceterum Meinekius affirmavit, haec verba *Hic murus* usque ad *culpa* ab interpolatore poetae obtrusa esse; etenim nihil a colore ceterorum magis alienum scribi potuisse, deinde arguendam esse ambiguitatem quae sit in verbis *nulla pallescere culpa*, quibus verbis significari possit temeraria audacia, quae a nulla culpa abhorreat; praeterea *nil conscire sibi* non recte dictum esse, cum, recte si intelligatur, eorum sit, qui neque bonae neque malae rei habeant conscientiam. Vides quam acute haec sint disputata; tamen rectius cum Doederlinio Horatio ipsi culpam ambiguitatis iniungere, quam cum Meinekio et perpetuo eius socio Linkero verba interpolata esse statuere licebit. — *Roscia*] vide ad Epod. 4, 16. Ex v. 64 noli efficere, priscos homines idem cecinisse, sed idem sibi persuasisse. *Decantare* enim est semper repetere, in ore habere. Cic. de Orat. II, 32, 140: »Ut causas omnes diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope dicam *decantatas* habere debeant.« — *propius spectes*] sedeas eques in quattuordecim ordinibus. Simul perstringitur praetereundo Pupius, tragoediarum flebilium scriptor. Is hunc sibi titulum fecisse traditur: »Flebunt amici et bene noti mortem meam: Nam populus in me vivo lacrimatu'st satis.« — *responsare*] Sat. II, 7, 85. — *aptat*] cum infinitivo pro *aptat ad responsandum*; constructio durior quidem est,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

An qui Fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam quae diligit ipse vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Belua multorum es capitum: nam quid sequar aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
Multis occulto crescit res fenore. Verum
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido

sed mitigatur interposito v. *hortatur*. Et sic optimi codd., alii *optat*. — *liberum*] cf. Epist. I, 16, 63 sqq. — *iudiciis fruar*] In fruendo delectationis vis inest; quare satis aptum hoc verbum est et porticibus et iudiciis. Senec. de vit. beat. 10: »tu voluptate *frueris*, ego *utor*.« Quae intelligenda sint iudicia proximus ostendit versus. — *aut fugiam*] Sic optimi ut videtur codices; quae lectio ideo est alteri *et fugiam* praeferenda, quod bene respondet insequentibus vv. *diligit vel odit*. — *vulpes*] Eodem apologo Aesopico usus erat Plato Alcib. I. c. 39. p. 132. A., deinde Lucilius, cuius hoc fragmentum restat: »Leonem aegrotum ac lassum . . . . Deductum tunc voce leo: Cur tu ipsa venire Non vis huc? . . . . Quid sibi vult? quare fit, ut introversus et ad te Spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus?« Dicit autem ille apologus hoc: periculosum esse vestigia sequi eorum qui eo pervenerint unde redire non liceat. — *publica*] Describuntur et publicani et ii »quis facile est aedem conducere, flumina, portus, Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.« Iuven. 3, 31 sq. — *viduas venentur*] sunt heredipetae, de quibus Sat. II, 5. De ipsis vocabulis cf. Carm. III, 12, 12. Sat. I, 1, 25. II, 5, 44. Ceterum viduae omnes etiam nominantur innuptae mulieres ut apud Livium I, 46, 7. — *esto*] Ad probandam suam sententiam v. 76 poeta auget rem: »non solum diversa sunt studia hominum, ut alius aliud sequatur, sed ne iidem quidem in eadem re sibi constant, nunc hoc nunc illud petentes.« — *horam*] Sat. II, 7, 112. Et cf. Terent. Ad. IV, 2, 15: »Non hercle hic quidem *durare* quisquam, si sic fit, potest.« Propert. I, 6, 11: »His ego non *horam* possum *durare* querelis.« — *Baiis*] Tacit. Ann. IV, 67: »prospectabatque (insula Capreae) pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.« — *lacus*] Lucrinus prope Baias. cf. Carm. III, 1, 33. II, 15, 1. II, 18, 20.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fecerit auspicium, Cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? Ride: mutat coenacula, lectos,
Balnea, tonsores, conducto navigio aeque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurri, rides; si forte subucula pexae
Trita subest tunicae vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?

— *vitiosa*] Cic. Tusc. IV, 13, 29. — *fecerit auspicium*] tanquam avis signum dederit mutandae voluntatis, cf. Liv. I, 34. Compara Virgil. Aen. IX, 185: »An sua cuique deus fit dira cupido.« V. 87. *in aula*] in atrio. De eodem homine haec dicta sunt, qui si uxorem habet caelibum vitam praedicat; si non habet, maritorum. Nam: »*genialis lectus* cuique domum intranti signum erat comugum par in ea habitare; nam muliere mortua vel post divortium cum ea factum tollebatur.« Orellius. — *bene esse*] vide ad Carm. III, 16, 43. — *Protea*] Sat. II, 3, 71. Plat. Euthyphr. p. 15. D.: »οὐκ ἀφετέος εἰ ὥσπερ ὁ Πρωτεύς, πρὶν ἂν εἴπῃς.« — *pauper*] Ne pauperes quidem sibi constantes esse ait, qui cum in magnis rebus voluntatem non possint mutare, in parvis id facere ridicule quaerant. — *coenacula*] Varro L. L. V, 162: »posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa *coenacula* dicta.« Sunt coenacula meritoria, in quibus pauperes habitare solebant. — *nauseat*] Divites cum fastidiunt terram, mare petunt sua navi; eos ut imitentur pauperes, conducunt navem, idem sibi paraturi quod illis contingit, nauseam. In quo loco non negabo languoris significationem simul inesse, sed nauseam proprie dictam omnino relegare per totam loci naturam non licebit. Cic. N. D. I, 30, 84: »Confiteri potius nescire quod nescires quam ista effutientem nauseare atque *ipsum sibi displicere*.« — *tonsore*] vide ad Carm. I, 6, 2. — *inaequali*] Iocose tonsor appellatur *inaequalis*, qui tondet inaequaliter, suae artis minus peritus. Ad ipsum Maecenatem convertitur ad finem pergens poeta. Delicatus fuit in his rebus ac mollis Maecenas »vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti possit, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens.« Vell. Pat. II, 88. — *subucula*] tunica interior lintea vel byssina. Varro ap. Non. p. 542: »Posteaquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare *subuculam* (virorum) et *indusium* (feminarum).« — *pexae*] villosae i. e. novae. — *dissidet*] Contrarium est apud Quintilianum XI, 3, 141: »super quod ora ex toga duplex *aequaliter sedeat*.« Absurdum est omnia haec in cor-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Insanire putas sollemnia me neque rides,
Nec medici credis nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.
Ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Epistola II.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,

poris habitu et animi voluntate vitia ad Horatium vel ad certum hominem referre. Fuerit Horatius in corporis cultu paulo negligentior, aedificandi tamen insania nunquam neque est agitatus neque potuit agitari. Quapropter noli de eo cogitare quod est Sat. II, 3, 308. — *disconvenit*] rarissimum vocabulum, bis apud Horatium, cf. Epist. I, 14, 18, semel apud Lactantium. — *insanire*] Sat. II, 3, 63. De sententia lege Sat. II, 3, 120. — *curatoris*] cf. Sat. II, 3, 218. — *tutela*] vide ad Carm. I, 1, 2. Sic Ovidius Trist. V, 14, 25 de coniuge »rerum sola est tutela mearum.« — *pendentis*] »cuius salus cum tua salute artissimo vinculo coniuncta est.« Cf. Cic. ad Fam. VI, 22: »incolumitati tuae tuorumque, qui *ex te pendent*, consulas.« Sil. Ital. XIII, 504: »deque tuis *pendentia* Dardana fatis.« — *respicientis*] Liv. XLVI, 8: »praesidia quae *respicerent* in re trepida.« XXVII, 12: »nec quid fidum *respiceret* habenti.« Caes. B. C. I, 1. — *Ad summam*] Kirchner ad Sat. p. 201: »Kein Dichter hat die schwere Kunst gut zu schliessen so wie unser Horaz verstanden, der immer neu und geistreich überall befriedigt und namentlich in den Satiren und Episteln häufig durch einen überraschenden Scherz am Schlusse den heitersten Eindruck beim Leser zurücklässt; m. vgl. Sat. I, 2. 3. 4. 7. 10. II, 3. 7. Epist. I, 1. 4. 5. 17. 18. u. s. f.« cf. Cic. de Off. I, 41. — *pituita*] »Grata dilogia inest in v. *sanus*, quod cum h. l. usurpetur de corpore tamen vix aliter fieri potest quam ut simul referamus ad Stoicorum usum loquendi, qui sapientem suum unice sanum, ceteros mortales insanos et stultos vocitabant. Sed fugit adhuc interpretes mihi notos etiam *pituitam* (h. l. trisyll.) e Stoicorum scholis petitam esse: obiiciebant enim sibimet ipsi hoc incommodum interdum obstare videri perfectae beatitudini; eo scilicet consilio, ut facili opera talem obiectionem confutarent.« Orellius. Arrian. Epict. I, 6. p. 36: »*Ναί (ἐπέτυχον εὐδαιμονίας·) ἀλλ' αἱ μύξαι μου ῥέουσι. Τίνος οὖν ἕνεκα χεῖρας ἔχεις, ἀνδράποδον; οὐχ ἵνα καὶ ἀπομύσσῃς σεαυτόν.*«

Epistola II.

Data haec est epistola ad Lollium adolescentem, filium natu maximum M. Lollii, quem Horatius praedicavit Carm. IV, 9; ad eundem iuvenem huius libri decima octava est. Qui cum a. 729 puer in Hispania Augusto duce militasset (Epist. I, 18, 55), Romam reversus eloquentiae laude et prudentia civili viam sibi ad maiores in republica honores munire videtur studuisse. Sic enim intelligenda est illa declama-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

tio, qua Romae occupatum Lollium fuisse dicit huius epistolae v. 2. Cf. Cic. de Fin. V, 2, 5. »Ad flumen aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere.« Iam cum epistola XVIII ex aperto indicio v. 56 anno scripta sit 734, hanc alteram, quae tempore illam praecedere videatur, annis 730—734 attribuendam esse probabile est; accuratius annum natalem vix possis definire. *Obbario* videtur scripta esse anno 727, cum Lollius vitae annum ageret decimum sextum vel septimum. Horatius cum Lolliis, ut ex tribus carminibus ad eos datis non temere nobis videmur concludere, intima videtur fuisse familiaritate coniunctus; quare ne amici filio, bonae fortasse spei adolescenti, deesset, absens et in Praenestino agro rusticans hac epistola iuveni praecepit, cui maxime rei praeter exercitationes dicendi operam dare deberet. Saluberrimis enim consiliis egregiisque praeceptis viam quasi ei monstrat et rationem, qua ad vere beatam vitam, ad veros honores, ad vera gaudia certissime possit pervenire. Iam cum ipse in solitudine rustica litteris vacare et poetas legere soleret (Sat. II, 3, 11), scite doctrinam coniungit cum lectione Homeri, quem certiorem et aptiorem ducem ad rectam intelligentiam praecipue adolescentibus esse ostendit quam maximos optimorum philosophorum libros. Epistolarum rationem et naturam bene conservatam videbis; praecepta enim non certo ordine, non praevia quadam meditatione dantur, sed ita ut ex benevoli animi abundante copia sua quasi sponte fluunt; versus simplices sunt et faciles, ironia rara et lenis.

V. 1. *maxime*] Incertum est, quid hoc vocabulum significet. Scholiastae hoc loco nihil habent, sed ad epist. 18, quam ad eundem Lollium scriptam esse putant, Comment. Cruq. haec adnotavit: »hic Lollius etiam ad consulatum pervenit merito virtutis et beneficio Caesaris a. u. 733;« eadem prope Acron. Hos secutus est Ritterus, qui *maximum* appellari putavit Lollium, quod *maximo* civium *honore* (consulatu) tunc insignis fuisset. At veri simile non est, epistolas datas esse ad virum summo honore fungentem (cf. v. 68), nec magis probabile videtur, Horatium graeco more ac quasi per ambages eum, qui consul fuit, *ὕπατον* vel *maximum* voluisse appellare. Quare alii rectius v. *maxime* ad aetatem Lollii retulerunt, ut inter fratres natu minores maximus vocaretur. Sed ne hoc quidem certum est, nam Meinekius: »*maximus*, inquit, per se positum in hunc sensum accipi non potest; posset vero si dixisset poeta *maxime fratrum* vel *maxime stirpis Lollianae*. Accedit quod ne constat quidem plures Lollium fratres habuisse: Horatius quidem unum tantum memorat Epist. I, 18, 63.« Itaque Meinekius non dubitavit, quin Lollio *Maximi* cognomen fuerit, eumque secuti sunt Linkerus et Doederlinius et Kruegerus. Idem ego quoque fecissem, si ullum usquam vestigium illius cognominis inter Lollios esset repertum; nam qui apud Gruter. 638, 2 repertus est P. Lollius Maximus, is longe posterior est. — *Praeneste*] Flor. I, 11, 7: »Aestivae Praeneste deliciae,« hodie Palestrina. cf. Carm. III, 4, 23. De particula *dum* cum praesente ad indicandam praeteritam rem Hand. Turs. T. II. p. 306: »In re praeterita, inquit, narranda et de re futura, ubi non totus rerum cursus sed aliqua eius pars intelligitur, ab optimo quoque scriptore ponitur praesens. Praesens enim aut historicum est aut imaginem rei ita adumbrat, ut quae coniuncta fuisse mente cogitemus ante oculos ponantur consociata praesentia. Igitur quae hoc modo dicuntur, imaginem exhibent in se conclusam, atque eiusmodi enuntiatio instar est unius substantivi quo tempus indicetur: sicuti apud Livium verba *dum in Asia bellum geritur* exprimunt *tempore* belli.« cf. Carm. I, 22, 10. III, 11, 23. Epist. I, 19, 16. II,

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixen,

1, 7. A. P. 465. Sat. I, 5, 72. — *planius*] Codicum auctoritas divisa est inter *planius* et *plenius*: verum praeterquam quod scholiastas tres *planius* legisse docent scholia: *manifestius, apertius*, hoc Horatio dicendum fuisse nobis videtur, omnem de moribus et vita doctrinam multo facilius ex exemplis Homericis intelligi posse praesertim ab adolescentibus, quam ex spinosis libris philosophorum. *Plenius* haud dubie philosophus de his rebus agit, *planius* poeta. Chrysippus Stoicus, Crantor Academicus (Cic. Tusc. III, 6. II, 44), uterque Solensis. Xenoph. Symp. 4, 6: »Ὁ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων.« — *detinet*] In bonis codicibus, etiam Blandiniis, legitur etiam *distinet*. Illud h. l. rectius habeo, non quo cum aliis putem *detineri* aliquem volentem et illecebris captum, *distineri* eos qui gravi atque ingrato negotio quasi inviti occupentur (quod discrimen exemplorum auctoritate non comprobatum video), sed quia in *detinendo* maior est notio remoti loci, sive corpus sive animum respicis, in distinendo valet significatio seiunctionis, quam vides ab hoc loco alienam esse. Carm. I, 33, 14. IV, 5, 12. Virg. Aen. II, 788. Caes. B. G. III, 12 fin. — *barbariae*] cfr. Ennianos versus ap. Cic. Tusc. I, 35, 85. Virg. Aen. II, 604. — *aestus*] cf. Sat. I, 2, 110. Virg. Cir. 340. Ceterum in codd. Bland. aliisque bonis libris reperitur *aestum*. — *Antenor*] Hom. Il. VII, 348. Liv. I, 1. — *censet*] graeca brevitate coniunctum cum solo infinitivo, ut saepe apud Livium, veluti II, 5: »de bonis regiis, quae *reddi* ante *censuerant*,« pro: quae reddi aequum esse ante censuerant. — *inter Peliden*] De bis collocata praepositione vide ad Sat. I, 7, 12.

V. 13. *hunc*] Agamemnonem. cf. Hom. Il. I, 113. — *urit*] Sat. I, 9, 66. — *plectuntur Achivi*] Respicit poeta omnia ea mala, quae dum Achilles iratus pugnam detrectat, fortitudine Hectoris in Graecos redundarunt, non sola pestilentia ab Apolline in castra Graecorum missa, quae quidem iram regum praecessit, non est secuta. In versu insequenti supervacaneum est quaerere, quas seditiones, dolos, scelera indicare poeta voluerit; satis est, quod ita peccatum scimus apud Graecos et apud Troianos. — *rursus*] Iam transitur ad Odysseam, cuius initium libere expressum habemus versibus statim insequentibus. cf. A. P. 141 sq. — *domitor Troiae*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui domitor Troiae multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nosti;
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.
Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:

quia equi lignei exstruendi auctor fuit. — *multorum*] statim post caesuram collocatum hoc vocabulum est propter sonum et rei gravitatem. — *immersabilis*] qui adversis rebus non opprimitur. De metaphora cf. Carm. IV, 4, 65. Quae insequuntur, exempla sunt periculorum, quibus oppositus fuit Ulixes; quamquam non negaverim Sirenum vocibus et Circae poculis intelligendas esse per allegoriam illecebras voluptatum. cf. Hom. Od. XII, 39 sqq. 155 sqq. X, 136 sqq. 318. Biberat quidem Ulixes, sed non seductus cupiditate et munitus remedio Mercurii. — *turpis*] mutatus in turpem formam canis vel suis. cf. Sat. I, 3, 100. Carm. II, 8, 4. *excors*] cf. Cic. Tusc. I, 9, 18. — *nos numerus*] Sicuti Ulixes exemplum est sapientis hominis et moderati, ita vulgarium hominum, quales maxima pars esse solemus, imagines ostendit Odyssea in describenda procorum et Phaeacum vita voluptatibus omnino addicta. *Numerus* ut apud Euripidem Heracl. 1000: »Εἰδὼς μὲν οὐκ ἀριθμὸν ἀλλ' ἐτητύμως Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα,« de hominibus nullius pretii, quorum capita tantum numerantur. Vide Passow. s. v. ἀριθμός. — *nati*] Ovid. Nuc. Eleg. 118: »Sentes tantummodo laedere natae.« cf. Hom. Il. VI, 142: »βροτοί, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν,« unde iocose sua sum psit ac detorsit Horatius. — *nebulones*] Non improbabilis sententia e Ferdinandi Schultzii, qui per litter amice me monuit, comma, quod omnibus editionibus post v. *Penelop* positum sit, delendum esse; eumq secutus essem, nisi unam totius ve sus caesuram ita debilitari vidisse — *cute curanda*] vide ad Carm. I 17, 14. Sat. II, 5, 38. Iuven. 11, 20 »Nostra bibat vernum curata cuticu solem.« — *Alcinoi iuventus*] De mo Phaeacum vita lege Hom. Od. VI 248. — *cessatum ducere*] cf. Sat. II, 114. Haec locutio intelligenda e ex frequentissima in nomine cur prosopopoeia; nam quotiescunque a qua cura eos homines agitare coep tanquam personam eam citharae bla do strepitu *cessatum ducebant* i. consopiebant. De consopiente vi m sicae cf. Carm. III, 1, 20 sq. Mi non paucorum et antiquissimoru codd. scriptura *cessatum ducere somnum* haud dubie ex glossa exor est, veluti ex ea, quae est ap Comm. Cruq. »ut facilius sopiamu Bentleio tamen vulgaris scriptu ita non placuit, ut emendare vell *cessantem ducere somnum*; quod po eum receperunt Haupt., Meine Linker. Vulgatam recte probaru Krueger., Ritter., Doederlin. —

Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui
Si noles sanus, curres hydropicus; et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur
Quae laedunt oculos festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti qui coepit habet: sapere aude;
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum puerisque beata creandis

iugulent] A luxuriosa vita iuvenum Homericorum sensim transit poeta ad suae aetatis desidiam ac negligentiam, qua seducti homines ad veram salutem sibi conciliandam rectam medicinam mature adhibere cunctantur. Argumento utitur quod vocant a minori ad maius; nam si mali homines, ut opes sibi per vim nefarie colligant de nocte surgunt, quanto magis nos decet animo ex torpore quo premitur expergefacto vigilare et curare et studere ut summum nobis paremus bonum, *εὐδαιμονίαν*? Exemplis deinde usus est prope Socraticis: etenim ut homines, qui in corpore curando negligentes fuerunt, cum aegrotant, sero id facere coguntur, quod olim contempserunt, ita eos, qui animum ut sanum habeant nihil curarunt, negligentiae poenitet cum animus iam male affectus cupiditatibus agitatur. Quod sani facere noluerunt, coacti faciunt aegrotantes. — *hominem*] Sic ex codd. antiquiss. (Bland. antiquiss., Goth., Bentleii) scripsi pro eo, quod vulgo exhibetur *homines*. Ovid. Am. III, 8, 21: Forsitan et, quoties hominem iugulaverit, ille Indicet.« Doederlinius, commate post *iugulent* posito, coniunxit *homines latrones*; non recte, opinor. — *serves*] De persona vide ad Epist. I, 1, 42. — *atqui*] In Blandin. antiquiss. male scriptum erat *atque*. — *hydropicus*] Cels. III, 21: »Hydropicis multum ambulandum, currendum aliquando est.« cf. Carm. II, 2, 13. — *vigil*] »Si non propter philosophiam vigilaveris, propter invidiam et amorem dormire non poteris.« Porphyr. — *Nam cur*] Nam quod de corpore valet, idem de animo; in utroque sanando nihil cunctandum est. Iterum argumentum a minori ad maius. — *oculos*] Pluralem praetuli cum antiquissimis codd.; singularis Bentleio cur elegantior visus sit, non intelligo. — *est*] edit, consumit. Hom. Il. VI, 202. Cic. Tusc. III, 26, 63. — *in annum*] ex proverbio sumptum. Epist. I, 11, 23.

V. 40. *dimidium*] ex antiquo proverbio *ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός*. Soph. fr. 715. Dind.: »*ἔργου δὲ παντὸς ἦν τις ἄρχηται καλῶς, καὶ τὰς τελευτὰς εἰκός ἐσθ' οὕτως ἔχειν.*« — *aude*] ab animo impetra; ut Graecum *τολμᾶν*. Epist. II, 2, 111. Virg. Aen. VIII, 364. — *rusticus*] is idem facit quod rusticus ille, qui cum ad flumen pervenisset quod nunquam ante vidisset, se exspectaturum dixit, dum flumen defluxisset. Nunquam igitur ille ad rectam vitam perveniet. — *argentum*] pecunia, ut Sat. II, 6, 10. — *beata*] bene dotata, dives: in quo loco noli praeterire egregiam ironiam quae inest in his *puerisque beata creandis*; nimirum quam leges iubebant suscipiendorum liberorum causa ducere, eam avidi homines divitiarum causa ducunt. Variae opum colligendarum rationes describuntur. De voc. *beata* cf. Carm. II, 4, 13. Sat. II, 8, 1. — *pacantur*] Lachm. ad Lucret.

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Uxor et incultae pacantur vomere silvae:
Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.
Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas; valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

p. 338: »pacantur silvae, cum ferae, ut aratro locus sit, vel fugantur vel trucidantur; quemadmodum Manilius scripsit IV, 182 *Et pacare metu silvas.*« — *deduxit*] ἀορίστως. — *valeat*] non corpore solum sed etiam animo, et magis animo quam corpore. Nam cuius animus aeger est, is divitiis non magis potest uti ac frui, quam lippus tabulis pictis, podager fomentis, auribus laborans ac paene surdus cithara et cantu. Quae sanum iuvant et delectant, iis non potest recte uti qui ea parte laborat, in qua usus et delectatio maxime sentitur. Idem valet de opibus, quorum rectus usus ad animum est referendus. — *fomenta*] Intelligitur locus, de quo diu dubitatum est, adeo ut coniecturis tentaretur, ex Seneca de Provid. 4, 9: »Quem specularia semper ab afflatu vindicarunt, cuius *pedes inter fomenta sūbinde mutata tepuerunt*, cuius coenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit, hunc lenis aura non sine periculo stringet.« id. de vit. beat. 11, 3 »Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus, et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriae parentatur.« Quos locos primus ostendit Duentzer. — *podagram*] Morbum ipsum posuit pro eo qui morbo laborat. — *sincerum*] Vita nemo recte fruitur, cuius animus corruptus est cupiditatibus; corrumpi autem animum cupiditatibus exemplis ostenditur. — *Siculi tyranni*] ut Phalaris Agathocles, Dionysii. — *infectum*] Menander p. 247 M.: Ἄπαν' ὃσ' ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.« — *dolor quod suaserit*] nimius dolor, quem iracundus cum offenditur sentit. Nam »iram esse cupiditatem doloris reponendi« ex definitione Aristotelis ait Seneca de ira I, 3, 2. — *mens*] θυμός Carm. I, 16, 21. — *festinat*] i. e. festinanter exigit; sic *properare* Epist. I 3, 28. cf. Carm. II, 7, 21. *Odio* est dativus. — *tu compesce*] vide ad Carm. I, 9

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam qua monstret eques; venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. Quodsi cessas aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

Epistola III.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.

16. — *tenera cervice*] Coërcendum esse praecipit animum, sed mature, cum vitium nondum inveteravit. — *viam*] Referendus accusativus est ad utrumque verbum, *ire viam* et *viam monstret*. — *pellem*] stramine vel musco repletam et ad vivi cervi imaginem refictam. — *latravit*] active, ut Epod. 5, 58. — *adbibe*] Cic. de Fin. III, 2, 9: »combibere artes.« cf. Carm. II, 13, 32. Propert. III, 6, 8: »Incipe: suspensis auribus ista bibam.« Imago sumpta est a lana tingenda. — *puer*] dum puer es. — *testa*] amphora, cadus. — *quodsi*] vide ad Epist. I, 1, 106. »En habes, inquit poeta, quod tibi praecipiam. Fac uti voles; mea mihi stat voluntas, nam in hac quoque re mediocritatis studiosus sum.« cf. Epist. I, 6, 15 sq. II, 2, 204. — *anteis*] cf. Carm. I, 35, 17.

Epistola III.

Tiberius Claudius Nero cum anno 734 ad Tigranem in Armeniae regnum deducendum cum exercitu in orientem ab Augusto mitteretur, ut ipse doctus erat, ita in cohorte comitum non paucos secum duxisse videtur iuvenes, qui litterarum amore capti quid suis ipsi viribus possent efficere saepius tentarent. Ex hoc numero fuit Iulius quidam Florus, satirarum scriptor, si fides habenda est Porphyrioni scholiastae, ceterum ignotus. Romae autem cum Horatius summa inter poetas esset auctoritate, nihil mirandum est quod omnes iuvenes, qui in arte poetica elaborarent, eius et familiaritatem quaerebant et iudicium de suis conatibus magni habebant. Atque Horatii tanta fuit cura latinarum litterarum, ut non praesens solum studio optimorum iuvenum adesset sed magno locorum intervallo remotus consilia eorum alere et regere non desineret. Id quomodo hac epistola factum sit ipse videbis. Quod ad Florum potissimum hanc epistolam dedit, aut factum est propter maiorem quam cum hoc iuvene habebat amicitiam (nam secundi quoque libri altera epistola ad eundem scripta est), aut propter simultates, quas Florum cum amico antea Munatio habuisse ex versu 31 sq. videmus; nimirum ut ad componendas lites inter amicos aliquid ipse afferret. Nam hoc non videtur probabile, quod tentatum video ab elegantibus harum rerum iudicibus, in iis simultatibus unam quaerendam esse causam cur scripserit poeta epistolam; reliqua addita esse eo potissimum consilio, ut vera causa callide tegeretur.

V. 1. *quibus oris*] Inest in hac formula notio quaedam loci incerti et longinqui; ut Virg. Aen. I, 331. Liv. XXI, 10, 12. — *Augusti privignus*] honoris causa hoc additum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus
An freta vicinas inter currentia turres
An pingues Asiae campi collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa
An tragica desaevit et ampullatur in arte?

puta. cf. Epist. I, 8. 2. Nihil in hac compellatione videndum est ambitionis aut studii in Tiberium Neronem. — *Thraca*] Ex locorum ordine vides scriptam esse epistolam, cum in Armeniam pergeret exercitus, non cum rediret, quod male alii suspicati sunt. Fecit autem Tiberius hanc expeditionem per Thraciam et Macedoniam, et quidem sub vernum tempus; inde Hebrus glacie tectus. — *turres*] »Herus et Leandri. Inter Sestos et Abydon medium est Hellesponti fretum.« *Porphyr.* Ceterum antiquissimus Bland. cum uno alio cod. Cruq. praebet *terras*, quae lectio Bentleio et Paulyo placuit. — *morantur*] amoenitatibus suis vos tenent. Accommodatum igitur verbum ad Asiae campos; unde si necessarium videbitur, facile invenies quod cum Hebro et Hellesponto coniungas aliud generale verbum. — *studiosa*] Hoc adiectivum, quod a Cicerone aliisque bonis scriptoribus non usurpatur nisi addito genitivo, quo vaga illius notio certis limitibus circumscribatur, Augusto imperante certiorem significationem nactum est, eadem prorsus ratione qua ipsum verbum studendi. Quintil. XII, 11, 19: »Computamus annos, non quibus studuimus sed quibus viximus.« Plin. Epist. V, 5, 5: »In lectulo suo compositus in habitu studentis.« Quintil. X, 3, 32: »invenis studiosus alioquin.« Plin. Epist. VI, 26, 1: »Ipse erat studiosus, litteratus, etiam disertus.« Idem factum esse in aliis eiusdem generis adiectivis ostendunt hi loci Horatiani Carm. II, 20, 19. I, 28, 18. III, 4, 58. III, 23, 17. Sat. II, 2, 43. Carm. II, 4, 22. Est igitur hic litterata cohors. Cohors autem est quae alias grex appellatur. Epist. I, 9, 13. Sat. I, 7, 23. — *scribere*] cf. Carm. I, 6, 1. — *paces*] Epist. II, 1, 102. Sunt res praeclare in pace gestae. — *in aevum*] Carm. IV, 14, 3. III, 11, 35. — *Titius*] »Titius Septimius lyrica carmina et tragoedias scripsit Augusti tempore, sed libri eius nulli exstant. Huius autem insigne monumentum est infra Ariciam.« Comm. Cruq. Suspicantur fuisse eum filium M. Titii cos. suffecti a. u. c. 723. Recte autem dubitatum est de altero nomine *Septimio*; in gentibus enim vere Romanae originis primis Augusti temporibus non coniungebantur duo nomina gentilicia. Ceterum cave ne Titium credas ab Horatio castigari ob nimiam audaciam et confidentiam; immo vero laudatur Titii animus et additur magna de eius studiis exspectatio. — *in ora*] Virg. Aen. XII, 235. Georg. III, 9. Propert. III, 7, 32: »Venies tu quoque in ora virum.« — *expalluit*] De accusativo cf. Carm. II, 12, 7. III, 27, 28. Constans in imagine faciliora et humiliora poesis genera appellat poeta lacus et rivos apertos, ad quos alii quoque

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo;
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum:
Seu linguam causis acuis seu civica iura
Respondere paras seu condis amabile carmen,
Prima feres heredae victricis praemia. Quodsi
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te coelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae

non pauci accedere audent. Lucret. IV, 2: »Iuvat integros accedere fontes atque haurire.« — *desaevit*] Virg. Aen. IV, 52. Est ex alto i. e. vohementer saevire. »Refertur ad violentas animi perturbationes a tragicis expressas; *ampullari* autem ut Graecorum *ληκυθίζειν* de amplo et magnifico sermonis tragici ornatu.« Orellius. cf. A. P. 97.

V. 15. *Celsus agit*] cf. Sat. I, 9, 4. Videtur esse Celsus Albinovanus, ad quem est Epist. I, 8. Immerito Celsus in plagiariorum numero habitus est; talem enim hominem Horatius profecto nunquam tulisset. Sed videtur ex iis fuisse, qui cum litteras et poesim amant multaque legerint, ipsi tandem aliquid proferre audeant sed vera poetica facultate destituti in sola magnorum exemplorum imitatione haereant. — *Palatinus Apollo*] In cuius templo a. u. 726 ab Augusto condita erat bibliotheca publica. — *grex avium*] cf. fabulam Aesopicam apud Phaedrum I, 3. De libertate monendi bene Obbarius: »Addo, inquit, ego nostra sentiendi ratione utpote hominum saepe bilinguium atque incude aulica politorum non videri metiendos liberiores hominum antiquorum simpliciumque mores.« — *thyma*] Carm. IV, 2, 29. — *turpiter hirtum*] Metaphora ab agris sumpta. De coniuncto cum hoc adiectivo adverbio moneo, ne quis ita in prosa oratione bene dici posse credat; in qua qui accurate scripserunt ausi non sunt adverbia qualitatis cum adiectivis coniungere. Apud Horatium poetam compara Carm. III, 11, 35. A. P. 3. — *acuis*] ex frequenti eloquentiae cum telis armisque comparatione. Quintil. X, 5, 16: »Ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur necesse est.« Cic. Brut. 97.: »tu in forum veneras unus, qui non linguam modo *acuisses* exercitatione dicendi cet.« — *civica*] vide ad Carm. II, 1, 1. — *hederae*] Carm. I, 1, 29. — *frigida fomenta*] Sunt solatia, lenimenta curarum, sed quae, cum inania sint (frigida), malum augeant potius quam minuant. Intelligenda sunt gloria, honores. — *coelestis sapientia*] Cic. Tusc. V, 4, 10. — *ampli*] cf. Epist. I, 1, 25. — *rescribere, sit*] Sic scripsi cum omnibus prope codicibus; etenim v. *sit* omissa particula interrogativa positum est, ut Epist. I, 16, 1 sq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quantae conveniat Munatius. An male sarta
Gratia nequidquam coit et rescinditur? At vos
Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis indigni fraternum rumpere foedus,
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

Epistola IV.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?

Sat. I, 4, 63, nec verum est, quod Bentleius affirmavit, posita hac lectione sequentia (*coit, rescinditur*) fore vitiosa; transit enim poeta ex indirecta oratione in rectam, quare punctum ponendum erat post v. *Munatius*. Bentleii tamen auctoritas duxit Orellium, Hauptium, Linkerum, Ritterum, non Meinekium aut Doederlinium aut Kruegerum. — *Munatius*] filius fortasse eius Munatii, ad quem est Carm. I, 7. — *sarta coit*] Sumpta haec a vulneribus, quae *assui* et *coire* dicuntur. Ovid. Trist. IV, 4, 41: »Neve retractando nondum coeuntia rumpam vulnera.« Petron. 113: »Credo veritus, ne inter initia coeuntis gratiae recentem cicatricem rescinderet.« — *Seu calidus*] Cruquius ad h. l. haec habet: »*heu cal. sanq. heu rerum*; sic omnes libri codd. praeter Divaei, qui vulgatos sequitur; sed mihi probatur plurium lectio.« Ex recentioribus editoribus Paulyus Cruquii exemplum secutus est; non bene. — *rerum inscitia*] non videtur esse ἀπειρία τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, sed pravum iudicium, quo quae alter sine malo studio et suo iure fecerit dixeritve, consulto et ad iniuriam nobis inferendam facta saepe putamus. — *indomita cervice*] cf. Epist. I, 2, 64. — *fraternum*] cf. Epist. I, 10, 4. Male olim ex hac voce interpretes effici posse opinabantur, Munatium et Florum vere fratres fuisse. — *indigni*] quos non decet rumpere. Coniunctum est vocabulum ad exemplum graeci ἄξιος. — *pascitur*] Indicatur sacrum pro felici reditu amicorum faciendum. cf. Carm. I, 36, 2. Ad verbum compara Carm. III, 23, 11. IV, 2, 55. Eodem se amore utrumque amplecti Horatius dicit.

Epistola IV.

Haec epistola ad Albium Tibullum poetam, de quo vide ad Carm. I, 33, quo anno scripta sit nos latet, nisi forte ex primo versu efficere audes datam eam esse non multo post editas ab Horatio satiras. Quas quomodo Tibullus vel laudaverit vel vituperaverit, utrum publice apud magnos viros an privatim in epistola aliqua ad Horatium, non magis invenies quam quid Horatium ut hanc epistolam conscriberet commoverit. Apud Messallam certe, Tibulli fautorem, vix opus erat ut Horatium ille commendaret, quoniam Messallae iam dudum notus, fortasse etiam familiaris fuerat Horatius. Apud Philippos uterque pugnaverat. Noli igitur hoc amplius quaerere et vide mecum causam scribendae epistolae in erigendo et exhilarando animo Tibulli, qui nescimus quo casu vel dolore oppressus ex urbe in Pedanam suam villam aufugerat; dein admirare egregiam extremorum versuum festivitatem, quae si quid aliud risum movere debuit tristiculo amico.

V. 1. *candide*] Comm. Cruq.: »integer, verax, pure, sine fuco, sine

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore: di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde
Et mundus victus non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras

fallacia.« — *Pedana*] apud Pedum (hodie *Zagarola*) sita, media inter Praeneste et Tibur. — *opuscula*] Intelligendae haud dubie sunt elegiae, quas cum bonas scripserit Cassius Parmensis, meliores deinde Tibullus composuit. Cassius Parmensis olim in partibus Bruti et Cassii tribunus militum militavit; postea exorto inter Octavianum et Antonium bello apud Actium cum Antonio pugnavit; dein Athenis, quo fugerat, ab Octaviano interfectus est, cum inter eos fuisset qui Caesarem necassent. Diversus hic est a Cassio Etrusco, de quo vide ad Sat. I, 10, 61. — *reptare*] lente et libere ambulare, quod est hominis otiosi et meditantis. Tibullus ipse de se IV, 13, 9: »Sic ego secretis possum bene vivere silvis, Qua nulla humano sit via trita pede.« — *sapiente bonoque*] Cur haec sint coniuncta vide ex Ciceronis loco de Off. III, 15, 62; et cf. Epist. I, 7, 22. I, 16, 73. A. P. 445. — *Non tu*] Sententiarum ordo hic esse videtur: »quid dicam te facere? utrum poemata componere an philosophari potius de iis rebus quae dignae sunt sapientibus bonisque viris? Quodsi hoc facis, recte facis; tam multas enim tu habes animi et corporis virtutes, ut indignas curas tu alere non possis.« — *eras*] semper, quamdiu te cognovi. Horkelius putavit ex coniectura scribendum esse *eris*. — *pectore*] Ovid. Met. XIII, 290. Heroid. 16, 305: »Huncine tu speres hominem sine pectore dotes Posse satis formae, Tyndari, nosse tuae.« — *dederunt*] de correpta syllaba vide ad Sat. I, 10, 45. — *voveat maius*] cum ea quae habeat bona summa sint; quae qualia sint ostendunt tres insequentes versus. Haec igitur omnia habet Tibullus, quare sapienter iis frui iubetur. — *qui sapere*] Cruquius ad h. l.: »non diffiteor codices hic non constare; Bland. quattuor habent *qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui*, quam lectionem Lambinus postremum sequitur. Tons. habet *quin sapere* etc., reliqui omnes *quam sapere et fari ut possit quae sentiat, et cui* etc., a quo non dissentio propter verborum perspicuitatem etc.« Neque hoc probandum est neque quod Lambinus, cum primum (1561) ederet Horatium, recepit *Quam ut sapere et fari possit quae sentiat, utque*. Ad sententiam compara quae Periclis sunt apud Thucyd. II, 60: »οὐδενὸς ἧσσον οἶμαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα.« — *gratia*] apud magnos viros, imprimis apud Messallam. — *fama*] Ovid. Am. I, 15, 27: »Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma, Discentur numeri, culte Tibulle, tui.« — *mundus victus*] Sat. II, 2, 65. Epist. II, 2, 199. Carm. III, 29, 14. — *crumena*] Similiter Iuven. 11, 38: »Quis enim te deficiente crumena Et crescente gula manet exitus?« — *timores*] »Poeta tranquilliore dicendi genere usus de universo rerum humanarum statu locutus est et hac de causa pluralem elegit, licet singularis in eadem re praecesserit.« Iacob. de usu num. plur. p. 11. — Ceterum *spes* est futurorum bono-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Δέκατος

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Epistola V.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
Nec modica coenare times olus omne patella,

rum, *cura* praesentium bonorum: *timor* referendus ad futura mala, *ira* ad praesentia mala. — *diluxisse*] Significatur hoc verbo proprie id tempus, quo tam clara lux est ut res dignosci possint. Cic. Phil. XII, 2, 5: »Discussa est illa caligo, diluxit, patet, videmus omnia« id. Catil. III, 3. Liv. XXXVI, 24. — *curata cute*] Epist. I, 2, 29. — *nitidum*] vide ad Sat. II, 2, 128. De lepido epistolae exitu vide ad Epist. I, 1, 106. Ceterum ne offendaris maiore antiquorum hominum in his rebus libertate, compara hos locos Ciceronis in Pis. 16: »Epicure noster, ex hara producte, non ex schola.« ibid. 30: »Quid nunc te, asine, litteras doceam?« ad Att. IV, 5: »Scio me asinum germanum fuisse.« Vera autem Epicuri ἡδονὴ fuit ἀταραξία et ἀπονία et ὑγίεια τοῦ σώματος: quam quomodo pravi homines intellexerint, vides ex hoc loco Senecae de vit. beat. 12: »Non ab Epicuro impulsi luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem. Nec aestimatur voluptas illa Epicuri, ita enim mehercules sentio, cum sicca et sobria sit, sed ad nomen ipsum advolant quaerentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum.«

Epistola V.

De Torquato, ad quem haec est epistola, vide ad Carm. IV, 7; atque eodem prope consilio et carmen illud et hanc epistolam scriptam esse patet. De anno autem natali huius epistolae non consentiunt viri docti; nimirum certum temporis indicium non reperitur. Nam ex v
sibus 4 et 9 hoc unum pro ce
potest affirmari, dedisse Horati
hanc epistolam quattuor vel quinc
annis post alterum consulatum
Statilii Tauri a. 728; nam natali
Augusti iam inde ab anno 724 c
brata esse memoriae prodidit
Cassius LI, 19: »Ἔν τε τοῖς γενεθλ
αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ τῆς ἀγγελίας τῆς
κης ἡμέρᾳ ἱερομηνίαν εἶναι ἔγνωσα
cum quo loco hunc alterum eiusd
scriptoris coniungas LIV, 34: »
τὰ γενέθλια τὰ τοῦ Αὐγούστου καὶ
τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ π
πολλαχόθι θηρίων σφαγαῖς ἐτιμή
καὶ τοῦτο μὲν καίτοι μὴ ψηφισ
ἐν πᾶσιν ὡς εἰπεῖν τοῖς ἐτ
πρός τινος τῶν ἀεὶ στρατηγούν
ἐγίγνετο· τὰ δὲ δὴ Αὐγουστάλια
καὶ νῦν ἄγεται, τότε πρῶτον ἐκ δ
ματος ἐτελέσθη.« Quod quidem
ctum est a. 743. Adde locum Sue
nii vit. Octav. 57: »Equites Rom
natalem eius sponte atque conse
biduo *semper* celebrarunt,« et vi
bis certum annum versu 9 non
dicari. Intelligendus autem nat
dies est Augusti, non divi Caesa
nam etiamsi Augustus natus es
d. XIV. Kal. Octobr., Iulius aut
Caesar a. d. IV. Id. Quintil., ae
vam noctem v. 11 in Septembri me
recte licebit invenire, praesertim
Italiae mitissimo coelo. cf. V
Georg. I, 311 sq. Calpurn. I, 1: »N
dum Solis equos declivis mitigat
stas, Quamvis et madidis incumb
prela racemis Et spument rauco
ventia musta susurro.« Et qu
quam Horatius quidem ipse Epis
16, 16 *Septembres horas* gravi ac
auctumno, recordandum tamen
varios esse Septembres aliis ar

Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Si melius quid habes, arcesse vel imperium fer.
Iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.
Mitte leves spes et certamina divitiarum
Et Moschi causam; cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.

tepidos magis et aestivos aliis frigidos et auctumnales. Ritterus ex hoc loco Dion. Cass. LIV, 8: »καὶ ἡ Ἰουλία τὸν Γάϊον ὀνομασθέντα ἔτεκε· βουθυσία τέ τις τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ ἄδιος ἐδόθη. Καὶ τοῦτο μὲν ἐκ ψηφίσματος, ὥσπερ που καὶ τἆλλα, ἐγένετο,« concludi posse putavit, epistolam scriptam esse paucis diebus post natum Gaium Caesarem, Iuliae et Agrippae filium, a. 734. Id si voluisset poeta v. 9 indicare, clarius scripsisset ac de imperii civiumque spe pauca certe addidisset. Deinde vide quo modo Dio ipso illo loco pergat: »ἰδίᾳ δὲ δὴ οἱ ἀγοραναόμοι ἱπποδρομίαν τε ἐν τοῖς Αὐγούστου γενεθλίοις καὶ θηρίων ἀφαγὰς ἐποίησαν.«

V. 1. *si potes*] Solebat enim Torquatus laute ac splendide vivere. Cave igitur ne hunc virum avaritiae deditum habeas; id quod non pauci interpretes ex hac epistola et Carm. IV, 7 recte sibi videbantur efficere. De usu verbi *posse* cf. Epod. 9, 14. Virg. Bucol. 7, 10. Aen. XI, 307. — *Archiacis*] a fabro quodam Archia confectis, simplicibus, non pretiosis. — *olus omne*] qualecunque. Promittitur tenuis coena, sed nos quoque cum amicos invitamus, pauca promittimus, plura apponimus. — *suprema sole*] ad occasum vergente. Contrarius est *sol primus* apud Ovidium Met. IX, 93. Vide ad Carm. III, 28, 13. cf. Sat. II, 7, 33. — *iterum*] sc. consule. Sic Capitolin. vit. Pertin. 4: »Quia ille esset iterum, cum Pertinax factus est.« — *Petrinum*] »vicus et locus in agro Falerno.« Porphyr. Sed Comm. Cruq.: »Petrinus mons et Sinuessanae civitati imminens vel ager Sinuessae vicinus.« Hodie est *Rocca di monti Ragoni*. Mediocre vinum est et, quod suspicari licet, non nimis novum sed quattuor vel quinque annos natum. — *Si*] In codd. et multis editionibus veluti Linkeri, Ritteri, Doederlinii *sin*, quo tamen vocabulo Horatius usus esse non videtur. Hoc loco sic scriptum est ab iis qui oppositionem quam intelligerent etiam exprimere particula vellent. Iocatur autem poeta, cum sic scribit: noli enim cum aliis interpretari *arcesse me ad te*; apud Horatium coena iam parata est. — *splendet*] cf. Carm. IV, 11, 6. — *tibi*] de ordine verborum compara Sat. I, 5, 49. 6, 65. 8, 34. — *certamina divitiarum*] Hoc quoque iocose et innocenter dictum est (cf. Carm. IV, 12, 25), neque quidquam aliud reperiendum hic est nisi amica ac lepida admonitio, ut omnes curas quibus soleat teneri hoc die mittat totumque se dedat amico et hilaritati. De certaminibus divitiarum compara Sat. I, 1, 113 sq. Ad genitivum *divitiarum* cf. Liv. I, 17: »patrum interim animos *certamen regni* ac cupido versabat.« — *Moschi*] »Hic Pergamenus fuit rhetor notissimus: reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic et Asinius Pollio.« Porph. In hanc igitur causam Torquatus magnam curam et diligentiam contulisse videtur. — *dat veniam*] quia institium erat. — *tendere noctem*] transigere usque ad finem. Similiter Virg. Georg. III, 379. Ovid. Met. XII, 159. — *aestivam*] Meinekii coniecturam *festivam* Linkerus recepit;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque severus
Assidet insano; potare et spargere flores
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? Operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Haec ego procurare et idoneus imperor et non
Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares, ne non et cantharus et lanx

offendit autem Meinekium, quod nullo pacto effici possit, ut auctumnalis nox fiat aestiva. In qua re nimis anxius fuit; ne nos quidem dubitamus auctumnalem noctem, siquidem calida est ac mitis, aestivam appellare. — *quo mihi fortunam*] sc. datam esse credam; nam *quo* in hac formula est *quoi, quorsum*. Sic non raro. Phaedr. III, 18, 9: »Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?« Cat. Distich. 4, 16: »Quo tibi divitias, si semper pauper abundas?« Cic. ad Fam. VII, 23, 2: »Martis vero signum quo mihi pacis auctori?« Sententia autem generalis est, in qua prima persona omnes saepe utuntur. — *assidet*] proximus et simillimus est. Hac tropica significatione, ab ordinibus theatrorum petita, ut videtur, ἄπαξ λεγόμενον est. Quod quomodo in prosa exprimas ostendit Cic. Brut. 147: »Antonio Philippus proximus accedebat.« — *spargere flores*] Carm. III, 19, 22.

V. 16. *designat*] Difficile hoc vocabulum alii aliter interpretantur. Porphyrio idem esse dicit quod *aperit* sc. quod signatum et clausum erat; et leviter significari et in quandam comparationem vocandas esse lagenas Schmidius affirmavit. Comm. Cruq. ad h. l. habet glossam *facit*, ad Epist. I, 7, 6 idem esse ait quod *confundere*. Donatus ad Terent. Ad. I, 2, 7: »Nam illa quae antehac facta sunt, Omitto: m quid designavit!« explicat: »d gnare est rem novam facere utramque partem, et bonam et lam.« — *operta*] cf. Carm. III, 14. Epod. 11, 14. Sat. I, 4, 89. *spes*] cf. Carm. III, 21, 17 sq. *inertem*] Sic recte antiquissimi dices Blandinii et alii; *inerm* quod in aliis non malis legitur i reiiciendum videtur, quod ani describendus erat a poeta, non sus quo quis inermis est. cf. Cic Catil. II, 5, 10. — *addocet*] verbum praeter hunc locum videtur inveniri nisi semel apud ceronem pro Cluent. 37, 104: » docti iudices.« Eadem ratione d tur *addiscere* Cic. Senect. 8, 26. *fecundi calices*] copiosi et abund tes. Notandum genus est huius cabuli, quo Latini ab usu Graec χύλιξ) recesserunt. — *contracta*] Carm. III, 2, 1. I, 18, 5. Animadv ordinem verborum, quo prohibit est ne aut nomen *paupertate* poneretur aut molestum pronor *ea* deberet inferri. Orellius tar *solutum* mavult absolute accipere est apud Cic. Verr. Act. II, »animo semper *soluto* libero erat.« — *imperor*] pro *imper mihi*. Sic A. P. 56 *invideor*. autem est, qui sibi imperat. — *to* vide ad Sat. II, 4, 84. De mappa Sat. II, 8, 63. — *corruget*] Quin XI, 3, 80: »Naribus labrisque d

Ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet, ut coëat par
Iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque,
Et nisi coena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam; locus est et pluribus umbris,
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
Tu quotus esse velis rescribe, et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

Epistola VI.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.

sus, contemptus, fastidium significari solent. Nam et *corrugare nares*, ut Horatius ait, et inflare indecorum est. — *cantharus*] vide ad Carm. I, 20, 2. — *pari*] Plat. Symp. 18, 3: »ὁ παλαιὸς λόγος εἰ ἔχει, ὡς ὁμοῖον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει.« Curabit autem, ut par pari in eodem lectulo adiungatur. Noli igitur cum Paulyo, Linkero et Kruegero ad eam interpungendi rationem redire, quam Lambinus iam in prima editione merito reliquit et refutavit; illi enim puncto posito post *eliminet* sic coniungunt: Ut coeat.. pari, Butram tibi Septiciumque et Sabinum assumam. Recte interpunxerunt Meinek. Haupt. Doederlin. Ritter. — *Butram*] Nominantur tria sodalium nomina nobis aliunde ignotorum; nam ne de Sabino quidem certa coniectura est. Hunc alii putant esse Ovidii amicum, A. Sabinum, alii Sabinum quendam Tironem, qui librum Cepuricon Maecenati dicavit. — *umbris*] vide ad Sat. II, 8, 22. De numero accumbentium simul in convivio vide ad Sat. I, 4, 86. — *caprae*] Epod. 12, 5. — *atria*] vide ad Carm. III, 1, 46. Senec. de brevit. vit. 14, 7: »quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt et per obscuros aedium aditus profugient?«

Epistola VI.

Plurimis antiquis philosophis communis fuit doctrina τοῦ μηδὲν θαυμάζειν, quam quidem virtutem alii ἀθαμβίαν et ἀθαυμαστίαν, alii ἀπάθειαν, alii ἀταραξίαν appellarunt. Ea autem ipsa cernitur »in duobus, si et solum id quod honestum sit bonum iudices, et omni animi perturbatione liber sis. Nam et ea quae eximia plerisque et praeclara videntur parva ducere eaque ratione stabili firmaque contemnere fortis animi magnique ducendum est, et ea quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est magnaeque constantiae.« Cic. de Off. I, 20. De hac igitur virtute scribit Horatius ad Numicium quendam, hominem nobis aliunde prorsus ignotum, in quem tamen cave credas congerendas esse omnes animi perturbationes, quas a poeta in hac epistola descriptas et vituperatas invenias; immo vero satius erit sibi persuadere, fuisse Numicium iuvenem aliquem fortem ac frugi, qui idem sibi de rerum externarum despicientia fecisset iudicium maximeque idoneus videretur ad quem de illa doctrina epistola posset dari. Incertum est quo anno epistolam scriptam esse credamus, nisi quod *porticus Agrippae* (v. 26) iuniorem eam esse ostendit a. 729, quo anno Neptuni seu illa Argonautarum porticus ab Agrippa aedificata esse traditur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent: quid censes munera terrae,
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos,
Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis,
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem
Quo cupiens pacto; pavor est utrobique molestus
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rer
Si, quidquid vidit melius peiusve sua spe
Defixis oculis animoque et corpore torpet?

V. 1. *Nil admirari*] cf. Diog. Laert. VII, §. 123: »τὸν σοφὸν οὐδὲν θαυμάζειν τῶν δοκούντων παραδόξων, οἷον χαράγματα καὶ ἀμπώτιδας καὶ πηγὰς θερμῶν ὑδάτων καὶ πυρὸς ἀναφυσήματα.« — *prope*] Mitigat sententiam *παράδοξον* adiecta haec particula quam germanice reddas *so ziemlich*, cf. Sat. I, 3, 98. Epist. I, 18, 28. II, 2, 21. 61. — *una*] *Unus* alios non excludit, sed unum tantum ponit praecipuum; *solus* contra omnes alios excludit. cf. Sat. II, 3, 24. Virg. Aen. II, 426. — *hunc solem*] *δεικτικῶς*, quem videmus et admiramur. Cic. Tusc. I, 25, 60. pro Mil. 30, 83. Conclusio est a maiori ad minus. — *momentis*] Bewegungsgesetze. Cic. Tusc. I, 17, 40. Manil. Astron. III, 289: »Paribus per tempora versa Momentis redeunt.« Describuntur philosophi naturalium rerum periti. — *decedentia*] *V. decedere* a cadentibus astris (Epist. I, 16, 7) ad tempora translatum, quia tempora siderum cursus sequuntur. — *formidine*] Ex admiratione magnarum rerum oritur aut formido et timor (v. 9) aut cupiditas (v. 10); utraque res aucta et amplificata torporem (v. 14) efficit. Plaut. Amph. I, 1, 179: »Timeo, totus torpeo: non edepol nunc ubi terrarum sim scio.« — *quid censes*] De sententiae forma cf. Cic. Rosc. Am. 17, 49. de Off. II, 7. Verbum autem *credis* post longiorem verborum intercapedinem praeced *censes* bene substituitur. — *ludi* ludi publici. ut Liv. I, 9, 13. I 9. — *dona*] Iuven. 10, 78 sqq.: »I qui (populus) dabat olim Imperi fasces, legiones, omnia, nunc Continet atque duas tantum anxius optat, Panem et Circens Ceterum vide ad Carm. II, 7 cf. Lucan. Phars. II, 386: »Ro more Quiritis.« Ceterum Doed nius coniunxit *ludicra plausus* nit.); non recte, opinor.« — *Qu met*] Neque debemus eas res a tere neque quae iis contraria timere; nam et in appetition in timore inest admiratio quae ac pavor, qui animum ex tran litate excutit rectumque de r iudicium perturbat. De pavore Ciceronem Tusc. IV, 8, 19; de sententia eundem Tusc. IV, 6 III, 13, 28. IV, 26, 57. V, 28. — *exterret*] verbum medium e timorem et ad cupidinem ap cf. Virg. Aen. XI, 806. Liv. 39, 15. Cic. de Off. II, 10, 37. E *spes* vocabulum medium est, ut lust. Iug. 88, 1. Liv. II, 3, 1; q quam de malis rebus a Ciceron Caesare non videtur esse usu tum. Ceterum Lachmannus ad cret. p. 266 coniecturam lac *externat* optimam et necessa emendationem appellavit, quan coperunt deinceps Haupt. Mei Linker. — *defixis oculis*] immo

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude quod spectant oculi te mille loquentem;
Navus mane forum et vespertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et — indignum, quod sit peioribus ortus —
Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas;
Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum
Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,

bus, stupidis. — *insani sapiens*] Malum cernitur in nimio appetitu, non in re quae petitur. Cic. Tusc. IV, 25, 55. 29, 62.

V. 17. *I nunc*] Argumentum a maiori ad minus; ipsa autem formula concedentis est sed cum dissimulatione et irrisione. Epist. II, 2, 76. — *artes*] Carm. IV, 8, 5. Versus autem sic sunt coniungendi: Quodsi ne virtus quidem nimio studio appetenda est, nihil profecto est quod viliores res tantopere secteris, quod argentea et aënea artificia conquiras, quod laudem oratoriam appetas, quod quaestui per totum diem inhies, ne alius quis, obscuro fortasse loco natus, uxoris dote i. e. sine ullo suo negotio te ditior sit. In qua re quo certior evadat imago, Mutum aliquem, hominem nobis ignotum, poetarum more induxit Horatius. — *Navus*] Sic, non *gnavus*, in omnibus antiquiss. codd. Cruquii et compluribus Orellii scriptum est. — *emetat*] vide ad Carm. I, 5, 8. — *condetque nitentia*] Vanum igitur illorum est studium. Senec. Epist. 110: »Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istae res, non possidentur, et dum placent transeunt.« Soph. Ai. 646: *Ἄπαν θ' ὁ μακρὸς χἀναρίθμητος χρόνος Φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.* — *conspexerit*] Nam in porticu Agrippae frequenter deambulabant Romani, et viam Appiam divites terebant mannis et curribus. cf. Epod. 4, 14. — *Ancus*] Carm. IV, 7, 15. — *Si latus*] Sententiarum ordo hic est: »Quare si mecum intellexisti, in tranquillitate animi cernendam esse beatam vitam, idem facias oportet quod soles, cum corporis morbo tentaris: nimirum remedia quaerenda sunt et vitanda omnia quae possint nocere. Animi autem remedia videnda sunt in illa virtute, qua nihil admiramur, nulla cupiditate aut metu tentamur. Contra si summum bonum in externis rebus positum putas, agedum quaere res et cura ne quis te opibus vincat.« Externae autem res et cupiditates, quibus homines beatam sibi vitam se paraturos vulgo opinantur, aut divitiae sunt (31—48) aut honores et gratia popularis (49—55) aut victus lautissimus (56—64) aut amores (65—67). — *latus aut renes*] *πλευρῖτις* et *νεφρῖτις*. Idem versus est Sat. II, 3, 136 ubi vide. — *virtutem verba*] Sic Schiller nostras in carmine die Worte des Glaubens: »Und die Tugend, sie ist kein leerer Schall.« Ac bene comparavit Cruquius ultimam vocem Bruti apud Dion. Cass. XLVII, 49.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quaere fugam morbi. Vis recte vivere: quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
Lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro e
Tertia succedant et quae pars quadrat acervum.
Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
Et genus et formam regina Pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenae praebere rogatus,
Qui possum tot? ait; tamen et quaeram et quot habe
Mittam: post paulo scribit, sibi milia quinque
Esse domi chlamydum; partem vel tolleret omnes
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt

»καὶ ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ Ἡράκλειον, Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἆρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἆρ' ἐδούλευες τύχῃ· παρεκάλεσέ τινα τῶν συνόντων, ἵνα αὐτὸν ἀποκτείνῃ.« — *lucum*] sed numen est in luco et sacrilegorum vox est, lucum nihil esse nisi ligna. — *Cibyratica*] Cibyra urbs Phrygiae magnae propter ferramenta celebrata. Et cf. Carm. III, 7, 3. — *quadrat*] Sic scribendum est ex auctoritate optimorum codicum. Coniunctivus *quadret*, quem praetulerunt Krueger. Haupt. Meinek. Linker., reliquis coniunctivis haud dubie debetur. Etiam Cruquius et Bentleius coniunctivum receperunt, de codicibus suis nihil admonentes. *Quadrare* autem est absolvere, perficere, ut apud Cicer. Or. 58: »quadrandae orationis industria« i. e. oratorio numero componendae, construendae. — *fidemque*] cf. Sat. I, 1, 62. Philem. fr. XV: »Πρόεσται δὲ τῷ πένητι ἀπιστία· ἀνὴρ δὲ πλουτῶν κἂν ἄγαν ψευδηγορῇ, δοκεῖ τι φράζειν τοῖς ἀκούουσιν ἀσφαλές.« Contra de eadem re Theogn. 525 (Welck.): »Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέντατε πάντων, σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίγνομαι ἐσθ ἀνήρ.« — *Cappadocum rex*] Cum h epistola scriberetur, regnabat in C padocia Archelaus; de cuius dec sore Cicero scripsit ad Attic. VI, »Nihil illo regno spoliatius, ni rege egentius« et ibid. 3: »Ariob zanes, rex perpauper.« Romae tem multi erant ex Cappadocia se sed rudes et viles.

V. 40. *Ne fueris*] Ille igitur p perrimus rex malum est exempl divitiarum; quare fac colligas o Luculli, qui quam esset dives i nesciebat. — *scenae*] ut pompa qua vel triumphus ageretur. — *lerei*] praetor vel aedilis, qui s tacula editurus erat. — *Exilis mus*] Plutarch. Lucull. 39: »Σ τηγοῦ δέ ποτε φιλοτιμουμένου θέας καὶ χορῷ τινι κόσμον αὐτο νου πορφυρᾶς χλαμύδας ἀπεκρίν σκευάμενος, ἂν ἔχῃ, δώσειν· μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτόν, σων δέοιτο· τοῦ δ' ἑκατὸν ἀρκέ φήσαντος ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσ τας. Εἰς ὃ καὶ Φλάκκος ὁ πο τῆς ἐπιπεφώνηκεν, ὡς οὐ

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fasces dabit eripietque curule
Cui volet importunus ebur. Frater, Pater adde;
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
Si bene qui coenat bene vivit, lucet, eamus
Quo ducit gula, piscemur, venemur ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos

μίζει πλοῦτον, οὗ μὴ τὰ παρορώμενα καὶ λανθάνοντα πλείονα τῶν φαινομένων ἐστί.« — facere et servare] Consulto haec repetuntur ex secundo versu, ut perversum cupidorum hominum iudicium cum vera sapientia infesto certamine componatur. — *species*] splendor externus. Tacit. Ann. IV, 6, 1: »sua consulibus, sua praetoribus species.« — *servum*] Qui magistratum ambirent, civium in quos inciderent etiam tenuiorum manus prensabant, ut eorum sibi suffragia conciliarent. Quare servos nomenclatores secum habebant, qui singulorum civium nomina tenerent suisque auribus insusurrarent. cf. Sat. II, 5, 32. Ceterum non sine ioco verba *laevum, dextram* versus vicinos claudunt. — *trans pondera*] Videntur haec coniungenda esse cum verbis *dextram porrigere*, non cum *cogat*; quare rectissime intelligimus plaustra saxis, trabibus aliaque mole onusta, per quae candidato ut ad suffragatorem perveniat non sine difficultate aut aliquo periculo penetrandum est. Alii, ut Lachmannus ad Lucret. p. 380 et Hauptius ad Ovid. Met. I, 13 interpretantur *ultra libramentum sive aequilibrium corporis*, ut ap. Lucan. I, 57: »*librati pondera coeli Orbe tene medio*;« Cic. Fat. 10: »motus (atomi) oritur extra pondus et plagam.« Quae interpretatio vereor ne non congruat cum particula *trans*; magis certe probabilia videntur quae adnotata sunt in libello gallico Etude biogr. sur Horace, par Noël des Vergers, p. 43: »La découverte, faite dernièrement dans un ancien tombeau, de ces poids en bronze dont on se servait dans l'antiquité pour faire tomber avec grâce les plis des vêtements, et dont les archéologues ont de tout temps reconnu l'usage, a donné occasion a M. Fr. Rocchi, professeur d'archéologie à l'université de Bologne, de proposer une explication qui semble beaucoup plus naturelle. *Trans pondera dextram porrigere*, ce serait étendre le bras en le développant des plis de la toga.« — *Fabia, Velina*] duae ex XXXV tribubus Romanis. — *importunus*] durus, ut quid velit quavis ratione efficere studeat. — *adopta*] festive dictum de eo qui alienos homines blandis nominibus alloquendo inter cognatos quasi recipit. Sic Didius Iulianus apud Acl. Spartian. c. 4: »senatum et equestrem ordinem in palatium venientem admisit atque unumquemque, ut erat aetas, vel patrem vel filium vel parentem affatus blandissime est.«

V. 57. *ducit gula*] cf. Sat. II, 7,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Differtum transire forum populumque iubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret
Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat quid non obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
Vive, vale! Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Epistola VII.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum
Sextilem totum mendax desideror. Atqui

102. 111. Praesens ex auctoritate codicum praeferendum futuro *ducet*. — *Gargilius*] homo ignotus, de quo recte Bentleius: »Neque enim venatum *exibat* per forum, sed a venatione *redibat*; id ex ipsis verbis pro comperto habendum; iubebat, inquit, servos per forum transire, ut populo spectante mulus aprum referret. Ergo ante lucem pro solito venatorum more exierat: et mane sive ante meridiem pleno tum foro redibat. Neque vero recta via domum tendebat Gargilius,« sed flexo circuitu per forum servos ire iubebat, ut populo ibi conferto aprum ostentarent, non captum ut credi volebat, sed emptum. Neque vero Bentleiana coniectura *forum campumque* opus est, quoniam satis festive iteratur *populum, populo*, quo vanitas Gargilii magis describatur, quippe qui a populo vellet praedicari ob lautas suas quotidianas epulas. Illud quoque vani hominis est, quod magnam turbam servorum cum ingenti apparatu quotidie mittit, ut unum sibi apportent aprum; nimirum pluribus apris singulis diebus uti non potuit. — *lavemur*] ad excitandum iterum ciborum appetitum. — *Caerite cera*] Caeritibus tabulis; Caerites enim primi facti sunt municipes sine suffragii iur Gell. XVI, 13: »hinc tabulae Caer tes appellatae versa vice, in qu censores referri iubebant, quos n tae causa suffragiis privabant.« *remigium*] Epist. I, 2, 22 sqq. Hom. Od. XI, 104 sqq. XII, 297 sq I, 8 sq. — *Mimnermus*] Colophoniu poeta elegiacus, Soloni aequali Mimnermi locus est (Schneidewi del. p. 12): »*Τίς δὲ βίος, τί δὲ τε πνὸν ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης; T θναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλ κτλ.*« — *candidus*] Epist. I, 4, 1. Cic. Tusc. V, 28, 82. Isocrat. Nicocl. §. 38: »*Χρῶ τοῖς εἰρημέν ἢ ζήτει βελτίω τούτων.*«

Epistola VIII.

»Maecenas cum aegre careret miliaritate Horatii vatis et ami ob eamque rem, fortasse variis tae incommodis iam tactus, amicu dilectum invitus dimitteret, Flac longiorem quam quem is fore pr miserat in villa sua secessum aeg tulisse videtur. Poeta igitur suam absentiam in sex menses laturus excusaret crimenque ani ingrati, quod sibi propter prom sum non servatum fieri videretu dissolveret atque omnino suam s more vivendi rationem patrono

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si me vivere vis sanum recteque valentem,
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris,
Dum pueris omnis pater et matercula pallet,
Officiosaque sedulitas et opella forensis
Adducit febres et testamenta resignat.
Quodsi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet

bere exponeret, hanc scripsit epistolam Romano homine dignissimam. Is enim valetudine tum utebatur minus commoda, cui ita consulendum erat, ut cum diutius rure moraretur, tum per hiemem ad mare i. e. in regionem tepidiorem descenderet. Ante omnia igitur quantum debeat patrono liberalissimo quantique in beneficiis dandis facienda sit eius humanitas grato profitetur animo, ita tamen ut suam ipsius libertatem omnibus amicorum donis et vel ipsis Arabum divitiis praeferre non dubitet. Sibi enim aetate provectiori et corporis viribus paulo fracto alia iam opus esse vitae condicione, quam qua usque ad id tempus apud patronum munificum usus sit. Quodsi Maecenas vincula, quibus ei beneficiis in ipsum collatis se sentiat obstrictum, laxare nollet, iam quae bona accepisset se reddere et re vera velle et aequo animo posse significat. Haec animi sensa tam urbane, tam facete ante oculos ponit Maecenatis, ut haec ipsa epistola insigne sit et libertatis et urbanitatis documentum. Primum enim quod de restituendis rebus sibi facile obiici posse praesumit poeta, iocose illustrat lepido illo de vulpecula apologo, qua quidem similitudine usus omnibus nota simul, si qua fuit, rei lenitur quam maxime acerbitas. Tum ad significandum et paratum quo omnia reddere velit animum et mutatam sortem aeque ferentem duobus apprime utitur exemplis, altero a Telemacho, altero a Vultcio Mena desumptis.« Obbarius. Annus quo epistolam scriptam esse dicamus inveniri nequit; nam etiamsi concedas referendam eam esse ad iter quod Veliam et Salernum poetam fecisse ex epistola XV videamus, illud ipsum iter quo anno factum sit non potest inveniri. Obbario, cui assentire videtur Orellius, scripta epistola videtur a. 731; Duentzero intra annos 732 et 735.

V. 1. *quinque dies*] certus numerus pro incerto positus ad indicandos paucos dies. cf. Sat. I, 3, 16. II, 3, 289. II, 7, 89. — *Sextilem*] qui mensis a. u. c. 746 *Augustus* nominatus est. — *sanum recteque valentem*] Hanc optimorum codicum lectionem recentissimi editores recte restituerunt utpote sermonis quotidiani formulam, reiecta altera *recteque videre valentem*. cf. Epist. I, 16, 21. Cic. Acad. II, 7, 19: »Si sensus et sani sunt et valentes.« Altera facta videtur correctione eorum qui tautologiam aliquam timerent. — *veniam*] non est: »commeatum (Urlaub) dabis, sed precibus concedes, ut ruri vivam.« Caes. B. G. VII, 15, 6. Virg. Aen. IV, 435. — *ficus prima*] quae mense Augusto et Septembri maturescens grave autumni tempus indicat. Sat. II, 6, 19. Carm. II, 14, 16. — *designatorem*] »Designatores sunt funerum mancipes et ordinatores; nam designare est ordinare; unde et qui loca in theatris spectatoribus distribuebant, designatores dicebantur.« Comm. Cruq. — *decorat*] Habet aliquid festivi, pro *stipat*. — *lictoribus*] Cic. de Leg. II, 24, 61: »Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus.« — *illinet*] quo verbo prima hiems significatur, cum montes nive iam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non quo more pyris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
Iam satis est. At tu quantum vis tolle. Benigne
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono quam si dimittar onustus.
Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus et stultus donat quae spernit et odit:
Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
Nec tamen ignorat quid distent aera lupinis.
Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.

adsperguntur. — *ad mare*] Non male coniecerunt viri docti ex versu 45 Tarentum significari; nam cum Tibur et Tarentum contra urbem Romam ibi posuerit, eo autem ipso tempore, quo scriberet hanc epistolam, *rure* (v. 1) i. e. in villa sua prope Tibur sita diutius moraretur, ultro quasi in Tarentum incidimus; cum qua re non temere coniungas Calabrum hospitem v. 14, quem cur potius descripserit quam alium alius regionis non videas, nisi et saepius iam Horatium in Calabria fuisse et tunc Tarentum petere voluisse existimes. — *contractus*] remotus a strepitu magnae urbis neque distractus variis curis et officiis. Contractus enim opponitur distracto et remisso. Cic. de Orat. I, 59, 251: »industriam (oratoris) in plura studia distrahere nolim.« id. de Leg. II, 15, 38: »(sonorum vis) tum remittit animos tum contrahit.« cf. Epist. I, 18, 90. De frigore enim in loco, quem vitandi frigoris causa petiturum se dicit poeta, non licet cogitare. — *benigne*] est modeste recusantis. cf. v. 62. — *teneor dono*] Vetat caesura versus, ne quis *dono* a verbo *teneor* seiungere et cum solo adiectivo *onustus* coniungere velit; ad utrumque est referendum. — *dono*] quod offers. — *relinques*] Recte sic optimi codices. cf. v. 43. Praesens tempus *relinquis* cum Gesnero et Fea praetulerunt Haupt. Meinek. Krueger. Linker., nimirum ut magis urgere videre bonus Calaber hospitem suum.

V. 20. *prodigus*] Ea, qua Cala hospes utebatur, ratio donandi re non est, sed prodigorum hominum stultorum; sapientes enim ea sol dare quae ipsi magni aestimant iis hominibus quos suis donis dig habent. Quare ex sapientium ho num donis gratia redit, non ex st torum. — *tulit et feret*] vide ad Ca II, 13, 20. — *paratus*] graeca est c structio, ut Carm. III, 27, 73. — *a lupinis*] Lupinis quasi fictitia pecu utebantur et aleatores et histrio in scena; inde proverbium ort — *pro laude merentis*] Compara cret. V, 2: »Quis potis est *dign* pollenti pectore carmen Condere rerum maiestate?« Cicer. Div. Caec. 13, 42: »Quidnam *pro* offens ne hominum et exspectatione omni *dignum* eloqui possim?« Et *merer* est pro *bene merentis*, ut Virg. A VI, 664. Propert. IV, 11, 101: »S digna *merendo*.« Hoc dicere videt »Tu, Maecenas, cum dicas te dig semper esse paratum, in me aut tua beneficia contuleris, necesse habeas me dignum tuis donis. Qu etiam praestabo me dignum et quidem, ut ex beneficiis tuis in quoque redundet aliqua laus; qua i re beneficia stultorum et sapienti inter se differunt; ad illos enim donis suis nihil revenit gratiae

Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
Inter vina fugam Cinarae moerere protervae.
Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra;
Cui mustela procul, Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno:
Nec somnum plebis laudo satur altilium nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulixei:

laudis. Quare libere beneficiis tuis utar, quae tu, cum dares, non voluisti imminuere adhaerentibus molestiis et incommodis. Olim cum iuvenis essem, semper apud te eram delectabarque urbana vita; ita me gratum praestare nunc, cum senescam, iam non potero.« cf. Epist. II, 1, 246 sq. — *angusta fronte*] Contrarium habes in hoc loco Plinii Epist. III, 6, 2: »rari et cedentes capilli, lata frons.« Ceterum cf. Epist. I, 20, 24 et vide ad Carm. I, 33, 5. — *Cinarae*] vide ad Carm. IV, 13, 21. — *forte*] idem quod *aliquando*, ut Sat. I, 9, 1. Cicero ita locutus esse non videtur, sed posteriores. — *vulpecula*] De hac omnium codicum scriptura Bentleius: »Vestram fidem, inquit, venatores, rustici, physici! Frumento vescitur vulpecula? Quis vel fando hoc audivit, quis prodidit?«, ac scribi iubet *nitedula*; quae coniectura, olim ab editoribus recepta, deinde reiecta, nunc iterum provocata est ab Hauptio, Meinekio, Linkero, Paulyo. At praeterquam quod vulpecula etiam ab Isidoro comprobatur Orig. I, 39: »ad mores spectat fabula, ut apud Horatium mus loquitur muri (Sat. II, 6, 90), *mustela vulpeculae*,« tenendum est apologorum inventores non tam physicam probabilitatem spectare quam doctrinae veritatem. cfr. Dio Chrysost. 47. p. 233. R. »οὐ γὰρ ὥσπερ ἡ ἀλώπηξ κατιφαγοῦσα τὰ κρέα οὐκ ἐδύνατο ἐξελθεῖν ἐκ τῆς ὀρυὸς διὰ τὸ ἐμπλησθῆναι, κἀμοὶ ἐξελθεῖν διὰ τοῦτο χαλεπόν.« Lachmannus tamen ad Lucret. p. 204: »idem vocabulum (*nitedula*) Horatio a Bentleio restitutum qui non accipiunt, rationem et genera fabellarum ignorant.« — *cumeram*] Sat. I, 1, 53. — *cavum quem*] Duplex substantivi forma est, *cavum* et *cavus*. cf. Sat. II, 6, 116. — *somnum plebis*] cf. Carm. III, 1, 21. — *Arabum*] quorum divitiae in proverbium abierunt; Carm. I, 29, 1. III, 24, 2. — *verecundum*] cf. Carm. II, 18, 12. — *rex*] Hoc nomine tenuiores et clientes patronos suos et fautores ornare solebant. cf. Epist. I, 17, 20. 43. — *Telemachus*] Hom. Od. IV, 601 sqq. Eodem ait animo se reddere posse omnia quae acceperit, quo olim Telemachus equos sibi oblatos, utpote inutiles sibi suaeque patriae, recusaverit. — *patientis*] πολύτλας, ταλασίφρων. — *Ithacae*] Nominativum Bentleius restituitPorphyrionem paucosque codices secutus; in multis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis causisque Philippus agendis
Clarus ab officiis octavam circiter horam
Dum redit atque foro nimium distare Carinas
Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, — puer hic non laeve iussa Philippi
Accipiebat — abi, quaere et refer, unde domo, qu
Cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.
It, redit et narrat, Vulteium nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum,

optimisque codd. *Ithacae* scriptum est, non genitivus, sed ex more etiam in lapidibus saepissime observato, quo *e* et *ae* confundebant. — *tibi*] Coniunge et cum *apta* et cum *relinquam*. — *vacuum Tibur*] vacuum a turba et negotiis et officiis, plenum tranquillitatis. Epist. II, 2, 81. Virg. Georg. II, 225. Ceterum cf. Carm. II, 6, 5 — 12. De Tarento cf. Sat. II, 4, 34.

V. 46. *Philippus*] L. Marcius Philippus, consul a. u. c. 663, quem Cicer. de Orat. III, 1 hominem vehementem et disertum et imprimis fortem ad resistendum appellat. De ipsa autem lepida narratiuncula bene sic disputavit Orellius: »Haec narratiuncula ita cum praecedentibus connectitur, ut Vulteii exemplo satis lepido demonstret virum prudentem, ubi casu aliquo collocetur in statu suae condicioni atque ingenio minus conveniente, etiam cum non levi iactura ex eo sese extricaturum esse, quo magis sibi aptum occupet.« — *foro*] ablativus est; in personis alia ratio est. cf. Epist. I, 18, 4. — *Carinas*] »Vicus Romae celeberrimus in regione IV constitutus ab aedificiis in modum carinarum factis vocatus esse dicitur; ibi fuit templum Telluris, aedes Iu-

nonis Sororiae, domus Pompeii, tonii, Q. Ciceronis, aliorum viro principum et ipsius Philippi.« Ob rius. Forum Romanum in regione situm erat. — *adrasum*] Tenend hoc est et ex auctoritate codicu quia homines *adraduntur*, barba *a ditur. Ut aiunt* dictum est de re rando tradita, ut Epist. I, 6, 40. I, 18. De suis optimis codd. Cruqui »aliqui codd. habent *arrasum*, nulli *abrasum*.« — *vacua*] quia adfuerant iam reliquerunt tons nam, Vulteius autem otiosus et placens ita remanserat, ut ex plac vultu tranquillitas eius animi in ligeretur. Haec igitur species hom Philippum allexit. — *proprios*] quod tonsoris erat, id Vulteius faciebat, et *leniter* quidem i. e. properanter, quiete. — *quove patr* si libertus esset ac nullo patre, dicebant, scire cupiebat, quo ut tur patrono. — *Menam*] Libe igitur fuit, quod ex hoc nomine lippus antea de condicione Vu incertus (quare quaesivit »quo p quove patrono«) intellexit. — *no* Noli hoc coniungere neque cum p cedentibus verbis *sine crimine* ne cum insequentis versus infinitivis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et properare loco et cessare et quaerere et uti
Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
Et ludis et post decisa negotia Campo.
Scitari libet ex ipso quodcunque refers: dic
Ad coenam veniat. Non sane credere Mena,
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. Negat ille mihi? Negat improbus et te
Negligit aut horret. Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat et salvere iubet prior; ille Philippo
Excusare laborem et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset, denique quod non
Providisset eum. Sic ignovisse putato
Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies: nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda locutus

homo *sine crimine* innocens est et probus, sic notus is recte dicitur, qui non in omnium hominum, ut magni ac nobiles viri, sed in multorum eiusdem et condicionis et regionis cognitionem pervenit, praesertim praeco, cui cum multis fortasse hominibus negotia erant. Verba autem *sine crimine* adiectivi vice funguntur in lingua latina, cui negantia verba non tam facili opera licuit componere quam Graecae. cf. Ovid. Met. VII, 275. Senec. Phoen. 513: »sine crimine exsul.« Capitolin. in Marco c. 10: »Multis pauperibus, sine crimine, dignitates concessit.« Bentleius ex duobus codd. *sine crimine natum*. Infinitivi *properare, cessare* cett. intelligendi sunt ex forma orationis obliquae, qua servus Vulteii verba domino refert. — *loco*] vide ad Carm. IV, 12, 28. — *certo*] Cruq. »cod. Silv. cum Martin. habet *et lare curto* quod omnino rectum puto, nam pauperiores in pergulis habitabant.« Hanc lectionem etiam Bentleius recepit, quamquam »utrumvis, inquit, probum est, ut nescias utrum utri sit praeferendum;« Bentleium secuti sunt Doederlin. et Linker., non bene; Orellius iam recte animadvertit *lare curto* meram esse repetitionem vv. *tenui censu*: id quod cadit etiam in Peerlkampii coniecturam *parvo*. Ad sententiam cf. Epist. I, 15, 28, ubi scurra *vagus* est, qui *non* habet *certum* praesepe. — *non sane*] idem fere quod *vix, οὐ πάνυ*. Varro R. R. III, 16, 10: »Parva villa et agellus non sane maior iugero uno.« Ille enim vix potest cogitare se ab homine nobili ac divite ad coenam vocari; quare tacitus miratur. — *negat ille mihi*] Sic optimi et plurimi codices, alii *neget*, quod cur praeferatur nihil est causae; immo vero grata est eiusdem formae repetitio. Servus domino adulans convicio *improbus* statim addito rem auget. — *tunicato popello*] Cum contemptu dictum; tenuiores enim tunica tantum, non toga induti in publicum ibant. Tacit. dial. 7: »vulgus imperitum et tunicatus hic populus.« — *occupat*] *φθάνει προσαγορεύων*. Liv. XXI, 39: »occupavit Scipio Padum traiicere.« — *providisset*] quod non prior vidisset ac salutasset. Terent. Andr. I, 2, 12: »herus est, neque provideram.« V. 72. *dicenda tacenda*] cf. Virg. Aen. IX, 595. — *tandem*] diu retentus, cum placeret, tandem ut dormitum eat dimittitur. — *hic ubi*] ut

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et iam certus conviva, iubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis arvum coelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
Et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
Immoritur studiis et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando,
Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit iratusque Philippi tendit ad aedes.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus,
Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Pol me miserum, patrone, vocares

Epist. II, 2, 136. Doederlin. et Krueger. praetulerunt *hinc* i. e. abhinc, ex paucis codd. — *cliens*] qui mane salutatum veniebant. — *indictis Latinis*] Feriae Latinae, quae quotannis a consule indicebantur, iustitium quatriduum dabant, quo qui negotiis forensibus occupati erant comitibus ex more nobiliorum hominum secum ductis rusticari solebant. — *requiem*] recreationem, delectationem; *risus*, ridendi materiem. Vafrum enim hoc Philippi est consilium, quippe qui praesentiret tranquillum suum ac placidum praeconem non optimum fore rusticum. — *undique*] undecunque potuit accipere, quoquo modo. — *ex nitido*] Cic. ad Fam. XVI, 21, 13: »Deponendae tibi sunt urbanitates: rusticus Romanus factus es.« — *studiis*] Dativus est, ut apud Quintilianum IX, 3, 73; »immori legationi.« — *senescit*] macrescit, *τήκεται*. Epist. II, 2, 82. — *seges*] cf. Carm. III, 1, 30. — *enectus arando*] Prae nimio labore concidit bos; nimirum bonus Vulteius urbanam suam sedulitatem (v. 65. 71) rus etiam contulisse videtur, ut quem ipse libenter susciperet magnum laborem etiam bubus imponeret. Imperitia igitur fuit qua peccavit, non nimia cupiditas. — *arripit*] Hoc verbum et quae addita sunt *media de nocte*, quam subito fastidium ceperit Vulteium ad desperatumque consilium abiiciendi laboris adegerit, egregie ostendunt. — *scabrum*] Indicia haec sunt non rusticae sed tristioris vitae. — *durus*] Huc quoque trahendum *nimis*, nam Plin. Epist. VI, 30, 4: »Rusticorum praediorum administratio poscit durum aliquem et agrestem, cui nec labor ille gravis nec cura sordida nec tristis so-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Praestent, mature redeat repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Epistola VIII.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
Vivere nec recte nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites oleamque momorderit aestus,

litudo videatur.« — *ponere nomen*] Sic recte ex Bland. antiquiss., Tons., Buslid., Divaei apud Cruquium et ex Goth. sec.; in aliis *dicere*. — *deosque Penates*] Sat. II, 3, 176. In obtestandi formula *quod* relativum est infinitum pro *propter quod*, ut Graecorum ὅ pro διότι. Virg. Aen. II, 141; cave tamen credas supplendam esse illam praepositionem. — *semel*] Negligenda fuit optimorum codicum auctoritas, qua quod comprobatur *simul* ineptum est. Ex Cruquii codd. unus tantum habet *semel*; praeterea unus Bersmanni; reliqui, ut videtur, omnes *simul*. Sed frequentissima est horum vocabulorum confusio. Ceterum vide ad Carm. IV, 3, 1.

Epistola VIII.

Celsus Albinovanus (Epist. I, 3, 15) a Tiberio Nerone expeditionem in Armeniam faciente in cohortem receptus et ad scribendas arcanas, ut videtur, et gravioris argumenti litteras adhibitus ex Armenia vel ex itinere Horatium salutaverat. Respondet Horatius hac epistola et amico gratulatur de novo munere et parata ad honores via. Quo consilio scienter describit animi sui praesentem statum et adhortatur amicum ne nimia futurarum rerum exspectatione elatus animi continentiam perdat. In qua re tu noli reprehensionem odorari, quasi Celsus insperata sua fortuna inflatus amicos suos superbe et arroganter tractarit, cum videas quam leniter poeta amicum admonuerit post liberam illam ac familiarem aegritudinis suae descriptionem dulcissimamque de salute eius rebusque curam. Horatii autem aegritudinem eam esse docuit Iacobsius (Lect. Venus. p. 336), qua saepe tentatos videmus praestantissimos quosque homines, praesertim artifices, qui cum ad eam, quam animo et cogitatione sibi formaverint, artis suae speciem et magnitudinem pervenire posse sibi non videantur severiusque de se suisque studiis ipsi iudicent quam alii, non raro spem deponant animumque tristitia quadam obrui patiantur. Quem animi morbum alii neque intelligunt neque possunt aut consolationibus aut consiliis sanare; nimirum qui ita laborant alienam medicinam spernentes et remedia ex animo quaerentes morbum alere magis quam curare videntur. Scripta videtur epistola a. u. c. 734.

V. 1. *gaudere et bene rem gerere*] Bene comparatur Graecorum salu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris,
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere quod levet aegrum,
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno,
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Ut placeat iuveni percontare utque cohorti.
Si dicet Recte, primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Epistola IX.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus
Quanti me facias: nam cum rogat et prece cogit,

tandi ratio *χαίρειν καὶ εὖ πράττειν*. — *minantem*] Hoc verbum cum h. l. idem sit quod *polliceri*, sua natura medium esse patet; est enim idem quod *prae se ferre*. cf. Sat. II, 3, 9. Illa autem *pulchra* non coërcenda sunt poesis finibus sed intelligendus est totus animi cultus. — *suaviter*] Sat. I, 9, 5. — *nil audire*] cf. Epist. I, 1, 48. — *cur me*] vide ad Carm. I, 33, 3. — *veterno*] est torpor quidam animi, ortus ille quidem ex tristitia quadam et diffidentia rerum et virium nostrarum. cf. Virg. Georg. I, 124. — *Tibur*] Epist, I, 7, 45. Sat. II, 7, 28. Non satis firmis argumentis usi sunt qui praeter Sabinam villam etiam Tiburtinam Horatio fuisse affirmarunt. Summum quod possis concedere hoc est, habuisse Horatium deversorium aliquod Tibure; quamquam ne hoc quidem certum est. Cic. ad Fam. VII, 23 circ. med.: »Libentius emerim deversorium Terracinae, ne semper hospiti molestus sim.« — *ventosus*] inconstans. cf. Epist. I, 19, 37. Ceterum in Bland. codd. aliisque reperitur *venturus*. — *in veni*] Tiberio tunc XXII annos nato — *subinde*] deinde, protinus, continuo. cf. Colum. II, 4, 11: »Age *primum* aretur ultima parte mensis Augusti, *subinde* Septembri sit iteratus.« — *nos*] ego et omnes qui buscum versaris.

Epistola IX.

Marcello iuvene mortuo Tiberius Claudius Nero is Romae fuit, cuius gratia maxima commoda et summam spem futuri temporis praeberet posset. Quare qui ad honores viam sibi vellent parare, ii quod proximi ad hoc novum sidus accedere studebant, publicarum rerum quae tum fuit ratio ipsa tulit. Et Horatius quoque Septimii iteratis precibus ita cessit, ut iuvenem amicum Neroni commendaret. Quod qua arte fecerit, ne aut Septimii iustis precibus deesset aut sua apud Neronem auctoritate arroganter abuti videretur, tu lege et admirare. De Septimio vide ad Carm. II, 6, de Nerone praecipuus locus est Taci-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
Munere cum fungi propioris censet amici;
Quid possim videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi cur excusatus abirem:
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
Sic ego maioris fugiens opprobria culpae
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

Ann. VI, 51: »Egregius vita famaque, quoad privatus vel in imperio sub Augusto fuerat.« Inter eos qui Tiberium in Armeniam comitati sunt Septimius fuisse non videtur; si fuisset, in epistola III eum nominare Horatius non esset oblitus. Nam cuius ibi mentio fit, Titius diversus haud dubie fuit ab hoc; vide ibi ad v. 9. Quapropter libentius iis assentior qui a. 732, quam qui a. 734 scriptam suspicantur hanc epistolam; sed nihil in his rebus certum est.

V. 1. *nimirum*] Per totam epistolam urbanus quidam lepor ac iucunditas regnat; inde lenissimae ironiae in vocabulis quoque indicia. — *unus*] melius quam ceteri et ipse ego (v. 6). cf. Sat. II, 6, 57. — *tradere*] Cic. ad Fam. VII, 5: »Totum tibi hominem ita trado manu, ut aiunt, in manum tuam istam et victoria et fide praestantem.« Sat. I, 9, 47. Epist. I, 18, 78. — *domoque*] usu et consuetudine. Versus negligentius factus in epistola *sermoni propiore* reprehendendus non est. Similes sunt Sat. I, 2, 39. I, 8, 9. 17. 36. 50. Epist. I, 5, 27. I, 16, 20. Sat. I, 2, 55. II, 8, 12. Epist. II, 2, 1. — *honesta*] neutro genere usus videtur quo magis evadat generalis sententia, ut Epist. II, 2, 179. — *Neronis*] Ipsum nomen cum vi post pronomen *tibi* infertur; i. e. hominis qualis est Nero. — *valdius*] A. P. 321. — *mea*] meum apud te favorem et auctoritatem. — *dissimulator*] Cic. Acad. II, 5, 15: »Ita cum aliud diceret atque sentiret; libenter uti solitus est ea dissimulatione quam Graeci εἰρωνείαν vocant.« — *opis*] facultatis, virtutis. Cic. Mil. 11, 30. Virg. Aen. I, 601. — *frontis*] Explicantur haec versu 12. Frons est animi ianua, tristitiae, hilaritatis, pudoris, impudentiae index: quare saepe accipitur pro animi affectu quo movemur. Cic. Prov. cons. 4: »libidines fronte et supercilio, non pudore et temperantia tegebant.« id. Fin. II, 24; »ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur.« — *urbanae*] qui in Urbe vivebant atque in circulis hominum versabantur, minus modesti ac timidi esse solebant, quam rustici; unde Cicero ad Fam. V, 12, 1: »deterruit pudor quidam paene *subrusticus*.« Inde etiam de molestis et impudentibus moribus scurrarum; cf. Plaut. Trin. I, 2, 162: »Nihil est profecto stultius neque stolidius .... Quam *urbani* assidui cives *quos scurras* vocant.« Epist. I, 15, 27. — *descendi*] Usurpatur h. v. de eo, quod infra dignitatem positum videmus quodque prope inviti suscipimus. Sic Liv. XXIII, 14. Cic. divin. in Caec. I, 1: »ad accusandum descendere.« Caes. B. G. VII, 33. — *gregis*] Est partitivus genitivus, ut Carm. III, 13, 13. Grex idem quod cohors comitum et amicorum. — *fortem*] cf. Sat. II, 1, 16. 5, 102.

Epistola X.

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli
Fraternis animis quidquid negat alter et alter,
Annuimus pariter vetuli notique columbi.
Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum effertis rumore secundo,

Epistola X.

Horatium, qui diutius iam ruri degisset, Aristius Fuscus (Carm. I, 22. Sat. I, 9, 61. I, 10, 83.) litteris ut in urbem rediret invitasse videtur, describens simul urbanae vitae delicias et gaudia. Cui ita respondet poeta, ut rusticationis commoda et amoenitates urbi longe praeferendas esse doceat suosque de vita vere beata verissimos sensus expromat. Satiato sibi artibus urbis et deliciis opus esse ait quodam sincero et valido cibo, eumque ruri reperiri, ubi et corpori et animo recte possit consuli. Naturam enim hominum non posse reprimi fictasque delicias et iucunditates tandem fastidire. In urbe privari hominem vera libertate, in qua summum cerni debeat bonum, quo homines vere fruantur. Quare se felicissime vivere in suo Sabino, ibi se liberum esse, ibi divitem, ibi regem. Cui felicitati si quid addi velit, dulcissimi amici se expetere praesentiam. De tempore huius epistolae cum certis indiciis destituamur, fluctuant viri docti inter annos 734—742.

V. 1. *salvere iubemus*] solita formula. Epist. I, 7, 66. Pluralis autem ponitur in huius modi enuntiatis ad evitandam iactantiam. — *multum*] vide ad Carm. I, 25, 5. — *gemelli*] Deminutiva forma blandior fit oratio et familiarior. — *annuimus*] Cic. de Orat. II, 70, 285: »Id quoque *toto capite annuit*.« Facit vocab. *vetuli*, ut eam h. l. videamus festivitatem quae inest in hoc loco Catull. 61 (59), 163 sqq.: »Quae tibi sine serviat, Usque dum *tremulum movens Cana tempus anilitas* Omnia omnibus *annuit*.« Masculina forma *columbi* necessaria videbatur in loco de duobus *viris* posito. Deinde ne ex antiquissimo cod. Bland. et Silv. apud Cruq. *pariter vetulis notisque columbis* scribendum putes, memento quam saepe comparationis particula ab Horatio omittatur. Ostendit autem haec varietas lectionis, vv. *vetuli notique columbi* non posse cum Bentleio, Hauptio, Linkero, Doederlinio cum insequenti versu coniungi, puncto post v. *pariter* posito. Iam cum annuere contrarium sit negando, comma ponendum post *alter* duximus, ut haec inde evadat sententia: quidquid negat alter, etiam alter negat. Cf. Sal. Cat. 29: »Idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia est.« — *vetuli*] »Adi. *vetulus* plerumque cum ludibrio et contemptione dicitur, nonnullis autem in locis ita, ut vetustatis pretium blanda appellatione indicetur.« Mueller de l. l. demin. p. 62. — *nidum*] sumptum ex imagine columborum. — *effertis*] Ne antiquissimi quidem codices inter se consentiunt; alii simplex praebent verbum, alii ut antiquissimus omnium Bland. compositum *effertis*; in quo cum pondere maior etiam elegantia inest. Cic. ad Fam. IX, 14, 1: »te summis laudibus ad coelum *extulerunt*.« Bentl., Haupt., Meinek., Krueger., Ritter., Linker. simplex verbum praetulerunt, Doederlin. mecum consentit. — *rumore secundo*] approbantibus plerisque. Sic poeta apud Ciceronem de Divin. I, 16: »Solvere imperat secundo rumore adversaque

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Utque sacerdotis fugitivus liba recuso:
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda est area primum;
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
Cum semel accepit Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

avi.« — *sacerdotis*] Ab iis qui sacra faciebant liba sacerdotibus relinquebantur; quae si plura essent, quam quibus sacerdotes ipsi possent uti, ne perirent, servis dabantur. Iam iocose fingitur servus sacerdotis alicuius olim taedio dulcium liborum, ut tandem pane vesceretur, aufugisse. — *naturae convenienter*] Cic. de Off. III, 3, 7. — *domo*] antiquior forma pro *domui*. In insequenti descriptione suam villam Horatius respexisse videtur. Caniculae ortus erat a. d. XIII. Kal. Aug.; de Leone vide ad Carm. III, 29, 19. Cf. Carm. I, 17, 17. — *momenta*] cf. ad Epist. I, 6, 4. — *lapillis*] de pavimentis tessellatis et vermiculatis ex marmore Numidico, de quo vide ad Carm. II, 18, 3. Solebant luxuriosi homines etiam pavimenta unguentis perfundere; inde *olet*. — *vicis*] Cic. Mil. 24, 64. cf. Sat. I, 9, 13. II, 3, 228. Epist. II, 1, 269. — *trepidat*] Carm. II, 3, 12.

V. 22. *Nempe*] Inest in hoc loco ironica quaedam argumentatio de praestantia ruris inde sumpta quod, qui urbes incolunt amoenitates ruris imitantur easque domos ipsi praeferunt quae magnum in agros habent prospectum. Versu 22 describitur viridarium in impluvio aedium cinctum peristylio ex columnis marmoreis vario colore maculatis exstructo. Plin. Epist. V, 6: »diaeta cingit areolam, quae quattuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat circumiectasque platanos et subiecta platanis leni adspergine fovet.« Senec. Controv. 5, 5: »Intra aedificia vestra undas et nemora comprehenditis.« — *expelles furca*] ex proverbio: cum ignominia exturbare aliquem. Ex Cruquii codd. unus Martin. habet *expellas*, quod recepit Krueger.; reliqui omnes *expelles*, quorum auctoritatem secutus sum cum Bentleio, Hauptio, Meinekio, Rittero, Linkero. Bentleius sic: »*Expellas* perinde erit ac *possis expellere; expelles* vero idem ac *vis, cupis, conaris* expellere. Cum autem natura minime expelli *possit*, frustra *conentur*; utra utri lectio praeferenda sit, iam tardus es, si non probe intelligis.« — *fastidia*] Schol. antiq.: »Natura sapientior, paucis contenta, vincet et damnabit fastidiosam luxuriam divitum pleraque male appetentium.« Sic ex Cruquii codd. duo, Martin. et Tons.; contra Bland. quattuor, Buslid., Silv. habent *vestigia*, quod

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus: fuge magna; licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumque recepit;
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus atque

Cruquius ipse recepit. — ***Non qui***] Incipit ab hoc versu altera epistolae pars, ita ut tota in duas aequales partes dividatur, casu magis, ut videtur, quam consilio. Ruri igitur fieri potest ut convenienter naturae vivamus, natura autem ubique suum ius postulat, quare rustica vita optima est. Quod ut recte intelligatur, necesse est verum a falso distinguatur, ne beatitudinem quaeramus, servitutem nanciscamur. — ***Sidonio***] *Σιδών, Σιδῶνος* et *Σιδόνος*, longa tamen *o* littera magis usitata in Graecis. Inde utrumque apud Latinos, Sidōnius et Sidŏnius, praeferebantque poetae utrum esset aptius ad metrum. Epod. 16, 59. Virg. Aen. IV, 545. XI, 74. — ***contendere***] cum dativo, i. e. comparare et comparando distinguere. — ***Aquinatem***] »Aquinates purpurae similes sunt Tyriis; multum ergo imperiti falluntur.« Acro. — ***plus nimio***] vide ad Carm. I, 33, 1. — ***quatient***] cf. Carm. III, 3, 4. — ***pones***] depones et carebis. cf. Sat. II, 3, 16. — ***reges***] Stoica haec est sententia, ac proprie accipiendi sunt reges, non magni ac potentes homines intelligendi. — ***praecurrere***] Sat. I, 7, 8. — ***Cervus equum***] Ex fabula Aesopia, qua olim Stesichorus Himerenses monuit ne se Phalaridis tyrannidi subiicerent. Paulo mutata fabula est apud Phaedrum IV, 4. — ***melior***] de fortitudine, ut Carm. I, 15, 28. III, 6, 16. Sat. II, 5, 19. — ***opes***] De plurali cf. Carm. III, 3, 28. Ep. II, 2, 136; singularis hoc sensu frequentior. — ***victor violens***] Epitheton *violens* tanquam molestum et supervacaneum exturbare conatus est Bentleius et substituere aut ***victo sonipes*** aut ***victor domito***. Non bene, quoniam hoc adiectivum ex natura victorum petitum egregie describit equum, qui cum magnus sibi videretur victor violentiamque animi et iactantiam prae se ferret, inscius in servitutem inciderat hominis. Hauptii coniecturam *ridens* pro *violens* probavit Meinekius, recepit cum Bentleii *victo* Linkerus. Doederlinius v. *violens* servavit.

V. 39. ***Sic qui***] Eadem ratione qui splendore magnarum rerum captus simplicitatem naturae spernit, ut fere fit ab hominibus magnarum urbium divitias et delicias laudantibus, dum paupertatem quavis ratione malisque artibus vincere studet, libertatem animi perdit magnumque sibi imponit dominum, quem nunquam ad maiora semper tendens poterit excutere. Is autem dominus ipsa est animi cupiditas externarumque rerum augendarum perpetua fames. — ***dominum***

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere quam satis est ac non cessare videbor.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.
Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto quod non simul esses, cetera laetus.

Epistola XI.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
Quid concinna Samos, quid Croesi regia, Sardis,

vehet] cf. Epod. 17, 74. Futurum tempus, optimorum codicum auctoritate munitum, non est posthabendum praesenti *vehit*. Quod qui praetulerunt eo iam tempore hominem, quo paupertatem veritus libertate careat, dominum vehere affirmarunt; recte quidem, sed futurum *vehet*, quocum coniungas velim *aeternum*, instans tempus non excludet. *Improbus* habet causam cur serviat; est enim immodicus, intemperatus. — *ut calceus olim*] Epictet. Enchirid. 39: »*Μέτρον κτήσεως τὸ σῶμα ἑκάστῳ ὡς ὁ ποῦς ὑποδήματος.*« Dio Chrysost. Or. 17. p. 472. R.: »*Καὶ ἐαθῆτα μὲν οὐδεὶς βούλεται μεῖζω τοῦ σώματος ἔχειν, ὡς δύσχρηστον ὄν· οὐσίαν δὲ τῷ παντὶ μείζω τῆς χρείας ἔχειν ἅπαντες ἐπιθυμοῦσιν, οὐκ εἰδότες, ὅτι τοῦτο ἐκείνου χαλεπώτερον.*« De *olim* adverbio vide ad Carm. II, 10, 17. — *nec me dimittes*] »Quo ego in te utor iure, eodem tu volo in me utaris; corrige me, ubi rectum modum egressum me videris.« Vides Horatium non prae se ferre vultum molesti reprehensoris. — *pecunia cuique*] Sapienti servit, stulto imperat pecunia; sed sapientem esse decet hominem et servire pecuniam. Recte igitur *aut servit*, non *haud servit*, quae est Waddelii et Doeringii coniectura. — *ducere funem*] Imago sumpta videtur vel de fune ductario in machinis tractoriis vel de remulco. — *dictabam*] Imperfectum ut in clausulis epistolarum *scribebam, dabam*. — *Vacunae*] »Vacuna apud Sabinos plurimum colitur; quidam Dianam, nonnulli et Cererem esse dixerunt, alii Venerem, alii Victoriam, deam vacationis, quod faciat vacare a curis. Sed Varro primo rerum divinarum Minervam dixit, quod ea maxime hi gaudent qui sapientiae vacant.« Comm. Cruq. Quae nominis notatio sive vera est sive falsa, illud certum videtur, non inconsultum positum a poeta esse nomen, sed ut locum indicet ad meditationem aptissimum a negotiisque molestis remotissimum. Invenire sibi visi sunt hunc locum in monte hodie *Gennaro* appellato, haud procul a vico *Rocca Giovane*, ubi parietinae sunt templi Victoriae ab imperatore Vespasiano restituti, quod Vacunae deae quondam fuisse suspicantur.

Epistola XI.

Ad Bullatium, amicum aliunde non notum, scribit Horatius de tranquillitate animi. Bullatius enim nescimus qua causa permotus Roma

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Smyrna quid et Colophon? maiora minorave fama
Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una,
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
Scis Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem
Oblitusque meorum obliviscendus et illis
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Adspersus volet in caupona vivere: nec qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat

et Italia relictis tranquillam vitam in longinquis regionibus quaesiverat. Hunc igitur ut tandem redeat adhortatur poeta, quoniam cum ex patria aliquo cedamus, non cedamus in perpetuum aut diutius quam quae ad cedendum nos permoverint, causae maneant, ac praeterea vera animi tranquillitas non ex loco petatur, sed ex ipso animo bene regendo certisque finibus coërcendo. Incertae sunt virorum doctorum de anno quo scripta epistola videatur suspiciones; alii qui motibus civilibus Bullatium ut exiret perductum opinantur ad annum 725 eam referunt, alii non maiore fide ad a. 733 descendunt.

V. 1. *notaque*] Nobilis et propter vina et propter poetas. — *concinna*] εὔρυθμος. Cicer. Pis. 10, 22: »concinnus heluo« (elegant). — *minorave*] Sic optimi codices, ut videtur, omnes; qui cum σολοικίζειν viderentur, posthabiti sunt faciliori scripturae *minorane*. Sed sublato post voc. *fama* interrogationis signo hunc tu constitue ordinem verborum: cunctane, sive maiora sunt fama sive minora, sordent cet. Vide ad Sat. I, 2, 63. Hanc meam scribendi et explicandi rationem a Baitero (Orell. ed. 3tia) receptam esse video. Etiam Ritterus et Paulyus codicum auctoritati obsecuti sunt. — *Attalicis*] Pergamo, Apollonia, Thyatira, aliis. — *Lebedum*] Distabat Lebedus 120 stad. a Colophone; scenicorum artificum conventus ibi erat et domicilium, et annua in Bacchi honorem certamina habebantur. Praeterea Strabo Myonnesios Lebedum migrasse dicit, a Lebediis benevole acceptos propter hominum ibi paucitatem. Hoc igitur oppidum ἐξ ἀπροσδοκήτου superioribus additur, ut transeatur leniter ad rem: »an tibi placet Lebedus, parvum et desertum oppidum, ubi si quae me necessitas ex societate hominum pelleret, contento possem vivere animo. Idem tu fortasse: sed huius modi refugia non sunt diutius occupanda quam ipsa necessitas fert, alioquin non supervacanea solum sunt sed etiam molesta. Parva incommoda homines non debent in desperationem agere aut in contrariam partem trahere.« Sic cohaerent inter se sententiae usque ad v. 20: neque potuit quidquam perversius excogitari nisi hoc, tribuendos esse vv. 7—20 Bullatio aut dividendos eos esse inter Bullatium et Horatium. Hauptius versus 7—10 ex persona Bullatii scriptos esse censuit; quem secuti sunt Meinek. Linker. Pauly. Doederlin. — *meorum*] amicorum. — *Neptunum*] neglectis hominum curis ac negotiis ibi mecum vivere possem magnitudinem naturae rerum contemplans et admirans, indeque animum alens. — *caupona*] incommoda ac sordida, ut nisi qui summa necessitate coactus esset, nemo diutius ibi vellet commorari. cf. Sat. I, 5, 4. Epist. I, 17, 8. — *incolumi*] integro ho-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ut fortunatam plene praestantia vitam:
Nec si te validus iactaverit Auster in alto,
Idcirco navim trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit quod
Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet ac vultum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu neu dulcia differ in annum,
Ut quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas: nam si ratio et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Coelum, non animum mutant qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia; navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

mini, non animi quadam inconstantia vel aegritudine laborauti. — *facit quod*] ita apta est, ut i. e. non magis apta est quam. Ovid. Heroid. 6, 128: »Medeae faciunt ad scelus omne manus;« id. ibid. 15, 8: »Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.« — *paenula*] vestis gausapina vel scortea, quo per itinera ad arcendum frigus utebantur. Contrarium est *campestre*, linteum subligaculum, quo iuvenes corpora exercentes pudenda operiebant, cetera nudi.

V. 22. *Tu quamcunque*] Omissi sunt hi duo versus in Cruquii codicibus; quod quomodo negligentia scribarum fieri potuerit h. l. manifestum est. Aberravit oculus a v. 22 ad v. 24, ut omissis duobus scriberet manus *Tu quocunque loco*, ut est in iisdem codicibus. — *grata manu*] cf. Epist. I, 4, 14. — *arbiter*] cf. Carm. I, 3, 15. — *mutant*] cf. Carm. II, 16, 19. — *Strenua inertia*] oxymoron, ut apud Senecam de brev. vit. 11. *desidiosa occupatio*, de tranquill. anim. 12 *inquieta inertia*. Nam homines qui semper magna moliuntur perpetuoque labore aguntur (*exercentur*), nihil tamen quod vere bonum sit aut magnum efficiunt, nihil omnino differunt ab aliis qui nihil minati sunt. — *Ulubris*] »Ulubrae locus in Italia, in quo nutritus est Caesar Augustus, cum sit desertissimus vicus.« Porphyr. Cum his coniunge Suetonium Octavian. 6. »Nutrimentorum eius ostenditur adhuc locus in avito suburbano iuxta *Velitras*.« Quare reliquias Ulubrarum nunc sibi reperire visi sunt in parietinis inter *Velletri* (Velitrae) et *Mole di Taberna* ad viam Appiam. Iuven. 10, 102: »vacuis Ulubris.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Epistola XII.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi. Tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte in medio positorum abstemius herbis
Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus fortunae rivus inauret,
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,

Epistola XII.

Iccius, de quo vide ad Carm. I, 29, sive vere cum Aelio Gallo infelicem illam in Arabiam expeditionem fecit sive mutato consilio Romae mansit, post a. 730 procurator praediorum Siculorum M. Agrippae factus Horatio amico olim litteris conquestus esse videtur de nimiis negotiis, de ingrata rationum ac tabularum cura, deque inopia sua, qua alienis laboribus ut totum se dederet coactus nihil prope otii servaret ad colenda ea studia, quibus maxime delectaretur: feliciores esse qui suis bonis beati suam quoque voluntatem suaque consilia sequi possent. De his rebus amicum consolatur Horatius eique Pompeium Grosphum (Carm. II, 16), quem officiis sibi conciliare studeat, commendat. Epistola scripta videtur a. 735.

V. 1. *fructibus*] Fruges proprie dicuntur frumentum et legumina; fructus totius generis est appellatio, inde reditus praediorum et possessionum significat. Liv. XLV, 40. XXI, 7. Dicit igitur Horatius, ex fructibus Agrippae tantum etiam Iccio redundare fructum, quantum usus postulet; plura autem quam quae sint necessaria ne Iovem quidem hominibus dare posse. cf. Epist. II, 2, 160 sqq. Haec ratio quibus minus placuerit, credant licet, Agrippam atque Iccium hoc inter se pactos esse, ut dominus certum redituum modum sibi sumeret, quae reliqua essent procurateri relinqueret. Nihil enim in hac re certum, nis Iccium in Sicilia habuisse, unde ho neste viveret. Horkelius ex conie ctura scribendum putavit pro Agrip pae: *Acrillae*, quod nomen est op piduli non longe a Syracusis sit Sed sensit ipse, oppidi nomini no bene accedere terrae (*Siculis*) no men; nam Horatium vel aequaliu vel posterorum inscitiae rerum geo graphicarum prospicere voluisse, eg vero non credam. — *est ut*] vid ad Carm. III, 1, 9. — *ventri*] c Solon. ap. Plut. Sol. 2: *τὸν Ἰσόν τ πλουτοῦσιν, ὅτῳ πολὺς ἀργυρός ἐστ Καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πε δία, Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ τ δέοντα πάρεστιν Γαστρί τε καὶ πλευ ραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν.* — *pe dibus*] podagra non laborantibus. — *in medio positorum*] Sat. I, 2, 108. I medio posita sunt omnia quae pa rata iacent ad usum. Quae cum h. contra herbas et urticam, vilia cib rum genera, collocentur, lautiore cibos significant, quibus Agrippa procuratori quotidie vesci licuit. A Iccium enim accommodata sententi est, etiamsi unum hunc non mag tangit quam mille alios. — *et urtic* de part. *et* vide ad Carm. I, 8, 19. — *ut te*] etiamsi, licet te. Epod. 1, 2 — *naturam mutare*] cf. Epod. 4, — *miramur*] In praecedentibus vers bus nihil inest dissimulationis; ve potius laudat Horatius amicum suum quod inter contagia lucri incolum manserit Democritumque ipsum ph losophicarum rerum studio super

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox:
Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures:
Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
Stellae sponte sua iussaene vagentur et errent,
Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
Quid velit et possit rerum concordia discors,
Empedocles an Stertinium deliret acumen?
Verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompeio Grospho et, si quid petet, ultro
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:

verit. Democritus autem »ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quaerens aliud nisi beatam vitam?« Cic. Fin. V, 29, 87. Democritus Abderites, Eleaticus philosophus. — *peregre est*] peregrinatur quasi animus a corpore segregatus totumque mundum pervolans ac perlustrans. cf. Carm. I, 28, 5 sq. — *scabiem*] coniunge cum *lucri*. Cic. de Leg. I, 17, 47: »Voluptas malorum mater omnium, cuius blanditiis corrupti quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et *scabie* carent, non cernimus satis.« — *adhuc*] etiam nunc, cum tamdiu sis versatus inter lucrum et negotia.

V. 18. *obscurum*] προλῆπτικῶς positum: quid caligine premat lunam, ut quae modo clara fuerit et splendida, iam obscura sit. Noli intelligere defectum lunae. — *concordia discors*] Oxymoron; nam mundi partes cum discordia distrahi videntur, summa tamen concordia continentur. Ovid. Met. I, 433. — *Stertinium*] Sat. II, 3, 33. Hunc facete pro Stoicis posuit. *Stertinium* pro *Stertinianum*, cf. Carm. IV, 12, 18. Empedocles Agrigentinus, Pythagorae discipulus, ex quattuor naturis divinis (elementis) omnia constare voluit, praeterea amicitia (φιλίᾳ) cuncta copulari et discordia (νεῖκος) dissolvi. De Zenone autem Stoicorum principe Cicero scribit de N. D. I, 14, 36: »Zeno naturalem legem divinam esse censet eamque vim obtinere, recta imperantem prohibentemque contraria;« et ibid. §. 39: »Chrysippus ait vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente: ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam; tum eius ipsius principatum qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem; tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum.« — *trucidas*] proprie de pecore. cf. Sal. Cat. 58, 21. Festive Iccium, hominem tenui victu contentum et lautarum rerum abstemium, describit ut Pythagorae et Empedoclis sectatorem, qui propter μετεμψύχωσιν quaecunque moventur et vivunt necari vetabant. Nam de parco Siculorum vivendi genere cum Niebuhrio, immortali viro, cogitare, quasi Siculi ut Graeci herbis et piscibus, Romani carnibus magis delectati sint, id quidem videntur vetare *Siculae dapes*. Carm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

Epistola XIII.

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet:
Ne studio nostri pecces odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,

III, 1, 18. — *deest*] Monosyllabum. Memorabile est, in antiquissimo cod. Blandin. scriptum fuisse sic: *de'st*. — *Cantaber*] vide ad Carm. II, 6; de Nerone vide ad Epist. 1, 3. Phraates s. Arsaces XV eodem anno 734 signa Romanis olim erepta Augusto per Tiberium sponte sua remisit. — *genibus minor*] supplex, nam »Phraates cuncta venerantium officia ad Augustum verterat.« Tacit. Ann. II, 1. Ceterum *Caesaris* genitivus coniungendus est et cum *ius imperiumque* et cum *genibus*. — *Copia*] Carm. Saec. 60.

Epistola III.

Horatius quamquam, ne libertatem suam minueret aut perderet, ad Augusti aulam et favorem propius accedere ausus non erat, tamen Carminum tres libros simul editos, quibus etiam Augusti merita laus praedicaretur, imperatori mittere non potuit dubitare. Quod ut recte faceret in suoque de hac re pronuntiato olim consilio (Sat. II, 1, 18 sqq.) constantem sese praeberet, hanc addidit epistolam ad nuntium, per quem ex Sabino in urbem volumina missurus erat; quamquam ad eum hominem nunquam missa est epistola, sed Augusti gratia scripta »cui, inquit Iacobsius, poeta verecundiam suam vix poterat commendare urbanius. Paratam eadem habebat excusationem, si forte poemata sua Augusto ab amicis nimis officiosis male essent tradita aut minus apte commendata.« Consilium quod sequitur poeta elucet ex vv. 4. 5. 16. 17, tectum illud quidem et velatum innocenti et iocoso quodam ludibrio nominis, quo usus erat pater eius hominis, quem cum libris ad Augustum mittebat. C. enim Vinius Fronto patrem habuit cognomine Asinam; ipse non servus Horatii sed liber homo ex vicinitate Sabinae villae; quo ad negotia facienda epistolasque ferendas fortasse saepius usus erat Horatius. In illo autem ioco nihil inest protervi aut inhonesti, praesertim antiquis hominibus. Scripta videtur epistola a. 730 vel 731, quo anno coniunctos tres carminum libros Horatius edidit.

V. 1. *saepe diuque*] Si operae pretium est quaerere, quomodo poeta epistolam ad Vinium iam profectum mittere potuerit, cogita sis Vinium vespertino tempore volumina accepisse, dein domum ivisse dormitum, ut altero die mane Romam pergeret. Iam habes tempus quo haec scribere Horatius potuit. Sed praestat eiusmodi quaestiones non movere in poetis. — *sedulus*] ne nimia sedulitate et vehementia studii noceas, mihi carminibusque indignationem Augusti moveas. Coniunge *sedulus opera vehemente minister*. — *sarcina*] iam paratur de nomine Asinae iocus et ludus, qui diserte proponitur vv. 8. 9. Potest autem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Abiicito potius quam quo perferre iuberis
Clitellas ferus impingas Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis;
Ne vulgo narres, te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos auresque morari
Caesaris; oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.

Vinius duplici ratione peccare, et nimia sedulitate (Epist. II, 1, 260) et importuno deponendi oneris studio. Vinius enim, ad sua negotia facienda Romam profectus, tantum officii causa Horatii carmina secum portat. — *clitellas impingas*] ut »iniquae mentis asellus, cum gravius dorso subiit onus« (Sat. I, 9, 20). — *abiicito*] non in itinere, quasi poeta nullum scriptis suis pretium statuat; sed iubet eum remittere onus, si in itinere molestum id sibi fore sentiat. — *fabula*] cf. Epod. 11, 8. — *sic ne*] A. P. 152. Decore dextera libellos tenendos esse praecipit. — *Pyrrhia*] »Nomen est ancillae in quadam fabula Titinii, quae furata lanae glomos ita gestavit ut deprehensa sit.« Comm. Cruq. Ceterum Lachmann. ad Lucret. p. 408: »*Pyrrhia* neque Graecae neque Romanae feminae nomen est nec potest dubitari, quin illud a librariis ita corruptum sit.« *Proclia* coni. Ribbeck ad Com. Lat. reliq. p. 123, ut Titinii, comoediarum togatarum scriptoris, *Procilia* significetur; similiter reperta est forma *Ofincius* pro *Ofinicius*, *Patulcius* pro *Patulicius*; cf. etiam *Hercle*, *Asclum* pro *Asculum*, similia. — *glomus*] Alii ex bonis codd. *glomos*, quae tamen forma auctoritate destituitur satis firma. Praeterea Bentleius: »satis profecto, inquit, erit Pyrrhiae, si *unum* furtivae lanae glomus sub ala recondat.« — *furtivae*] furto ablatae, ut Epist. I, 3, 20. Liv. XLV, 39: »An noctu, tanquam furtiva, in aerarium deportabuntur.« — *tribulis*] infimae sortis homo. cf. Mart. IX, 58, 8: »Nil est tritius Hedyli lacernis, Non ansae veterum Corinthiorum, . . . Non pallens toga mortui *tribulis*.« Is igitur a locuplete homine ad coenam vocatus calceis vel peronibus indutus venit et, cum servum non habeat, soleas quibus triclinium intret, et pileum quo nocte revertens a tempestate et frigore defendatur, ipse sub ala portat. cf. Sat. II, 8, 77. — *ne narres*] Recte per asyndeton; alii vel *nec* vel *neu*. Sic per totam epistolam singula praecepta separantur. — *sudavisse ferendo*] i. e. afferre. Nihil in hoc loco inest ingratae rusticitatis, ut visum est nonnullis. — *oratus*] ab hominibus obviam venientibus et, quid afferas, quo tendas, rogantibus. — *nitere porro*] Recte Orellius: »Sic ut coniungamus et tenor versiculi requirit et magis etiam, quod v. *nitere* non addito adverbio sensu caret. Nam quod in editt. Bentleianis nulla adnotatione subiuncta interpungitur; *oratus multa prece, nitere. porro Vade* cet. caeco casu factum videtur.« Bentleium tamen secuti sunt Haupt., Meinek., Linker. — *titubes*] Extrema et generalis admonitio, ne

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Epistola XIV.

Vilice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis habitatum quinque focis et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
Certemus, spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro et melior sit Horatius an res.
Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
Fratrem moerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter, tamen istuc mens animusque
Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique

quid in commissa re delinquat. Plaut. Mil. III, 3, 70: »Accurate et commode hoc quod agendum est exsequamur, Ne quid, ubi miles venerit, titubetur.« — *cave*] de correpta ultima syllaba ex usu vitae quotidiano vide ad Sat. II, 3, 38. — *frangas*] male exsequaris; ut dicimus *fidem*, *leges*, *foedus frangere*. Nulla in hoc loco inesse videtur descriptio asini titubantis, procumbentis resque impositas frangentis.

Epistola XIV.

Haec epistola vilici nomine simulato amicorum causa ab Horatio scripta est. Is enim cum ad consolandum L. Aelium Lamiam (Carm. I, 26. III, 17) de morte Quinti fratris diutius iam in urbe esset commoratus, magno tranquillitatis desiderio in villam suam tractus, ab amicis tamen videtur esse retentus, nescientibus neque intelligentibus quid poetam tam vehementer ex urbe in rusticam solitudinem vocaret. Quos ut de animi sui condicione doceret, hanc ad vilicum urbis desiderio agitatum epistolam finxit. Romae autem scriptam esse docent vv. 8. 22. 37; quo anno, nos latet. Kirchnero videtur scripta esse a. 732, sed res prorsus incerta est.

V. 2. *habitatum*] Recte iam scholiastae: »quem quinque aliquando possederunt senatores.« Nam fuit praedium Horatianum composit ex agris, qui, antequam perpe bellis civilibus frequentibusque ag rum distributionibus agri pr omnes dominos suos amiserunt, q que Sabinis agricolis fuerant iis non civibus solum Varianis sed curionibus. Hos enim Horatius *tres* appellare videtur, non pa familias; qui praedii magnitudi non satis illustrarent. Horatio villa erant octo servi (Sat. II, 7, 1 praeterea procaces vernae (Sat. 6, 66); vilico cura habenda est varum, agrorum, hortorum: igitur Horatius agrum coluit, ne pro certa mercede colonis par riis colendum tradiderat. Et s amplum fuit praedium; nam servi (cum quattuor bubus) duc torum iugerum agro subigendo ficiebant teste Columella II, 13. *spinas animone*] curas ac pertu tiones, quas rusticando ex an sese pellere ait Horatius. Epist. 2, 212. — *Lamiae pietas*] in trem mortuum; *cura* ad ipsum miam pertinet, qui quid post tant casum facturus sit, nescire vide — *moerentis*] Cic. ad Att. XII, »Moerorem minui, dolorem non tui nec si possem vellem.« — *iis*] Sumpta est metaphora ex l Circensibus; nam *spatia* saepe cum significant ad currendum deambulandum patentem. — *c*

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
Nunc urbem et ludos et balnea vilicus optas;
Me constare mihi scis et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam quae deserta et inhospita tesqua
Credis, amoena vocat mecum qui sentit, et odit
Quae tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video, et quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva,
Nec vicina subest vinum praebere taberna
Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges
Iampridem non tacta ligonibus arva bovemque
Disiunctum curas et strictis frondibus exples;
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,

stra] carceres. — *effugit*] cf. Carm. II, 16, 19. — *mediastinus*] servus infimi ordinis, ad omnia negotia paratus, etiam viliora. Qui tunc vilicus praerat rusticae familiae, is olim, cum Horatius iuvenis esset (v. 32—34), magnam suam fidem probaverat in ejusque rei gratiam eo munere auctus erat. — *tesqua*] »loca aditu difficilia et inculta lingua Sabinorum sic nominantur.« Comm. Cruq. Scripserunt alii ex nonnullis, non omnibus, codd. *tesca*. Sic variant etiam Sat. II, 5, 36 inter *cassa* et *quassa*, infra 37 inter *obliquo* et *oblico*, alias simili modo, ita tamen incerto, ut Cruquius ad Sat. l. l. affirmet, etiam *quarere* pro *carere* se in vetustis codd. invenisse. — *uncta*] cf. Sat. II, 4, 62. — *uva*] Ex h. l. non licet concludere, in Sabino Horatii vites et vinum omnino non fuisse, id quod Carm. I, 20 aperte refutatur, sed tam vile fuit quod ibi nascebatur vinum, ut vilicus id eo nomine indignum haberet. Ablat. *uva* pro *quam uvam*, ut Sat. I, 1, 97.

V. 26. *et tamen*] Ponere solebat vilicus incommoda sua et magnos labores, quibus opprimeretur in villa, contra illas delicias quibus olim in urbe fructus esset, tunc carere deberet. — *pigro*] cum nihil est quod praeterea agere debeat, ita ut per solitos labores quieti sese possit dare. — *rivus*] vide supra p. 9. — *docendus*] cf. A. P. 68. — *Cinarae*] vide ad Carm. IV, 13, 21. Cinara Horatium vere amavit, non ut antea alios munerum gratia; poeta igitur

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Coena brevis iuvat et prope rivum somnus in herb
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro morsuque venenat;
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis,
Horum tu in numerum voto ruis; invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat ephippia bos piger optat arare caballus;
Quam scit uterque libens, censebo, exerceat arter

Epistola XV.

Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Vala, Saler
Quorum hominum regio et qualis via, — nam mihi Ba

immunis placuit mulieri in alios rapaci. — *incidere*] abrumpere, cum tempus est. — *media de luce*] Sat. II, 8, 3. — *morsuque*] cf. Carm. IV, 3, 16. De *obliquo oculo* cf. Virg. Aen. XI, 337. Lachmann. ad Lucret. p. 143: »Horatio ludere licuit, quasi *limi* oculi a lima ducerentur, quemadmodum et Plautus ludit cum *dolum dolari* dicit.« — *rident*] non ob imperitiam poetae, sed quod elegantiorem hominem his laboribus exerceri vident et mirantur. — *calo*] Universe significat vilem servum ex familia urbana, qui cum bene perspiciat, quanto melius sit vilico ruri viventi, (*argutus*), huic multa commoda invidet, largum usum lignorum, pecoris, olerum (horti). — *rodere*] de moribus sumptum est et exilitatem ciborum, quos dispensatores servis per singulos dies (*diaria*) metiebantur, significat. — *bos piger*] uterque piger est, et bos et equus, laudatque alterius sortem, cum incommoda eius non sentiat. Itaque cum bove illud epitheton coniunxit Horatius vicinitate loci, cum equo et necessitate sententiae et vinculo caesurae, quae tertium pedem dividit. Abstinendum igitur est ab interductu, quem alii post v. *bos*, alii post v. *piger* adhibuerunt. — *censebo exceat*] cf. Cic. Lael. 5, 17. Catil. 6, 13. Et Cic. Tusc. 1, 17. Aristo Vesp. 1431: »Ἔρδοι τις ἣν ἔχα εἰδείη τέχνην.«

Epistola XV.

Anno 731 Antonius Musa m cus Augustum vehementi arthri dolore frigida aqua, quam ei ad bendum et ad lavandum praes pserat, summo populi gaudio li raverat suaque arte, ut vide alias sanandorum morborum ra nes obscuraverat. Iam Hora quoque, qui hac aetate infirma sa valetudine laborabat in Baiana balnea ire solebat, Musam co luit accepitque praeceptum, ut c dis balneis Baianis relictis frig peteret. Cui ut obsequeretur liam vel Salernum ire constit Quare scripsit ad amicum quen Numonium Valam, qui ibi fun habuisse videtur, de coelo eius gionis, de annona et aqua, de versa vivendi ratione, ut ipse aliquamdiu corpori consulere ve et cutem curare, alterutram aptiorem posset eligere. Insig haec epistola est grata in con gendis sententiis negligentia ac

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
Mutandus locus est et deversoria nota
Praeteragendus equus. Quo tendis? Non mihi Cumas
Est iter aut Baias: laeva stomachosus habena
Dicet eques; sed equi frenato est auris in ore; —

pida rerum suarum ac voluntatum descriptione. Quo anno sit scripta nos latet; neque magis certum est Valam eundem fuisse, quem Velleius Paterc. II, 119 legatum Quintilii Vari et suarum copiarum desertorem describit. Explicavit nuper Letronnius tres inscriptiones *Philis* repertas, quarum tertia habet nomina L. Trebonius Oricula et *C. Numonius Vala*; qui ad templum venisse dicuntur IMP. CAESARE XIII. COS. A. D. VIII. K. APRILES. Facilis est suspicio, hunc eundem esse Numonium, ad quem Horatius hanc dedit epistolam; quamquam dissentit Duentzerus. Epistolam alii referunt ad a. 731 vel 732, Duentzerus ad a. 734.

V. 2. *qualis via*] Omnia coniungantur oportet cum v. 25, exceptis illis quasi deviis partibus epistolae, quas inter mediam orationem intermiscere placuit vv. 3—13, 16 (*nam vina*) 21. — *supervacuas*] sc. facit, i. e. nihil eas mihi profuturas dicit. — *illis*] Baianis. — *invisum*] iocatur poeta per hyperbolam: »Hospites, inquit, Baiani mihi irascuntur, quod eorum balneis iam non utar; non mihi, sed medico deberent irasci; mihi iam satis durum est, per mediam hiemem gelidis balneis uti.« — *murteta*] Celsus III, 21, 35: »Maxime utiles naturales et siccae sudationes sunt, quales super Baias in myrtetis habemus.« Plin. H. N. XXXI, 2: »Nusquam tamen largius quam in Baiano sinu (emicant aquae) nec pluribus auxiliandi generibus, aliae sulphuris, aliae aluminis, aliae salis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnullae etiam acida salsave mixtura.« — *morbum*] maxime arthritidem. *Cessans* (*χρονίζων*) morbus ponitur contra *acutum*. — *Gabiosque*] Strab. V, 3: »Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ὄρει ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλους νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά.« Qui capite vel stomachi resolutione laborabant, aqua frigida perfundebantur atque in eadem natabant vel easdem corporis partes largis canalibus subiiciebant (Douche-Bäder). Vide ad Epist. I, 16, 14. — *deversoria nota*] Suspensa haec sunt a v. *praeteragendus*, et *nota* sunt deversoria *equo*, qui, ut solent, etiam nolente equite recta via relicta nota stabula intrare cupiebat. — *laeva habena*] Finge tibi Horatium Roma venientem et viam magnam meridiem versus sequentem: iam cum eo pervenisset, ubi via ex Appia Baias versus deflexit, equus solitam viam dextrorsum ad Baias vel Cumas secuturus est: quod ne faciat increpandus est (*quo tendis*?) et laeva habena regendus, ut rectam viam in inferiorem Italiam sequatur. Ceterum *deversoria* scripsi cum cod. Bland. antiquiss., alii cum aliis MSS. *diversoria*. — *sed equi*] Adduntur haec ad excusandam elocutionem *habena dicere*: scilicet equis cum auris sit in frenato ore, imperandum non est voce sed habena. Verum generalis sententia non est, quare noli ex codd. scribere *equis*. Horkelius ingeniose ex coniectura *ut equis* i. e. ut equorum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Maior utrum populum frumenti copia pascat,
Collectosne bibant imbres puteosne perennes
Iugis aquae, — nam vina nihil moror illius orae.
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae; —
Tractus uter plures lepores, uter educet apros,
Utra magis pisces et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
Scribere te nobis, tibi nos accredere par est.
Maenius ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dignoscerot hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat ventri donabat avaro.

ea natura est, ut aurem in frenato ore habere videantur. Quem secutus essem, nisi maior pars optimorum codd. genitivum *equi* videretur tueri nec particula *sed* explicationem inveniret in excusandis verbis *laeva stomachosus habena*. — *utrum populum*] Veliensem an Salernitanum. — *iugis aquae*] Sat. II, 6, 2. Fluctuant etiam antiqui codd. inter *iugis* et *dulcis*; maior pars prius praebent, antiquissimus tamen Bland. et alius Cruquii posterius. cf. Cic. N. D. II, 9: »ex puteis iugibus aquam calidam trahi.« id. de Divin. I, 50: »haustam aquam de iugi puteo.« ibid. II, 13: »aquae iugis colore.« — *vina*] non valde generosa; quare aliis usurus est Horatius. — *Lucanae*] nam Velia in Lucania sita erat.

V. 24. *Phaeaxque*] Epist. I, 2, 28. — *Maenius*] Sat. I, 1, 101. 3, 21. Se quoque dicit lautam ac delicatam vitam amare, quasi alterum esse Maenium, qui parvis esset contentus cum res deficerent, contra cum multa haberet, multa etiam ventri daret. cf. v. 42 sqq. — *urbanus*] scurra, dicax. Vide ad Epist. I, 9, 11. — *hoste*] Cicero de Off. I, 12: »Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Quamquam id nomen durius iam effecit vetustas; a peregrino enim recessit et proprie in eo qui arma contra ferret remansit.« Et cf. Plaut. Trin. I, 2, 65: »Te dicunt Hostisne an civis comedis parvi pendere.« — *pernicies*] cf. Plaut. Capt. IV, 3, 3: »Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!« Terent. Eun. I, 1, 34: »(Thais) fundi nostri calamitas.« — *macelli*] Sat. II, 3, 229. — *donabat*] De verbo cf. Carm. IV, 7, 20. De tempore verbi fateor, mihi prope melius placere id quod in antiquissimis quibuscunque codd. (quattuor Bland., optimis Bentleii, Montepessul., Petropolit. et Einsiedl. Orellii, uno Pulmanni) reperitur, *donarat*, et propter ingentem auctoritatem librorum et quia sic oppositio quae-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas coenabat omasi
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, cum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum: nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

Epistola XVI.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum an bacis opulentet olivae,

dam paratur inter hanc sententiam atque eam quae subinde sequitur. Attamen in re dubia vulgatam nolui relinquere. Bentleii coniecturam *donarat* probarunt Haupt. Meinek. Linker.; Doederlinius contra recepit v. *donarat*, sed puncto posito post v. *saevus* et semicolo post v. *avaro*; praeterea mutavit v. 33 *hic* in *hinc*, ut sit: postquam omnia ventri donavit. — *omasi*] Sat. II, 5, 40. Vilissimo cibo contentus erat, cum nihil aut paulum abstulisset ab iis quibus nequitia placeret aut ab iis qui eam timerent. Nam genitivum *nequitiae* coniunge etiam cum *timidis*, ut A. P. 28. Ovid. Met. V, 100. — *lamna*] Cic. Verr. V, 63: »Ignes candentesque laminae ceterique cruciatus.« — *corrector Bestius*] In codd. inest *correctus*; quod cum ferendam sententiam non praeberet, a Lambino mutatum est in *corrector*; quae coniectura postea comprobata est antiquissimo codice. *Bestius* fuisse dicitur parcissimus homo, qui delicatos luxuriososque homines solebat castigare. Pers. 6, 35: »sed Bestius urget Doctores Graios.« De correctore cf. Cic. Phil. II, 17: »Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore ac correctore nostro quaedam dicenda sunt.« Qui lectionem *correctus* tuentur, explicant: *corrigendo factus* alter Bestius. — *turdo*] cf. Sat. II, 5, 10. — *vulva*] suilla. — *unctius*] cf. Epist. I, 14, 21. I, 17, 12. Martial. V, 44, 7: »unctior coena.« — *fundata*] Cic. pro C. Rab. Post. 1: »fortunas fundatas atque optime constitutas.« Idem quod alias est *collocare*, ut Cic. pro leg. Man. 7, 18.

Epistola XVI.

Quintius, sive fuit Hirpinus ille ad quem est Carm. II, 11, sive T. Quintius Crispinus, consul a. u. c. 745, amicus fuit Horatii natu minor, qui favore populi, quem recta opinor ratione sibi paraverat et honoribus sibi mandatis fortasse expertus erat, non iniuria laetabatur omnibus-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pomisne an pratis an amicta vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
Continui montes, ni dissocientur opaca
Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
Laevum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.

que Romae beatus videbatur. Hunc igitur Horatius opposita sua condicione parvaque felicitate abhortatur, ne aliorum aestimationibus de se suisque rebus maiorem fidem habeat quam suo ipsius recto iudicio; nam vitae honestatem non cerni in externis rebus sed in amore virtutis, in iustitia, in continentia animi. Incipit poeta ab aliqua Sabini sui descriptione, quam tamen ita comparatam esse vides, ut non tam multiplex ex agris, hortis, pratis, vineis reditus praedicetur quam salubritas et solitudo locorum; quibus rebus et corpori et animo optime consulatur. Ceterum egregie Orellius: »Vix satis nostris hominibus hoc inculcari potest, Horatium admodum sibi placuisse in facete imitandis Stoicorum *παραδόξοις* et tota docendi ratione, perquam feliciter devitatis solitis *ἐπιδείξεων* illarum vitiis, id est, exaggerationibus et genere dicendi modo nimis aspero et spinoso modo vitam umbraticam ac scholas nimis redolente.« — Temporis vestigia non reperiuntur: nisi quod Augusti nomen v. 29 post annum 727 scriptam epistolam ostendit.

V. 1. *Quinti*] Notandum, in antiquissimo cod. Bland. scriptum fuisse *Quincti*, ut in nummis sub Augusto signatis. — *bacis*] Sic, non *baccis*, in omnibus, uno excepto, codd. Cruquii aliisque antiquis Orellii. — *opulentet*] rarissimum vocabulum, quod non ante Horatium reperitur. — *an pratis*] Sic rectius quam quod in multis est codd. *et pratis*. — *curru*] cf. Carm. III, 6, 44. C. S. 9. Quod in antiquiss. cod. Bland. est *cursu*, nihil est nisi error scribae. — *opaca valle*] cf. Carm. I, 17, 17. — — *vaporet*] tepefaciat. Lucretius II, 188 sqq.: »At *vapor* is, quem sol mittit, lumenque serenum Non per inane meat vacuum; quo tardius ire Cogitur, aërias quod sic diverberat undas: Nec singillatim corpuscula quaeque *vaporis*, Sed complexa meant inter se cunque globata.« Colum. II, 15, 6: »Glebae solibus aestivis vaporatae.« — *Quid, si*] cf. Carm. I, 24, 13. Postea v. 10 cum etiam boni codd. habeant *iuvat*, Bentleius ex coniectura scripsit *ferunt*; nam »indicativus, inquit, in hac phrasi est oratio affirmantis, subiunctivus optantis tantum vel metuentis.« Uberius de hac re scripsi in Quaestion. Horat. p. 48 sqq. Blandinii codd. habent *ni quercus*, alii *et quercus*. — *benigni*] Sic bene antiqui codices, alii male *benigne*. Ovid. Am. I, 10, 56: »Praebeat Alcinoi poma benignus ager.« Duo antiqui codd. apud Bentleium habent *benignae*, quod per se falsum non est, nam *vepres* utriusque generis sunt; sed masculinum h. l. praeferendum est ob plurium librorum consensum. — *corna et pruna*] Kornellen und Schleben, pruna silvestria: quae tamen non praedicantur facetia quadam ratione ut egregii fructus, sed ad describendam regionis amoenitatem. — *pecus*] porcos. — *Dicas*] haec apodosin quasi efficiunt praecedentis sententiae. Ceterum vide supra p. 9 sq.; et de fonte ad Carm. III, 13. Tam largam aquarum copiam habet fons, ut ipse unus rivum efficiat ex suo nomine nominatum; saepe plures conveniunt fontes unum-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum;
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,
Neve putes alium sapiente bonoque beatum,
Neu si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat et his verbis vacuas permulceat aures:
Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et Urbi
Iuppiter; Augusti laudes agnoscere possis:
Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? Nempe

que efficiunt rivum. — *Tarentum*] in amoenissima regione situm; cf. Carm. II, 6, 11. — *capiti utilis*] vid. ad Epist. I, 15, 8. Celsus I, 4: »Capiti nihil aeque prodest atque aqua frigida; itaque is, cui hoc *infirmum* est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subiicere.« Idem de sanando stomacho Celsus praecipit 4, 5. — *etiam, si credis*] Sic vulgo et recte scribitur. Bentleius ex coniectura: *et, iam si credis*, quem secuti sunt Haupt. Meinek. Krueger. Linker. Pauly. Doederlinius tamen recte vidit, hoc esse discriminis vel, si mavis, gradationis inter dulcem aliquam regionem et amoenam, ut, si qua dulcis appelletur regio, indicetur placere eam domino; si amoena, naturam ipsam describi, laudari, omniumque laude dignam praedicari. Ritterus quoque cum Orellio in vulgata acquievit. — *Septembribus*] Sat. II, 6, 19. — *esse quod audis*] Cic. de Off. II, 12. — *sapiente*] Ex natura ablativi Latini eodem iure, quamquam raro, *alius* similia cum illo casu coniunxerunt, quo Graeci ἄλλος cum genitivo. cf. Epist. II, 1, 240. Sat. II, 3, 208. Brut. apud Ciceronem Fam. XI, 2: »Nec quidquam aliud libertate communi quaesisse.« — *recteque valentem*] vide ad Epist. I, 7, 3. — *edendi*] Aegrotus, ne lauta coena careat, occultat febrem. — *unctis*] Ovid. A. A. III, 755: »Carpe cibos digitis; est quidam gestus edendi: Ora nec immunda tota perunge manu.« — *stultorum*] Stulti sunt qui falso pudore moti ulcera celare malunt quam sanare. Deinde additur argumentatio a minori ad maius. — *bella tibi*] h. e. a te; cave tamen colligas ex hoc loco, Quintium magnas res terra marique splendide gessisse. — *vacuas*] cf. Epist. I, 18, 70. II, 2, 105. — *Tene magis*] »Hi versus (*Tene magis . . . Iuppiter*) sunt Varii in Panegyrico

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est, inquit. Pono tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum;
Mordear opprobriis falsis mutemque colores?
Falsus honor iuvat et mendax infamia terret
Quem nisi mendosum et medicandum? Vir bonus est quis
Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat,
Quo multae magnaeque secantur iudice lites,
Quo res sponsore et quo causae teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci nec fugi, si mihi dicat
Servus, Habes pretium, loris non ureris, aio.

Augusti.« Acro. — *respondesne*] gratias acturus. cf. Cic. Phil. I, 12 med.: »Mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri agebant, et *tuo nomine* gratulabantur.« Caes. B. G. I, 18. Cic. Mur. 38. — *Nempe vir bonus*] »Scio equidem bene omnes homines bonos et probos videri velle; sed cautio adhibenda est maxima, ne cum laudem a populo libenter accipiamus, postea ab eodem acceptam cogamur relinquere. Recte cogitat is qui vulgi iudicia spernit et bona et mala, nam *falsus honor iuvat* cet.« Versus 39 generalem sententiam habet superiora exempla excipientem et comprehendentem. — *pone*] cf. Carm. III, 2, 19. — *mutemque colores*] ut pallor rubori et rubor pallori succedat.

V. 40. *medicandum*] Plurima antiquorum codicum pars hanc lectionem tutatur, alii *mendacem* ex corruptione ortum praebent. *Medicandus* opponitur homini sano ac prudenti, i. e. sapienti; nam *mendosus* insanus est, sanandus ille quidem sapientiae praeceptis. — *vir bonus est quis?*] sc. ex iudicio vulgi. — *consulta patrum*] cfr. Cic. Top. 5: »ius civile in legibus, *senatus consultis*, rebus iudicatis consistit. Senatus enim consulta iam tum leg civili adnumerari coepta sunt. — *secantur*] cf. Epist. I, 7, 59. — *spo sore*] cf. Sat. II, 6, 23. Haec unic vera lectio probatur antiquissim Bland., aliisque bonis codd.; quo in aliis est *quo responsore*, id inte pretati sunt *iureconsulto*, contra l timitatem, ut observavit iam Cr quius. Inter recentissimos editore unus Ritterus revocavit falsam scr pturam, quae quam facile potuer oriri, in promptu est. — *tenentu* Contrarium est *causa cadere*. Ci pro Caec. 24, 67: »Scaevolam dix sti *causam* apud centumviros no *tenuisse*.« Sueton. Domit. 9: »Pe mittit accusatori, qui *causam* no *teneret*, exilium poena esset.«. C Cic. de Off. II, 23, 81. Intelligend igitur est *testis*, qui coram iudic satis locuples est et fidus. Nam Di XXII, 5, 3: »Testium fides diligen ter examinanda est.« — *introrsu turpem*] Sat. II, 1, 65. Cic. de Fi II, 24, 77: »ut vestitum sic senten tiam habeas aliam domesticam alia forensem, ut in fronte ostentati sit, intus veritas occultetur.« — *ureris*] Epod. 4, 3. — *cruce*] cf. Sat. I

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόρους

Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi. Renuit negitatque Sabellus:
Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque
Suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine poenae:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis;
Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
Iane pater, clare, clare cum dixit: Apollo,
Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,

7, 47. I, 3, 82. — *Sabellus*] Sabelli duriores erant et simpliciores. Vide ad Carm. III, 6, 38. Non bene ab aliis, etiam a Doederlinio, intelligitur ipse Horatius, diutius eo tempore in Sabina sua villa commorans. Bene Lachmannus ad Lucret. p. 206: »In Lucilii versu, qui est apud Priscianum p. 902 Apuli sunt pro importunis ac petulantibus, ut Horatio pro simplici *Sabellus*, cum dicit *renuit negitatque Sabellus*.« — *negitatque*] Sic antiquissimus Bland., alii non bene *negat atque*. — *cautus*] qui animo turpes sunt, specie honesti, ii cauti abstinent a mala re timore poenae; qui vere boni sunt, abstinent a turpitudine virtutis amore ducti. — *miluus*] trisyllabum, ut Epod. 16, 32. Sic omnes Blandinii codd., alii *milvius*. — *in nihil*] Est unus ex iis qui turpes sunt, boni videntur. — *sacra profanis*] cf. A. P. 397. Carm. III, 3, 51 sq. — *non facinus*] Nam omnia peccata sunt aequalia. Quam Stoicorum doctrinam cum deridet Sat. I, 3, 96 sqq., non tam veritatem eius spectavit quam severum in hominum rebus fatisque usum. Siquidem verum est, non magis parvo spatio egredi licere honestatis fines quam magno, tamen eadem poena non sunt coërcendi omnes qui sunt egressi. — *Iane pater*] Sat. II, 6, 20. Ad sententiam compara Senec. Epist. 10, 5: »quanta dementia est hominum! Turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent et, quod scire hominem nolunt, deo narrant.« — *Laverna*] »Laverna in via Salaria lucum habet; est autem dea furum, et simulacrum eius fures colunt et qui consilia sua volunt tacita; nam preces eius cum silentio exercentur.« Comm. Cruq. — *iusto sanctoque*] attractionis genus, ut Sat. I, 1, 19. I, 4, 39. Ovid. Met. VIII, 690. Repertus autem dativus est non solum in duobus codd. Pottierii, ut possit aliquis ex Orellii nota concludere, sed etiam in antiquissimo omnium Blandinio; et Montepessul. habet *iustos* suprascr. *u*, ut sit *iustus*, et distincte *sanctoque*, sed suprascriptum *us*, ut sit *sanctus*; praeterea duo Canteri, totidem Pulmanni cum aliquot Torrentianis. Reliqui omnes *iustum sanctumque*. — *assem*] Pers. 5, 111: »In-

Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; por
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli;
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque,
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonae prosit, portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, qui me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, re
Lectos, argentum? Tollas licet. In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse deus, simul atque volam, me solvet. Opinor
Hoc sentit: Moriar; mors ultima linea rerum est.

Epistola XVII.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis
Quo tandem pacto deceat maioribus uti,

que luto fixum possis transscendere nummum.« Petron. 43: »Ab asse crevit et paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere.« — *metuet*] cf. Epist. I, 2, 51. I, 6, 10. II, 2, 156. — *captivum*] Is qui arma perdidit, locum virtutis deseruit, inermis capitur cupiditatibus. Iam comparat poeta cum misera captivorum condicione avarorum hominum non meliorem servitutem; contra quam deinde hominis vere sapientis ac boni nullis limitibus cinctam libertatem clarissimis luminibus illustrat. De verbis compara Institut. lib. I. Tit. III. §. 2: »*Servi* autem ex eo appellati sunt, quod imperatores captivos vendere ac per hoc *servare* nec occidere solent; qui etiam mancipia dicti sunt eo, quod ab hostibus manu capiuntur.« — *penusque*] Hanc formam ab Horatio praelatam esse demonstrat auctoritas codicum; Virgil. Aen. I, 703 dixit *longam penum*; quamquam hoc quoque Horatii loco nonnulli, sed pauci, codd. Feae et Co bii habent *penumque*. — *Penth* Imitatur Euripidis locum ex Bac 492 sqq., ubi Bacchus sub sacerdo figura latens Pentheo regi diros c ciatus et vincula minanti respond »*Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς ὅταν θ θέλω.*« — *lectos*] pro omni supel ctili. Epist, I, 1, 91. — *me solvet*] St corum praeceptum est. Seneca Provid. 6, 5: »Contemnite mort quae vos aut finit aut transfert. A omnia cavi ne quis vos teneret in tos: *patet exitus. Si pugnare vultis, licet fugere.*« — *linea*] Ims sumpta a circo, ubi alba erat li ad metam. Cfr. Cic. Tuscul. I, 18, Senec. ad Marc. 19: »Mors omni dolorum et solutio est et finis, ul quam mala nostra non exeunt.«

Epistola XVII.

Scaevam, iuniorem (cf. v. 16) a cum, docet Horatius qua possit tione favorem sibi magnorum vi rum conciliare, ita tamen ut et su

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si
Caecus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid
Et nos quod cures proprium fecisse loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo:
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,

sibi conservet dignitatem libertatemque et illustrium hominum benevolentia eo quo velit perveniat. Is enim qui favore potentium virorum honeste ac digne comparato vitam sibi reddidit gratam et honoribus auctam, tantum abest ut vituperandus sit, ut longe videatur praeferendus importunae inertiae ac stultae superbiae alterius, qui, cum maioribus recte uti nesciat, omnino non uti malit. — Latet nos et quis Scaeva fuerit et quo anno scripta sit epistola. Nonnulli suspicati sunt fuisse filium aliquem Cassii Scaevae, centurionis Caesariani (Caes. B. C. III, 53); sed quo iure? Non pauci interpretes epistolam retulerunt ad a. 734 vel 735, Weberus propter simile argumentum, quod hanc cum epistola secunda commune habere dicit, utramque anno 731 compositam opinatur. Ceterum cave confundas hunc Scaevam cum Scaeva nepote Sat. II, 1, 53.

V. 1. *quamvis*] vide ad Carm. I, 28, 13. — *tandem*] Sic omnes libri MSS.; Horkelius tamen ingeniose coniecit corrigendum esse *tenuem*; cui concedendum certe est, *tandem*, quod sit impatienter interrogantis, referri posse ad verba *quaerendi*, *interrogandi*, similia, non posse ad verbum *sciendi*. Minus grave videtur alterum, quod addidit, de ratione, qua maioribus utendum sit, nihil universe praecipi posse, sed debere praecepta ex condicione eorum, quibus praecipiatur, diversa esse. Praeterea cum nesciamus, Scaeva qua conditione usus quove loco natus sit, cavendum est ne quid hominis vel dignitati vel honori detrahatur; quapropter non ausus sum cum Meinekio et Doederlinio codicum auctoritatem deserere. — *docendus adhuc*] »Praecepta ita elevat, ut quae Scaeva in suam rem convertere possit, se non docere, quippe qui ipse edocendus sit, sed loqui dicat.« Obbarius. — *amiculus*] Deminutivum teneram, qua cum Scaeva coniunctus erat, amicitiam indicat. Catull. 30, 2: »Iam te nihil miseret, dure, tui dulcis *amiculi*.« Aliter Mueller de l. l. demin. p. 86: »ut modeste de sua scientia loquatur, iocose vocis *amicus* pondus extenuat eo, quod adhibet vocabulum festivum.« — *caecus*] cui cavendum est ne nimis credas, cum ipse facillime possit errare. — *tamen*] Sententia haec est: »quamvis ipse scias, quo pacto pauperem hominem deceat maioribus uti, tamen audi, quid praecipiat amicus; qui quamvis ipse adhuc docendus sit nec caeco melius viam possit monstrare, tamen adspice, si quid loquatur, quod in tuum usum possis convertere.« Part. *tamen* coniungenda est cum *adspice*, non cum *disce*, ut voluerunt Schmidius et Doederlinius. — *fecisse*] ἀορίστως. — *si te grata*] »Si quietam vitam quaeris, si negotia fastidia tibi imponunt et tibi uni vivere vis, aliorum ope facile poteris carere, sed confer te in solitudinem parvi oppidi (*Ferentinum*), ubi ignoto et securo ad mortem latere tibi licebit. Verum si negotia quaeris, ut rem tibi pares, ut tibi tuisque prosis, si laetam vitam praefers, agedum potentium hominum amicitiam quaere.« — *primam horam*] vide ad Sat. I, 5, 23. — *laedit*] Sic duo Blandinii, reliqui omnes Cruquii *laedat*; optimi Orellii *laedet*, quod non debebat recipere Ritterus; in mutato tempore nihil inest elegantiae. — *Ferentinum*] Hernicorum municipium viae Lavicanae ad XLVIII lapidem. Walckenarius pro Etruriae oppido habet, quod hodie *Ferenti* in Toscana esse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec vixit male qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus qui me notat. Utrius horum
Verba probes et facta, doce, vel iunior audi
Cur sit Aristippi potior sententia. Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
Scurror ego ipse mihi, populo tu; rectius hoc et
Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,
Officium facio; tu poscis vilia rerum,
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.
Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Tentantem maiora, fere praesentibus aequum;

dicitur. Capmartin de Chaupy locum non longe ab urbe Roma ad radices montis Albani situm opinatur; quae opinio Obbario magnopere probatur. — *fefellit*] vide ad Carm. III, 16, 32. Significatur Epicuri illud *λάθε βιώσας*. Ovid. Trist. III, 4, 25: »Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit.« — *benignius*] Haec festive a coena sumpta sunt, ut Sat. II, 2, 85; inde etiam *siccus ad unctum*. cf. Epist. I, 15, 44. Senec. Epist. 66: »Magis diliges ex duobus aeque bonis viris nitidum et *unctum* quam pulverulentum et horrentem.« Ceterum quod unus Bland. antiquiss. praebuit *inunctum* pro *ad unctum*, id probatum est Paulyo et Doederlinio. cf. Sat. I, 3, 25. Epist. I, 1, 29. — *si pranderet*] Diog. Laert. II, 69: »*Παριόντα ποτὲ Ἀρίστιππον λάχανα πλύνων Διογένης ἔσκωψε καί φησιν· Εἰ ταῦτα ἤμαθες προσφέρεσθαι, οὐκ ἂν τυράννων αὐλὰς ἐθεράπευες. Ὁ δὲ, καὶ σὺ, εἶπεν, εἶπερ ἤδεις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, οὐκ ἂν λάχανα ἔπλυνες.*« Ceterum prandendi generale apud Horatium verbum non significat levem aut vilem cibum, prandio quam coenae aptiorem; vide ad Sat. II, 3, 245. — *regibus*] Lucian. de Paras. 33: »*Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος διέτριβεν ἐν Συρακούσαις παρασιτῶν Διονυσίῳ.*« — *notat*] censoribus proprium verbum. — *scurror*] »si scurram me clamas, esto: ego mihi scurra sum, tu populo.« — *equus portet*] Ex proverbio Graeco: »*Ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει.*« Ceterum Cruquius: »hic (i. e. post *multo est*) omnes scripti habent interpunctionem, perinde ac si haec *Equus ut me portet, alat rex, officium facio* sint coniungenda;« ipse punctum posuit post *rex* et comma post *est*; ita etiam Lambinus. — *vilia rerum*] cf. Sat. II, 8, 83. Carm. IV, 12, 19. Sic recte cum Lambino ex bonis codd., quamquam in plurimis et antiquissimis inest *verum Dante minor*, unde postea mutatum est quod in paucis reperitur *verum es Dante minor* vel etiam *verum es Dante minor*. Corruptio autem antiquissima est, nam *verum* iam Porphyrionem scholiastam legisse, ex ipso scholio perspicuum est. Eadem verborum variatio in codd. est Epist. II, 2, 70. — *nullius egentem*] *nullius* masculinum est, non neutrum; ita suadet oppositum *dante minor* i. e. ei qui dat subiectus ex eoque pendens.

V. 23. *color*] cf. Sat. II, 1, 60. — *fere*] omnino; Epist. I, 6, 9. — *patientia*] *καρτερία, τλημοσύνη*. Cic.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque;
Alter Mileti textam cane peius et angui
Vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
Rettuleris pannum: refer et sine vivat ineptus.
Res gerere et captos ostendere civibus hostes
Attingit solium Iovis et coelestia tentat;
Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit, ne non succederet: esto.
Quid? qui pervenit fecitne viriliter? Atqui
Hic est aut nusquam quod quaerimus. Hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore maius;
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.

de Or. III, 17: »Ab Antisthene, qui *patientiam* et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici.« Cynici autem non tunica et pallio utebantur, sed una abolla ex vili panno confecta et tam ampla, ut dupliciter totum corpus amiciret: inde dicti sunt *ἀχίτωνες* et *διπλοείματοι*. — *alter*] Aristippus, de quo Diog. Laert. II, 66: »*Διό ποτέ Στράτωνα, οἱ δὲ Πλάτωνα, πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν· Σοὶ μόνῳ δέδοται καὶ χλαμύδα φορεῖν καὶ ῥάκος.*« Plut. de fort. et virt. Alex. I, 8: »*Ἀρίστιππον θαυμάζουσι τὸν Σωκράτικον, ὅτι καὶ τρίβωνι λιτῷ καὶ Μιλησίᾳ χλαμύδι χρώμενος δι' ἀμφοτέρων ἔτηρει τὸ εὐσχήμον.*« — *Mileti*] Purpurae Milesiae propter egregiam lanam pretiosissimae erant. Virg. Georg. III, 306. — *peius*] cf. Carm. IV, 9, 50. — *angui*] Codd. fluctuant inter *angui* et *angue*; sed Priscian. p. 766: »Anguis, ab Angue vel Angui. Horat. in I Epist. Alter Mileti textam cane peius et *angui*.« — *refer*] »Aiunt Aristippum invitato Diogene ad balneas dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsum Diogenis pallium induisse eique reliquisse purpureum; quod Diogenes induere cum nollet, suum repetiit. Tunc Aristippus increpuit Cynicum famae servientem, qui algere mallet quam conspici in veste purpurea.« Comm. Cruq. — *res gerere*] cf. Varr. L. L. V, p. 72: »Imperator qui dicitur *res gerere*, in eo neque agit neque facit, sed gerit, i. e. sustinet.« — *adire Corinthum*] Graecum proverbium: »*Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.*« Non cuique contingit summa quaeque attingere, sed enitendum est, audendum est, viriliter agendum est, nam in hoc ipso videndum illud est quod quaerimus. — *sedit*] cessat, torpet turpi otio. cf. Virg. Georg. III, 455. Donatus ad Terent. Ad. IV, 5, 38: »sedere proprie ignavae cessationis est.« — *esto*] sedeat, per me licet; nil curo, sed is, qui pervenit, nonne viriliter fecit? — *hic est*] hoc loco est. — *hic ... hic*] cf. Epist. II, 2, 67 sqq. — *virtus nomen*] cf. Epist. I, 6, 31. Sententia

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent: distat, sumasne pudenter
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat: Victum date. Succinit alter:
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundusium comes aut Surrentum ductus amoenum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres
Aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam

haec est: aut virtus nihil est nisi inane nomen ideoque non expetenda, aut eam sequuntur decus et praemium, ita ut qui magna moliuntur, summa laude digni sint. *Experiens* enim vir est audax, promptus in rebus gerendis, ut Ovid. Met. XIV, 159: »comes *experientis* Ulixei.« Cic. pro Cluent. 8, 38: »A. Aurius, vir fortis et *experiens*.« — *Coram rege suo*] cf. Epist. I, 7, 37. Addit Horatius facetam descriptionem stultae rationis, qua plurimi eorum, qui favorem magnorum hominum sibi iam compararunt, ipso favore male utuntur ac dum nimia quaerunt omnia perdunt. Et cf. Colum. R. R. praef. I, 9: »An honestius dixerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum somniumque *regis sui* inaugurantis?« Bentleius cum tribus quattuorve codd. *sua*. Etenim: »Quid ergo? inquit; an nemo coram eiusmodi rege de paupertate loqui potest honeste? non de aliena paupertate? non ut inopi amico per alterius liberalitatem subveniat?« Vides, nimis acute illa disputata esse, nam quod vetatur, ne quis de *sua* paupertate coram magnis viris loquatur, id intelligimus ultro. Aliter *Lachmannus* ad Lucret. p. 238, qui vulgatam lectionem ut ineptissimam contemnens adversarios quod aptum et verum sit sentire posse negat; eumque secuti sunt Haupt. Meinek. Linker. Krueger. Ritter.; Doederlinius contra scripsit *suo*, interpretatus est *sua*. — *caput hoc erat*] Cic. de Or. I, 10: »Philosophorum greges iam ab illo fonte et capite Socrate.« Sic intellige locum: »Noli impudenter rem tibi a patrono rapere, sed sume quae offeruntur verecunde et modeste; nam hoc agitur solum, ut accipias quae velis.« — *succinit*] »Exprimit mendicorum cantilenas, qui *succinunt* sibi invicem.« Schol. Est enim alterum praecinentem comitari. Doederlinius sic distinxit: *»Et mihi« dividuo find. mun. quadra.*; ut sit: si succinit alter »et mihi«, tum quadra dividuo munere findetur. — *quadra*] Martial. III, 77, 3: »Nec te liba iuvant nec sectae quadra placentae.« Ibid. XII, 32, 18: »Nec quadra deerat casei Tolosatis.« Senec. de benef. IV, 29: »Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem aeris abiecti?« — *corvus*] »Corvus repertam praedam clamore et frequenti crocitatione aliis avibus prodit.« Comm. Cruq. — *Surrentum*] Campaniae oppidum (*Sorrento*) ad promontorium Minervae situm, ob amoenitatem magnopere celebratum. Sil. Ital. V, 466: »Zephyro Surrentum molle salubri.« — *salebras*] itineris asperitatem. — *catellam*] Liv. XXXIX, 31: »Praetor suos equites catellis ac fibulis donavit.« Est catenula, non a v. *catulus*. — *verisque*] De

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum, licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim:
Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum.
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

Epistola XVIII.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere professus amicum;
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.

adiectivo etiam damna ornante vide ad Carm. I, 2, 1. — *planum*] πλάνον (Gaukler), circulatorem, qui artibus suis popellum delectare studebat. Hic ingenti saltu facto crus fregisse se simulabat; sed cum quis misericordia motus eum vellet sublevare, subito ille exsiliebat in exercendisque artibus pergebat. Sic risum populo adstanti movebat. — *plurima*] Vide ad Carm. I, 7, 8. Cfr. Virg. Georg. I, 187. II, 183. IV, 419. — *Osirim*] nam Isidis cultus Romae tunc admodum frequens erat. Quintil. VI, 3, 98: »(Adiuvant urbanitatem et versus commode positi) et proverbia opportune aptata; ut homini nequam lapso et ut allevaretur roganti: *»Tollat te qui non novit.«* cf. A. P. 458 sqq. — *rauca*] »vociferans ad ravim.« Comm. Cruq.

Epistola XVIII.

De Lollio vide ad Epist. I, 2. Praeceptis ibi Lollio datis haec nova adduntur non minus utilia adolescenti ad maiores honores tendenti: agitur enim de cultura potentium hominum. Principio poeta timendum esse negat, ne Lollius libertatis amantissimus unquam possit agere partes scurrae; inter quem et verum amicum quantum intersit discrimen dilucide deinde describitur (10—14. 15—20). Deinde docet, ei qui potentibus hominibus placere velit abstinendum esse ab omni vitio, neque posse eum veniam quaerere in vitiis divitum hominum; divitibus ipsis opibus excusationem praeberi, quoniam cum opibus vitia coniuncta esse soleant (v. 36). Deinde non esse exploranda arcana, sed commissa servanda; sequendam non suam sed fautoris voluntatem in eaque explenda delectationem debere inveniri (v. 66). Cavendum esse ab incautis sermonibus (v. 71), compescendas libidines (v. 75), cautionem exercendam in commendandis amicis, commendatos ex suo quemque merito esse adiuvandos (v. 85). Praeterea fautoris mores observandos esse et sibi affingendos; etenim similem simili gaudere. In omni tamen re (v. 96) philosophiam esse colendam, ut in qua re verum bonum cernendum sit recte discatur ac teneatur. Quodsi ita agat amicus, eo sperat perventurum quo ipse pervenerit, ut precibus, quibus deos adeat, nihil possit esse modestius. — De tempore vide ad Epist. I, 2.

V. 1. *liberrime*] cf. Sat. I, 4, 132. — *ut matrona*] argumentum a simili sumptum. — *discolor*] Ne de matronae alba stola et meretricum toga variis coloribus tincta cogites, compara Persii locum 5, 52: »Mille hominum species et rerum discolor usus.« cf. Sat. II, 1, 60. Epist. I, 17, 23. — *Est huic*] Ca-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Est huic diversum vitio vitium prope maius,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas dici mera veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
Alter in obsequium plus aequo pronus et imi
Derisor lecti sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere vel partes mimum tractare secundas;
Alter rixatur de lana saepe caprina,
Propugnat nugis armatus scilicet: Ut non
Sit mihi prima fides et vere quod placet ut non
Acriter elatrem? Pretium aetas altera sordet.
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus;
Brundusium Minuci melius via ducat an Appi.

vendum esse praecipit, ne nimio adulationis metu in contrarium vitium asperitatis ruat; rectum inter utramque positum esse. — *tonsa cute*] Proprie dicebant *caput ad cutem tondere*. Sic ἐν χοιῷ κείρειν; qui mos fuit hominum elegantioris cultus habitusque incuriosorum et asperitatem Stoicae sectae sequentium. Recte Porphyrion: »bene non *coma* tonsa, sed *cute*, ut de capillis nihil videatur remanere nisi quod cutis est.« Contrarii sunt quos dicit Theophr. Char. 5, 3: »καὶ πλειστάκις δὲ ἀποκείρασθαι καὶ τοὺς ὀδόντας λευκοὺς ἔχειν.« Sanadono tamen et Doederlinio haec non sufficiebant, quare ille versum emendare voluit sic: »Commendat quae se intonsa cute, dentibus atris,« hic scripsit: »quae cute se intonsa commendat, dentibus atris.« — *virtus est*] »Ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα· μεσότης δὲ δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν.« Arist. Eth. Nic. II, 6. — *imi lecti*] in quo cum convivatore scurrae accumbebant. cf. Sat. II, 8, 23. 40 sq. — *cadentia tollit*] »excidentia et temere prolata suscipit pro mirandis.« Comm. Cruq. — *mimum*] In mimis secundarum partium actor parasitus esse solebat, qui primarum actorem parasitorum more omni ratione imitaretur. — *de lana caprina*] Ut nos »um des Kaisers Bart,« Graeci *περὶ ὄνου σκιᾶς*. In duobus Blandiniis codd., inter quos antiquissimus est, non *rixatur*, sed *rixatus*, quae lectio recepta est a Paulyo et Doederlinio; Bentleius in fine versus *et* addidit; utrumque ex studio vitandi asyndeti, non recte. — *propugnat*] Intellige *propugnat nugis armatus nugis*; ita ut *nugis* utrimque referatur. Ceterum Doederlinius rectum vidit, cum *scilicet* cum praecedenti v. *armatus* coniungeret; etenim ironia, quae inest in particula, Horatium magis decet quam rixantem. — *ut non*] quomodo non. — *elatrem*] *Elatrare* est summa pulmonis contentione proferre quod in buccam venit. — *aetas altera*] Ne tanto quidem pretio, quantum altera aetas s. vita est, hanc libertatem vendam. cf. Hom. Il. IX, 444 sq. — *Castor, Dolichos*] duo gladiatores. *Dolichos* ex tribus codd. Cruquii; tres Blandinii *Dolicis*, non pauci alii *Docilis*, quod nomen placuit

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus
Saepe decem vitiis instructior odit et horret,
Aut si non odit, regit ac veluti pia mater
Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
Vult et ait prope vera: Meae — contendere noli —
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, nummos alienos pascet, ad imum
Thrax erit aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam,
Commissumque teges et vino tortus et ira,
Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,

Bentleio et Rittero. — *Minuci*] Tib. Minucius Augurinus a. u. c. 449 per montes Sabinorum et Samnitium viam munierat. Sic suspicabantur certe interpretes, quamquam incerta res est. Walkenarius sic: »Quant à la voie Minucienne, nous croyons que c'est ce chemin, peu pratiqué, qui passait par Asculum, et que notre poète parcourut lorsqu'il se rendit à Brindes avec Mécène.« In codd. est etiam *Minuti, Menuti, Munici, Numici*. Obbario hoc unum certum videtur, hanc viam a Roma euntibus viā Appiā ad sinistram fuisse et per Marsos, Samnites tulisse. — *damnosa*] cf. Epist. II, 1, 107; sumptuosa, ut Liv. XL, 3: »bellum sumptuosum et damnosum Romanis.« — *argenti*] cf. Epist. I, 2, 44. 6, 17. II, 2, 181. Sat. I, 4, 28. De argento facto intelligendum, non de signato. — *instructior*] cum festiva quodam malignitate dictum. — *prope*] vide ad Epist. I, 6, 1. — *arta toga*] Divites ac delicati homines amplis togis utebantur. cf. Epod. 4, 8.

V. 31. *Eutrapelus*] P. Volumnius, eques Romanus, amicus M. Antonii propter facetias et urbanitatem ab aequalibus Eutrapelus appellatus est. Aristot. Rhetor. II, 12: »οἱ νέοι . . φιλογέλωτες, διὸ καὶ εὐτράπελοι· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστίν.« Est idem Volumnius, qui memoratur a Cornelio Nepote Attic. 9. 10. 12. — *pascet*] nam usura sors augetur. — *Thrax*] cf. ad Sat. II, 6, 44. — *olitoris*] extra urbem hortos colentis; ab hoc igitur quotidie cum oleribus in urbem mittetur. — *illius*] fautoris tui. Male in multis optimisque codd. scriptum est *ullius*, quod non debuit revocare Paulyus. cf. v. 40. — *vino tortus*] Epist. I, 5, 16. A. P. 435. — *pangis*] H. v. videtur esse vel iocantis vel vituperantis vel irridentis; cf. A. P. 416. Cic. Famil. XVI, 18: »sed tu nullosne tecum libellos, an *pangis* aliquid Sophocleum?« —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiesque educet in agros
Aeoliis onerata plagis iumenta canesque,
Surge et inhumanae senium depone Camenae,
Coenes ut pariter pulmenta laboribus empta:
Romanis sollemne viris opus, utile famae
Vitaeque et membris, praesertim cum valeas et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet: scis quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria; denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit

Amphionis] Carm. III, 11, 2. Propert. III, 15, 29: »Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem.« — *putatur*] ex fabulis poetarum. Horkelius nimis, nisi fallor, acute propriam *putandi* verbi significationem premens — »putamus enim ea, quorum certam persuasionem nullam habemus.« — ex coniectura *probatur*, de plausu, quem veteres in theatris edere solebant, si quid honestius in scena vel factum viderent vel dictum audirent. Sed cf. Sat. II, 3, 161. Epist. I, 7, 69. 9, 8. II, 1, 77. — *Aeoliis*] Sic scribendum est cum Meinekio ex cod. pervetusto Franequ.; intelliguntur plagae Cumanae, quas laudat Plin. H. N. XIX, 1: »Est sua gloria et Cumano (lino) in Campania ad piscium et alitum capturam. Eadem et plagis materia. Neque enim minores cunctis animalibus insidias quam nobismet ipsis lino tendimus. Sed Cumanae plagae concidunt apros et hae cassesve ferri aciem vincunt.« Grat. Cyneg. 35 de lino: »bonus Aeoliae de valle Sibyllae Fetus.« Quod reliqui codd. omnes praebent *Actolis*, non potuit intelligi nisi de Meleagro, apri Calydonii caede inclyto; quod quam longe petitum ac paene puerile sit, egregie sensit Meinekius. A vera scriptura haud procul abest quod repertum est in cod. Sangall. *Aestoliis*. — *inhumanae Camenae*] severae ac morosae, quoniam odit venationes ac similes delectationes. — *Romanis sollemne*] A praeceptis idoneo loco leniter delabitur poeta ad laudem iuvenis amici, corporis vigore ac robore omniumque quibus tum iuvenes exercebantur nobilium ludorum exercitatione inter aequales insignis. Tandem v. 65 ad argumentum et praecepta revertitur. — *coronae*] A. P. 381. — *campestria*] in Campo Martio. A. P. 379. — *Cantabrica bella*] Ipse Augustus a. u. c. 729 exercitum in Cantabros et Astures duxerat. — *refigit*] Carm. I, 28, 11. Signa Romana Crasso a Parthis olim erepta Augusto a Phraate reddita sunt a. 734. cf. Carm. IV, 15, 6. — *si quid abest*] Non credo inter-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Nunc et, si quid abest, Italis adiudicat armis.
Ac, ne te retrahas et inexcusabilis absis,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno;
Partitur lintres exercitus, Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater, lacus Hadria, donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam, si quid monitoris eges tu,
Quid de quoque viro et cui dicas saepe videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est
Nec retinent patulae commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve
Intra marmoreum venerandi limen amici,
Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo

pretibus, significari ab Horatio Armeniam eodem tempore Artaxiae ademptam et Tigrani traditam. Nam hoc dicitur, extendere Augustum Romanum imperium per totum orbem terrarum. — *extra numerum modumque*] metaphorice ut Epist. II, 2, 144; de propria significatione cf. A. P. 211. Cic. Parad. 3, 2: »histrio si paulum se movit extra numerum, exsibilatur.« Bene comparatus est Germanorum usus in voc. *Tact* de eo quod decet. Sic Graeci παρὰ μέλος. — *Actia pugna*] Imitabantur Lollii pueri in villa paterna ludentes pugnam navalem Actiacam, adolescentium (*per pueros* v. 62; non servorum, quos liberi adolescentes haud dubie aspernati essent) ex vicina collectorum gregibus inter se divisis. — *velox*] quia Victoria dea est et alata. — *pollice*] Plin. XXVIII, 2, 5: »*Pollices*, cum faveamus, *premere* etiam proverbio iubemur.« Contrarius gestus improbationis signum erat. Ex muneribus gladiatoriis haec petita sunt. Vide ad Epist. I, 1, 6.

V. 70. *patulae*] »semper patentes ad audiendum, curiosae.« Comm. Cruq. — *irrevocabile*] cf. A. P. 390. *Emissum* proprie de sagitta, hasta, similibus. cf. Lucret. V, 1042: »varios sonitus emittere linguae.« infra I, 20, 6. — *ulceret*] cf. Carm. I, 13, 4. I, 25, 13. — *marmoreum*] ut in divite domo. — *munere parvo beet*] Ne parvo hoc munere satis te beatum credat ab aliisque maioribus donis ac beneficiis abstineat. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
Ut penitus notum si tentent crimina, serves
Tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est
Hoc age ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem navumque remissi:
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis

incommodus] morem non gerens. cf. Carm. IV, 8, 1. Ep. II, 1, 227. A. P. 257. — *quondam*] vide ad Carm. II, 10, 18. De re cf. Theogn. 963: »*Μήποτ' ἐπαινήσῃς πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς, Ὀργὴν καὶ ῥυθμὸν καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.*« — *quem sua culpa*] »Si quis potenti amico ante a te commendatus commisso scelere se maculaverit, noli eum defendere ac tutari; quemadmodum si probus est et falsae tentant eum criminationes, ut ante commendasti ita pergere debes servare eum ac tutari.« *Ut* part. non est *ἵνα* sed *ὥσπερ*; in coniunctivo *serves tuterisque* non est haerendum: est enim positus pro imperativo. Sic iam scholiastae intelligebant locum; Acro: »defende ac tuere,« Comment. Cruq.: »ut penitus notum] h. e. non debes aliquem tibi ignotum ita tueri, sicut amicum tibi et familiarem,« qui tamen haec verba non recte cum iis coniunxit quae praecedunt. Bentl. ex coniectura *At penitus*. — *Theonino*] »Luthienus Theon, libertinus, dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius summoveretur et quaternario (i. e. quadrante) legato iuberetur restem sibi palumque emere.« Comm. Cruq. Suspicantur corruptum esse nomen *Luthieni*. Ceterum cf. Sat. I, 4, 81. Epist. II, 1, 150 sq. 1, 14, 38. I, 16, 38. — *dulcis inexpertis*] Cultura pote amici cum inexpertis quidem du expertis periculosa et gravis vi tur, cavendum est, ne quae multo cum labore assecutus sit bito mutatis rebus perdat. Et tur quidam poeta imagine ab gatione petita; inde etiam *re sum ferat aura*. Adiunguntur de praecepta de conservando ma rum hominum favore. — *potore buli*] Horatius ipse hunc versicu ex Epist. I, 14, 34 lepida qua *παρῳδίᾳ* maximam partem tr sumpsisse videtur: alii ut Ha Meinek., Linker. cum v. 91 in dicibus non paucis non legatur, positicia habuerunt verba *bibul oderunt* et coniunxerunt *Potores recta*. Doederlinius illis quidem adstipulatur, sed vv. 89–95 tr ponendos censet post v. 66. tentia satis plana est: »potores media etiam nocte Falernum bi solent, oderunt abstemios qui porrecta pocula recusant.« Fal genit. pendet ex adi. *bibuli*, n tamen alienus est a *poculis*. Ho lius leni mutatione opus esse put potores *vetuli*, ut Catull. 27, 1: nister vetuli puer Falerni;« Ma XI, 26: »Basia da nobis vetulo, p uda Falerno.« Macrob. Saturn. 12: »mulsum miscendum esse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Nocturnos iures te formidare tepores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum:
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret naturane donet,
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi quod nunc est, etiam minus; et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt di:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae.

Hymettio et vetulo Falerno.« Epitheton h. l. esset otiosum. — *tepores*] Sic optimi codices prope omnes et Comment. Cruq.; alii *vapores*. Recte iam Landinus: »quasi dicat febrem,« ortam illam quidem nimio acerrimi vini usu. Teporibus excitantur vapores; quare facile moveri quis potuit ut adderet alterum vocabulum interpretandi gratia. Cic. N. D. II, 46, 118: »Stellae maris aluntur aquarum vaporibus (Ausdünstungen) iis, qui a sole ex agris *tepefactis* et ex aquis excitantur.« cf. Epist. I, 16, 7. Cic. Senect. 15, 51. Et cf. Propert. III, 17 (15), 13: »*fervida* tempora.« Sil. Ital. XI, 304: »*ardescitque* Lyaeo.« Iuven. 4, 136: »Noverat ille . . noctesque Neronis Iam medias aliamque famem, cum pulmo Falerno *arderet*.«

V. 96. *inter cuncta*] »Haec omnia dum agis, noli oblivisci eius rei, unde summum bonum haurias.« — *Num*] Bland. quattuor et tres alii codd. Cruquii in utroque versu habent *num*; alii *non* in priore versu, in altero *nec*, alii *ne . . . ne*, alii *nunc . . . nunc*. Orellii quoque optimi et Pottierii plerique *num, num*, Pulmanni quinque. — *rerum mediocriter utilium*] Stoicorum ἀδιάφορα, a Cicerone de Fin. III, 16 *indifferentia* nominata. Sunt bona, honores, similia. — *doctrina paret*] cf. Plat. Menon. p. 86. C. — *secretum iter*] cf. Epist. I, 17, 10. Semita latet multitudinem; quare qui eam intravit, secretum fecit per vitam iter vel occultam vitam agit. Iuvenal. 10, 364: »Monstro, quid ipse tibi possis dare. Semita certe Tranquillae per virtutem patet unica vitae.« — *Mandela*] Porph.: »Mandela pagus est nimis contrahens atque algidus, frigore rugosa faciens hominum corpora.« Hodie nominari dicitur *Bardella*. — *et mihi*] Sic recte quattuor Bland. et Silv. Cruquii, optimi Bentleii; plerique Orellii *ut*. Ad sententiam cf. Epist. I, 7, 36. 10, 8. 14, 1. — *in annum*] »Unius anni proventum sibi superesse vult, ut, si spem mentita sit seges proximi anni, habeat unde vitam sustentet.« Obba-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sed satis est orare Iovem quae ponit et aufert:
Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.

Epistola XIX.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. Ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus;

rius. Cf. Caes. B. G. IV, 29. — *neu fluitem*] Sic recte optimi codices, alii *ne*. Quod si scriberes, penderet hoc quartum quod optat ab illo quod praecedit; quod ne possit fieri vetat extremus versus et particula *sed*. Nam illud *fluitare spe dubia horae* significat iniquam animi condicionem, qua modo huc modo illuc homo trahitur, et opponitur aequitati animi. Hanc tamen non Iuppiter potest dare, sed homo est qui parat sibi ipse; quare satis est Iovem ea rogare quae in eius sunt potestate. — *dubiae*] quia incertum est, quid ferat. — *ponit*] Sic omnes MSS. Cruquii, ex Orellii codd. Einsiedl. et Montepessul.; alii nec pauci nec mali *donat*, quod Meinekius praetulit. Bene tamen Bentleius: »*ponit* pro *donat*, etsi parum intersit, eo nobis arridet, quod et in antiquissimis Cruquii libris conspicitur et librariorum notioni minus obvium erat quam illud alterum.«

Epistola XIX.

Eo tempore, quo praeter Augustum imperatorem multi nobiles ac divites viri Musas colebant poetasque favore suo ornabant, fieri non potuit quin praeter veros poetas non parva exsisteret turba hominum, qui ingenio plane destituti versus magno negotio factos inanibus sententiis explerent magnorum exemplarium vestigia et verba serviliter premerent et tamen magnam sibi laudem se comparaturos sperarent. Quo morbo correpti erant partim divites, qui domi carmina sua recitantes plausum coena et pecunia coemptum colligerent, partim pauperes miserique homines, qui fame saepe in furorem agitati aut ingentes laudes liberalium patronorum clamarent aut flebiles tragoedias mollibus auribus delicatulorum dominorum decantarent. Utrumque genus Horatium, a quo contemneretur, palam oderat eundemque, quem imitaretur, clam admirabatur. De his igitur hominibus hac epistola scribit ad Maecenatem, in qua lepide sed acerbe invehitur in vile illud genus imitatorum, qui, quae poetica ars esset nescientes, versus si misere conglutinassent, sibi ipsi plaudere solebant. Scripta videtur paulo ante editum totum librum.

V. 1. *docte*] cf. ad Carm. I, 1, 29. III, 8, 5. De Cratino vide ad Sat. I, 4, 1. — *potoribus*] Non facile dicas utrum dativus sit an ablativus; praefero tamen ablativum, de quo vide ad Carm. I, 6, 2. Ceterum cf. epigramma *Nicenaeti* (Athen. 2, 3. p. 39): »Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἔπος ἀοιδῷ. Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέχοι σοφόν· Ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπινεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ᾠδώδει πίθου.« — *ut*] ex quo. Vide ad Carm. IV, 4, 42. — *male sanos*] cf. Sat. I, 3, 45. 61. De re vide A. P. 296. Sat. II, 3, 322. — *Satyris Faunisque*] perpetuis suis comitibus. Carm. II, 19, 4. — *adscripsit*] »tanquam in legionem suam, nam hoc verbum militare est.« Porph. cf. Carm. III, 3, 35. — *vini vinosus*] Eiusdem verbi diversas formas et propter vim et

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi, non cessavere poëtae
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid, si quis vultu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,

propter sonum adamarunt latini scriptores in eiusque rei gratiam verborum ordinem non raro mutarunt. cf. Sat. II, 2, 39. A. P. 133. Epist. I, 18, 5. 89. — *Homerus*] cf. II. VI, 261; praeterea *τὸν οἶνον μελιηδέα, μελίφρονα, ἡδύποτον, εὐήνορα, μενοεικέα* appellat. — *Ennius pater*] Hoc nomine ornatur et quia priscus fuit et quia quasi pater est poesis Romanae. Propert. III, 2, 6: »Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, Unde pater sitiens Ennius ante bibit.« — *Libonis*] vide ad Sat. II, 6, 35. — *siccis*] Carm. I, 18, 3. — *edixi*] ut praetor. cf. Sat. II, 2, 51. Sic recte scribitur ex codd., non *edixit*, vel quod unus codex habet *edixti*. Nam quod casu aliquo vel data occasione Horatius aliquando dixerat, id edictum quasi quoddam praetoris est imitatorum servo pecori. Comparari certe possunt ea quae dicta erant Carm. I, 18. — *putere*] Martial. I, 29: »Hesterno foetere mero qui credit Acerram, Fallitur; in lucem semper Acerra bibit.« — *textore*] festive dictum, nam *textore* ablativus eodem loco ponendum est quo reliqui *vultu torvo* et *pede nudo*; ut si nos dicamus »und Dank dem Weber seiner kurzen Toga.« De Catone Uticensi Lucan. II, 384: »Huic epulae, vicisse fames; magnique Penates Submovisse hiemem tecto, pretiosaque vestis Hirtam membra super Romani more Quiritis Induxisse togam.« Et Comm. Cruq.: »Cato senator Romanus, ut severior appareret, intonsa barba capillisque prodibat in publicum duroque calceamento et saepe nullo togaque exigua.« — *Rupit Iarbitam*] Timagenes Alexandrinus, rhetor et historicus, captivus Romam ductus in Caesaris Octaviani gratiam venit: eam autem cum licentia dicendi amisisset, ab Asinio Pollione receptus est. Qui cum olim inter viros doctos cum omnium applausu declamasset, aemulationem excitavit Iarbitae, cui homini item docto ac rhetori, ut videtur, ingenti vocis ac laterum intentione accidit, ut rapto diaphragmate subito periret. Iarbita enim Timagenem magnitudine vocis imitari conatus est, cum gravitate orationis assequi eum non posset; eloquentiam igitur in firmitate laterum et intentione vocis quaesivit. Iarbita, de quo nihil aliud notum est, Maurus fuisse dicitur. Cf. Sat. I, 3, 136. Cic. ad Fam. VII, 1, 14: »*Dirupi* paene me in iudicio Galli.« Ceterum Acro de Iarbita: »qui cum Timagenem philosophum post convivium et inter pocula declamantem vellet imitari et non posset, invidia quodammodo discerptus est;« Porphyrio: »qui dum Timagenem imitatur post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur, paene disruptus est. Timagenes enim multos conabatur adhibere et coenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur, ad imitationem sui provocasse Iarbitam dicitur, qui se et stomachum abrupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare.« In quibus scholiis vides latere eam scripturam, quam Cruquius in duobus Blandiniis, Torrentius in aliquot codd. reperit, *aemula coena*; nec eam omnino spernendam esse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile; quodsi
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidet,
Dux reget examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem:
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,

nuper Horkelius (Anal. Horat. p. 25 sq.) ostendit. Doederlinius affirmavit *rupit* h. l. idem esse quod *corrupit*, ut sententia esset: corrupit Iarbitae artem studium imitandae Timagenis maledicentiae. *Timagenis* genitivum coniunge cum *aemula*. — *urbanus*] Vide ad Epist. I, 9, 11. Sat. I, 4, 90. I, 10, 13.

V. 17. *vitiis*] coniungendum et cum *decipit* et cum *imitabile*. Cic. de Or. II, 22, 90: »Multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea quae facilia sunt aut etiam illa quae insignia ac paene vitiosa consectantur imitando.« — *cuminum*] Plin. H. N. XX, 14: »Omne cuminum pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis, clari inter magistros dicendi, assentatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos.« *Exsangue* appellatur per prolepsim quandam, ut *pallida mors* Carm. I, 4, 13. — *tumultus*] vani conatus imitandi ac deprimendi simul Horatii. Deinde addit, ne se quoque imitatorem quis dicat, qua ratione Graecos secutus sit: formam se et versus sumpsisse ab Archilocho et Alcaeo, non res et verba. — *fidet*] Cruq.: »*Qui sibi fidet, dux reget examen.* Sic habet Bland. antiquissimus cum Div. et Silv., reliqui tres Bland. habent *fidit, regit*, utrumque aeque recte; alii legunt *fidit, reget*, quod non probo.« Futurum utroque loco alii quoque boni codd., nec pauci, obtinent apud Orellium, etiam Montepessul., apud Pottierium, duo Pulmanni. Bentleius de suis MSS. nihil. Nec aliter positum est futurum quam apud Cic. Tusc. I, 28: »quam (naturam) si *sequemur* ducem, nunquam *aberrabimus*.« ibid. I, 6: »quod vitium effugere qui *volet* (omnes autem velle debent), *adhibebit* diligentiam.« ibid. »quod in honestis rebus curae *ponetur*, id iure *laudabitur*.« Cur igitur cum Hauptio, Meinekio, Linkero, Kruegero auctoritatem codd. destituamus? Quam Ritterus excogitavit gratiorem temporum variationem (*fidit . . reget*), nulla est. — *Lycamben*] vide ad Epod. 6, 13, unde intelliges verbum *agentia*. Cfr. Ovid. Ib. 51: »in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.« De verbo *agere* cf. Epod. 5, 89. — *foliis*] Carm. IV, 3, 7. — *Temperat*] Sappho quoque et Alcaeus carminibus suis numeros ab Archilocho inventos admiscuerunt, quamquam alia argumenta tractarunt et ordinem quoque versuum Archilochi mutarunt (*rebus et ordine dispar*). Horum exemplis Horatius excusat, quod ipse non nova, sed aliis iam culta numerorum (*modos*) et versuum forma usus sit. Non significatur trimeter iambicus, quo neque Sappho neque Alcaeus usi sunt, sed metra qualia sunt apud Horat. Carm. I, 4. IV, 7. Epod. 11. 13. — *mascula Sappho*] quae quamquam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis coenarum et tritae munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illae lacrimae. Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus,
Si dixi: Rides, ait, et Iovis auribus ista
Servas: fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher. Ad haec ego naribus uti
Formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo et diludia posco.

mulier virum tamen ingenii viribus aequiparavit. — *hunc*] Alcaeum. Carm. IV, 3, 22. III, 30, 13. Horkelius scribendum esse coniecit *hinc ego non alio dictum melos ore*, quocum conferri iubet Carm. III, 4, 1. — *immemorata*] »a nullo ante dicta.« Comm. Cruq. — *ingenuis*] ingenuorum hominum, candide iudicantium. — *premat*] Quintil. XII, 10, 14: »praecipue *presserunt* eum (M. Tullium) qui videri Atticorum imitatores cupierunt.« id. XI, 1, 16: »qui se supra modum extollit, *premere* ac despicere creditur (ceteros).« — *ventosae*] ut Epist. I, 8, 12. De re cf. A. P. 420. — *tritae vestis*] Acron: »non tribuo cibum et vestimenta vulgari populo, ut me laudet. Persii illud (1, 53): Calidum scis ponere sumen, Scis comitem horridulum trita donare lucerna.« — *auditor et ultor*] cf. Epist. II, 2, 67. Omnis ironia posita est in vocabulo *ultor*. Nam qui insulsa nobilium ac divitum hominum carmina audit, deinde sua non meliora recitat, is illos quasi ulciscitur; simul igitur est auditor et ultor. Sic Iuvenalis Sat. 1, 1: »Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam, Vexatus toties rauci Theseide Codri?« — *Grammaticas tribus*] Sunt sectae grammaticorum, criticorum (Aesthetikerzünfte). — *pulpita*] Katheder. Quintil. XI, 3, 130: »cum in angusto quodam pulpito stans diceret.« — *hinc illae lacrimae*] In proverbium abiit ex Terent. Andr. I, 1, 99. — *theatris*] magna auditorum corona. — *ait*] ut *inquit*; vide ad Sat. I, 4, 79. — *Iovis*] cf. Sat. II, 6, 52. — *manare*] transitive ut Ovid. Met. VI, 312. Plin. H. N. XIV, 20: »Arborum suco manantium picem resinamque.« ibid. XXXVII, 20: »Indica gemma in attritu sudorem purpureum manat.« — *naribus*] cf. Sat. I, 6, 5. II, 8, 64. — *diludia posco*] »spatium emendandi carmina, et intermissionem ac dilationem exposco. Diludia autem dicuntur tempora, quae gladiatoribus concedun-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

Epistola XX.

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves et grata sigilla pudico;
Paucis ostendi gemis et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis:
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?

tur inter dies munerum quibus pugnatur.« Comm. Cruq. Cfr. Epicharm. apud Athen. II, 3. p. 88: »ἐκ μὲν ὑσλας θοίνη . Ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο. Β. Χάριεν, ὥς γέ μοι δοκεῖ. Α. Ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δ' ἐγένετο ὑνανία (al. συνανία). Ἐκ δὲ ὑνανίας δίκη [γένετ' ἐκ δίκης δὲ καταδίκη], Ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε καὶ σφάκελος καὶ ζημία.«

Epistola XX.

»Haec cum libro suo videtur loqui, quem ante impositum finem cupidum esse dicit in publicum prodeundi, cum domi continendus sit ne in magnos lectores incidens vituperetur.« Porphyrio. Addita est enim haec epistola quasi epilogus non Epodorum libro, quem propter rationes *πολιτικὰς* anno demum 733 editum iniuria suspicati sunt viri docti, sed huic ipsi epistolarum libro. Versus enim 28, quo annus indicatur 733 a. u. c., nihil impedit quominus duobus vel tribus annis post Lollium consulem epistolam scriptam credamus. Lollio honorificum erat quod Horatius hoc loco iterum mutuae amicitiae testimonium posuit; deinde qui annis 734 et 735 consules erant, Horatio aut plane ignoti aut non familiares erant; tum accessit hoc quoque, quod annus aetatis quadragesimus quartus facile in *quater undenos* annos dividi potuit. Solebant enim poetae in versibus magnos numeros in minores partes dissecare; cuius quidem rei aliud genus habes Carm. II, 4, 23. Postremo bene animadvertendum est, Horatium non dicere: me sciat haec scripsisse Lollio Lepido coss., sed simpliciter iis consulibus se quadraginta quattuor annos natum fuisse indicare. Quibus de causis etiamsi inter epistolas plures sunt quae a. 734 scriptae videntur, tamen haec epistola omnibus quasi custos et comes data est. Similis natura est Ovidii epistolae primae Tristium libri I.

V. 1. *Vertumnum*] Sat. II, 7, 14. Acro: »Vertumnus et Ianus dii sunt qui praesunt negotiis ementium et vendentium, ante quorum templa erant loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant.« Et vide ad Sat. II, 3, 18. Doederlinius: »ἓν διὰ δυοῖν pro: eum Ianum, qui proximus est Vertumni signo.« Ibi enim bibliopolae esse librosque vendere solebant. — *Sosiorum*] Sosii fratres erant bibliopolae. A. P. 345. — *pumice*] Martial. VIII, 72: »Nondum murice cultus asperoque Morsu pumicis aride politus Artanum properas sequi, libelle.« id. I, 118, 14: »Dominus tabernae De primo dabit alterove nido Rasum pumice purpuraque cultum Denariis tibi quinque Martialem.« — *sigilla*] scrinia, capsae cf. Epist. II, 1, 113. — *fuge*] propera quo pervenire cupis. — *descendere*] in Forum, in quod ex propinquis collibus descendendum erat. Q. Cicer. de petit. cons. 1: »Prope quotidie ad Forum tibi descendenti meditatum hoc sit.« *Descendere* repertum est in omnibus codd. Cruquii, Bentleii, Orellii, aliorum; *discedere* in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid volui? dices, ubi quis te laeserit; et scis
In breve te cogi, cum plenus languet amator.
Quodsi non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deserat aetas;
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus, ut ille
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre et in tenui re

paucis. — *emissa*] etiam de scriptis. Cic. Fam. VII, 33: »Si quid dignum nostro nomine emisimus.« cf. Epist. I, 18, 71. — *in breve cogi*] in artum volumen convolvi et in capsa reponi. Per allegoriam indicatur contemptus fastidiosi lectoris. — *plenus*] Sat. II, 2, 43. Epist. II, 1, 100. — *augur*] »ego qui haec auguror.« Comm. Cruq. — *deserat*] Coniunctivus aptior videtur ad sententiam; codd. fluctuant inter *deserat, deseret, deserit.* — *aetas*] sc. iuvenilis. Carus eris et legeris, donec novitate commendaberis. — *tineas inertes*] Lucilius ap. Serv. Virg. Aen. IV, 158: »Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.« Cic. de Fin. II, 34, 115: »Lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant inertes a maioribus nominabantur.« Tineae igitur inertes mihi videntur, quia destitutae artium amore poemata rodere non dubitant. Sic Iuven. 3, 207: »Et divina *opici* rodebant carmina mures (Die barbarischen Motten und Mäuse, die Nichts von der Litteratur verstehen). — *Ilerdam*] Romanae litterae in Africa et Hispania iam innotescere coeperunt; sed qui emissi erant novi libri tarde in remota ea loca pervenerunt. Quapropter qui Uticae vel Ilerdae novi erant libri, ii Romae iam in oblivionem abierunt. cf. A. P. 345. — *vinctus*] cum aliis mercibus (verpackt). Alii *vinctum* intelligunt catenis oneratum uti fugitivum deprehensum et ad dominum remissum; non bene, arbitror. *Vinctus* habent optimi codices; alii male *unctus*, quod qui defendebant, librum videbant aromatis unguentisque involvendis destinatum. — *monitor*] ego qui te monui. — *elementa docentem*] cf. Sat. I, 10, 75. Iuven. 7, 226: »Stabant pueri, cum totus decolor esset Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.« *Balba* autem *senectus* libri remota tempora significat.

V. 19. *sol tepidus*] post meridiationem qua uti solebant Romani. Alii hunc quoque locum ad ludi magistros referebant *solemque tepidum* non de diei, sed de anni tempore intelligebant; nimirum indicari Idus Octobres, quibus feriis finitis (cf. ad Sat. I, 6, 75) pueri ludos frequentare inciperent. Alii ut Doederlinius cum M. Hertzio vernum tempus intelligunt, quo post dies festos Quinquatruum (cf. ad Epist. II, 2, 197) novus quasi quidam annus scholasticus inchoari solebat. cf. Ovid. Fast. III, 829: »nec vos . . magistri Spernite (deam Minervam), discipulos attrahit illa novos.« Tum, cum novi discipuli Horatium legere incipiebant, magistrorum erat, cum iis quae necessaria

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Ut quantum generi demas, virtutibus addas;
Me primis Urbis belli placuisse domique;
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

viderentur de vita poetae communicare. Obstat tamen his omnibus, quod *sol tepidus* non anni, sed diei tempus significat, id quod apparet ex similibus locis, ut Epist. I, 3, 5. Sat. 1, 6, 125. II, 4, 23. Carm. IV, 2, 46. — *nido*] Refer ad *maiores* et ad *extendisse*. De imagine compara Epist. II, 2, 50. — *primis Urbis*] cf. Sat. II, 1, 75 sq. Epist. I, 17, 35. Genitivos *belli domique* coniunge cum *placuisse*; alii cum *primis urbis*, sed bellicam laudem et tribunatum militarem Horatius plane omittere hoc loco non potuit. — *praecanum*] Carm. II, 11, 15. — *solibus aptum*] Solent explicare: apricationis amantem. Rectius fortasse Doederlinius locum intellexit qui Horatii calvitiem iocose indicari existimat. cf. Epist. I, 7, 26. Meinekius tamen scripturae vitium subesse ratus emendare voluit *so'i amicum*. — *duxit*] Anno 733 cum diu ambitu et contentionibus Q. Aemilii M'. F. Lepidi et L. Silani de altero consulatu eius anni certaretur, Lollius diu solus consulatum gessit. Itaque Lollius collegam quasi duxit ut comitem paulo tardiorem.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS.

Epistola I.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,

Epistola I.

Suetonio teste (in vita) Horatius hanc epistolam scripsit, ne voluntati Augusti, qui quod nihil ad se scripsisset graviter conquestus erat, plane deesse videretur. In qua re egregium fuit Horatii consilium; qui cum intellexisset in epistola ad Augustum danda neque ineptius quidquam fore quam satiricum aliquod argumentum sive acerbe sive iocose descriptum, neque putidius quidquam quam rem aliquam ex philosophia petitam, quae malignis interpretationibus subiecta pravum aliquod suum consilium celare posset videri, id sibi describendum et illustrandum sumpsit genus, quo nullum aut Augusto aut se dignius esse posset. Praemisso enim splendido exordio de Augusto eiusque in rempublicam meritis, quod tamen ipsum ita est comparatum ut coniunctissimum sit cum reliqua parte epistolae, Horatius agit de statu, quo tunc esse sibi videatur poesis Romana, docet quid excolendae ei maxime obstet, adhortatur Augustum ut omnes eius partes eadem cura amplectatur, reditque extremo carmine transitu apposite sibi parato ad excusandam suam facultatem, cum laudandis merito Augusti virtutibus imparem se nihil ad celebrandum tantum nomen afferre posse deplorat. Praecipuum igitur poetae consilium cernendum est in ostendendis maximis incommodis, quibus latinam poesim suo tempore laborare ac deprimi non sine magno dolore vidit. Negligentia autem et despicientia, qua totus paene populus veros suos poetas aequales eorumque studia utique laudanda et ad reipublicae salutem utilia tum persequebatur, communis quasi fons erant, unde omnia illa incommoda proveniebant. Romani enim eo tempore caeco quodam amore abrepti aut antiqua longe praeferebant aut, id quod scenicae arti et fabulis maxime obfuit, pugnarum pomparumque triumphalium in theatris imitationibus, muneribus gladiatoriis, pugnis ferarum magis ducebantur quam optimis fabulis digne ac simpliciter actis. Ea autem de antiquorum poetarum nimio amore, aequalium iniusta contemptione vituperatio Augustum quoque quodam modo tetigit; etenim Suetonius Octav. 89: »Augustus, inquit, plane poematum quoque non imperitus delectabatur etiam *comoedia veteri* et saepe eam exhibuit publicis spectaculis;« qui locus intelligendus est non de antiqua Atticorum comoedia, sed de Plauto, Caecilio Statio, aliis. Etiam Quinti-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.

lianus X, 1, 43 queritur: »Quidam solos veteres legendos putant«, et Martialis V, 10, 7 sqq.: »Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone Et sua riserunt saecula Maeonidem. Raro coronato plausere theatra Menandro, Norat Nasonem sola Corinna suum.« — Epistolam scriptam esse apparet cum Augustus ita reipublicae statum iam mutasset, ut unus omnia regeret, in se unum omnes honores contulisset — nam Lepido a. 741 mortuo etiam Pontifex Maximus factus est —, cum restitutis moribus firmataque pace a Romanis divino prope honore coleretur (v. 16). Quare interpretes annum 744 videre sibi videbantur; quibus ita consentire, ut alio anno scriptam eam esse negem, ego quidem non ausim. Webero, qui v. 132 ludos saeculares indicari recte intellexit, nihil aliud certum est nisi scriptam esse epistolam post a. 737, nec ultra a. 741 progrediendum esse videtur.

V. 1. *sustineas*] proprie de oneribus, iis etiam quae coniuncta sunt cum honoribus. Cic. Fam. V, 9: »Hoc quidquid est *oneris et muneris* pro mea dignitate tibi tuendum ac *sustinendum* puta.« ib. X, 12: »praetor urbanus, quod consules aberant, consulare munus *sustinebat* more maiorum.« — *armis tuteris*] cf. Carm. IV, 14, 43 sq. Haec tria *armis tutari, moribus ornare, legibus emendare* summa sunt beneficia, quae bonus princeps in cives suos conferre potest. cf. Carm. IV, 5, 21 sqq. IV, 15, 9 sqq. Sueton. Octav. 27: »Recepit et *morum legumque* regimen atque perpetuum, quo iure censum populi ter egit.« ibid. 34: »Leges retractavit et quasdam ex integro sanxit.« cfr. Ovid. Met. XV, 833 sq. — *sermone*] indicatur ipsa haec epistola, quae ne modum excedat, ad argumentum quam celerrime pergit. — *morer*] Epist. I, 13, 17. A. P. 321. — *Romulus*] Ad rem ipsam dum pergit, diutius etiam in laude Augusti moratur, leniter ad ingratum aequalium animum declinans, quem nemo non expertus est praeter unum Augustum, cf. Carm. III, 3, 9—16. — *post ingentia facta*] i. e. post mortem; nam quamdiu vivebant, tamdiu etiam magna effecerunt facinora. Nihil igitur opus est Bentleii coniectura *fata*. Cic. Nat. D. III, 15: »Iam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandei, Tenedii Tenem, Leucotheam, quae fuit Ino, et eius Palaemonem filium cuncta Graecia, Herculem etiam, Aesculapium, Tyndaridas; Romulum nostri aliosque complures, quos quasi novos et adscripticios cives in coelum receptos putant.« — *in templa*] i. e. in coelum recepti, inter deos relati, ut Carm. III, 3, 10. IV, 8, 30. — *contudit*] nam *τῷ ῥοπάλῳ τὰς κεφαλὰς αὐτῆς ἔκοψε*. Apollod. II, 5, 2. Vide ad Carm. IV, 4, 61. — *fatali*] fatis destinato labore; cf. Carm. I, 37, 21. III, 3, 19. — *portenta*] cf. Carm. I, 22, 13. Lucret. V, 37 de iisdem monstris: »Cetera de genere hoc quae sunt *portenta* perempta.« Ad haec referendum est etiam verbum *domari*, nam invidia quasi portentum est, quod non vincitur nisi morte. cf. Carm.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Urit enim fulgore suo qui praegravat artes
Infra se positas; exstinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione modoque
Aestimat et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum

III, 24, 31 sq. — *urit enim*] Causa haec est cur invidia non exstinguatur nisi morte; nam quamdiu magni viri vivunt, oppressos se magnitudine eorum sentiunt inferiores neque de eorum laude detrahere desinunt. *Artes* enim per quandam metonymiam ipsos significant artifices; similiter de Musis Phaedr. III. prol. 19: »In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi Fecunda novies *artium* peperit *chorum*.« — *praegravat*] Sat. II, 2, 78. *Artes* autem accusativus est non huius solum verbi potestati obnoxius, sed alterius quoque *urit*. — *iurandas*] cf. Ovid. Met. II, 46. Et compara Cic. pro Flacc. 36: »is, cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo.« Ovid. ex Pont. III, 3, 68: »per matrem iuro Caesareumque caput.« Trist. II, 1, 54: »per te (Augustum) praesentem conspicuumque deum.« — *nomen*] Bentl., Haupt., Meinek., Linker., Ritter. ex cod. Bland. antiquiss. et duobus Bersmanni *numen*, ut Carm. IV, 5, 33; reliqui omnes et Comment. Cruq., quem ex Blandiniis codd. a Cruquio compositum esse scimus, *nomen*, quod etiam Doederlinius servavit. — *aras*] Senatus Augusto reverso anno 735 aram exstruxit inscriptam *Fortunae Reduci*. Sueton. Octav. 52: »Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit; nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.« cf. Carm. III, 5, 1 sq. IV, 14, 43 sq. — *nil oriturum*] Carm. IV, 2, 37 sqq.

V. 18. *in uno*] in hac una re, quod te antefert omnibus et Romanis et Graecis ducibus. Ne *uno* cum *te* coniungas, vetat oppositum vocabulum *cetera* v. 20. — *veterum*] gen. neutrius. — *Gabiis*] de part. *cum* compara Carm. III, 25, 2 ubi vide; de re lege Liv. I, 53 sq.; de foederibus cum Sabinis ictis Liv. I, 13. I, 17, 2; aliud ictum est cum Sabinis Tullo Hostilio rege. — *aequata*] i. e. aequis condicionibus icta. — *pontificum libros*] Significantur pontificum annales sive commentarii, de quibus Cicero de Orat. II, 12, 52: »Ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur.« — *volumina vatum*] sunt libri vaticini, fatidici, quorum lectione populus delectabatur. Liv. XXV, 1 extr. ibid. 12.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Graiorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri;
Venimus ad summum fortunae, pingimus atque
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet an inter
Viles atque novos? Excludat iurgia finis.
Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poëtas,
An quos et praesens et postera respuat aetas?
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,

Porphyrio: »Veteres libros Marcii vatis Sibyllaeque et similium.« Symmach. Epist. IV, 34: »Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est.« — *Albano*] festive dictum; nam qui vetera illa amabant, iis Musae in Albano monte, non in Parnaso et Helicone sedes suas habere videbantur. — *Graiorum*] Sic ex antiquissimo cod. Bland. Cruq., duobus Torrentii, egregio uno Bentleii, uno Pulmanni cum Bentleio scripsi, reliqui *Graecorum*: sed cf. ad Carm. II, 4, 12. — *nil intra*] »Negant manifesta, nam constat intra oleam et extra nucem esse duritiam.« Porph. In quo loco noli offendi variata constructione *intra oleam* et *extra in nuce*; quod Bentleio accidit, qui *olea* i. e. in olea corrigendum esse putavit. Sententia haec est: qui affirmat, Romanorum scriptorum eandem esse rationem quam Graecorum, ei etiam insulsissima quaeque coniungere et falsissima affirmare licebit, atque adeo dicere, Romanos omnibus artibus Graecis esse superiores. — *venimus*] Eodem iure dicere quis possit Romanos omnibus artibus Graecos superasse, neque quidquam esse quod Romanos discere deceat. Deinde Horatius sorite usus (v. 34—49) ostendit quam absurda antiquariorum sit sententia. — *unctis*] proprie de luctantibus, sed ita positum est vocabulum, ut perpetua Graecorum in reliquis etiam artibus exercitatio illustretur. — *chartis pretium*] Sic antiquiss. Bland. et Tousan. Cruquii; quod cur melius sit quam aliorum *pretium chartis*, in promptu est. — *arroget*] legitime attribuat, ut Carm. IV, 14, 40. — *decidit*] Carm. IV, 7, 14. — *excludat*] Si anni sunt, inquit, qui bonum efficiunt scriptorem, constituamus certum annorum terminum; quem qui praecedunt perfectos habeamus, qui insequuntur novos et contemnendos. Exempli gratia v. 39 finis s. terminus centesimo anno constituitur. — *respuat*] Sic recte tres MSS. Cruquii, inter quos antiquissimus Bland., optimi Orellii, alii; reliqui Cruq. *respuit*, alii *respuet*. cf. ad Epist. I, 17, 8. — *honeste*] mit Ehren. — *caudae equinae*] Videtur exemplum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.
Utor permisso caudaeque pilos ut equinae
Paulatim vello et demo unum, demo et item unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit in fastos et virtutem aestimat annis
Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.
Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quoties uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Attius alti,

sumpsisse a Sertorio, qui ut milites suos ad concordiam et patientiam adhortaretur, produxisse dicitur duos equos, alterum plane infirmum et iam veterem, alterum procerum et robustum et caudam mira pilorum crebritate habentem. Infirmo equo astabat vir magnus et validus, robusto parvus ac debilis; iam cum uterque caudam equo evellere iuberetur, robustus infirmi equi caudam totam, debilis robusti singulos pilos; ille quidem risum spectantibus praebuit, hic sine multo labore equum cauda privavit. — *et item*] Sic scribendum est ex optimis libris; in aliis est vel *etiam*, quod placuit Doederlinio et Rittero, vel *iterum* vel *itidem*. Rittero *et item* molestum visum est nec Horatianum; cur visum sit, non dixit. — *ruentis acervi*] Cic. de Divin. II, 4: »*Soriti* resistas, quem si necesse sit latino verbo liceat *acervalem* appellare.« Nam σῶρος est acervus; et fuit duplex genus soritae, ruentis et struentis. — *virtutem*] poeticam facultatem et artem. — *Libitina*] vide ad Carm. III, 30, 7.

V. 50. *fortis*] ob magnum spiritum, quem in suis scriptis prae se ferebat. Ceterum non sine quadam εἰρωνείᾳ dicit, Ennium in scribendo negligentem parum curasse quid de se promisisset ac somniasset; et tamen eum nunc summa laude ornari, quoniam vetus sit poeta; Naevium in omnium etiam manibus et animis haerere, reliquos omnes tantopere coli, ut sua quisque laude fruatur. De Ennio cf. Pers. 6, 10 sq.: »Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.« cf. A. P. 260 sqq. — *Naevius*] Cn. Naevius Campanus a. u. c. 519 primam fabulam docuit, mortuus est a. 550 Uticae in exsilio. Praeter tragoedias et comoedias scripsit epicum quoque carmen versibus Saturniis de primo bello Punico; de quo Cic. Brut. 19: »Tamen illius (Naevii), quem vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat.« — *non est*] nonne est; ut Carm. III, 20, 1. Interrogationis signum primus recte posuit Bentleius; alii maluerunt partim *non* particulae substituere *nunc*, partim *non est*, *at* scribere. — *Pacuvius*] M. Pacuvius Brundusinus, Ennii sororis filius, natus a. u. 534, amicus C. Laelii, Tarenti mortuus est prope nonagenarius. De *Attio* vide ad Sat. I, 10, 53. De utroque Quintil. X, 1, 97: »Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens, habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
Non equidem insector delendave carmina Livi

quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur, Pacuvium videri *doctiorem* qui esse docti affectant volunt.« — *Afrani*] L. Afranius floruit circa a. u. c. 660; de eo Quintil. X, 1, 100: »*Togatis* excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus.« Donat. fragm. ad Terent. fab. p. XXX. ed. Zeune: »Comoediarum formae sunt tres: *palliatae* Graecum habitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant, *togatae* iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes, *Atellanae* salibus et iocis compositae.« De Menandro vide ad Sat. I, 4, 1. Compararunt Afranium cum Menandro eademque arte in describendis moribus usum esse dixerunt. Cic. Brut. 45: »L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.« — *Plautus*] *T. Maccius Plautus* Sarsinas, mortuus 570, cum Terentius novem annos natus esset. *Epicharmus* quinque annis maior Socrate, natus in insula Co, Siculus appellatus, quod infans in Siciliam venit ibique Hierone Syracusis dominante comoediarum laude floruit. *Properare* recte intellexerunt interpretes de motu et agilitate, qua in fabulis utriusque poetae ad eventum festinabatur (A. P. 148) animique audientium indefessa vi intendebantur. — *Caecilius*] C. Caecilius Statius, Insuber Gallus, servus genere, Ennii familiaris, anno post Ennii mortem, a. u. c. 586 mortuus est. Cic. de opt. gen. dic. 1: »Caecilius fortasse summus Comicus.« Varro apud Nonium in v. *melos*: »In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.« — *Terentius*] P. Terentius Afer, Karthagine natus a. u. 561, mortuus in itinere in Graeciam anno 594. — *ediscit*] non in scholis, sed legendo et spectando. — *arto theatro*] Theatra amplissima erant, non arta, sed arta videntur propter ingentem multitudinem hominum, qui adsunt. — *Livi*] Livius Andronicus, fortasse Tarentinus, captivus Romam venit, ubi a C. Livio Salinatore propter ingenii culturam libertate donatus est. Primus Romae fabulam docuit, Odysseamque latinis versibus (Saturniis) interpretatus est. — *ignave*] quae nullam vim habent ad movendos auditores. — *Iove aequo*] »Propitio sibi; Iove quidem irato fit, ut errent homines ac delirent.« Porph. — *delendave*] Sic antiquiss. Bland., duo alii Cruquii cum aliis antiquis libris MSS. Torrentii et Bentleii; rectius quam *delendaque* post negantem particulam etiam Bentleius recepit partic. *ve* quem cur non secuti sint Haupt. Meinek. Linker. Doederlin., non video.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia miror.
Inter quae verbum emicuit si forte decorum et
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament periise pudorem
Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,

V. 71. *Orbilium*] Sueton. de illustr. Gramm. c. 9: »Orbilius Pupillus Beneventanus primo appariturum magistratibus fecit, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit, functusque militia studia repetit, quae iam inde a puero non leviter attigerat: ac professus diu in patria quinquagesimo demum anno Romam consule Cicerone transiit docuitque maiore fama quam emolumento. Namque iam persenex pauperem se, et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. Fuit autem naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat plagosum eum appellans et Domitius Marsus scribens: »›Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.‹« De antiqua scholarum disciplina cfr. Plaut. Bacchid. III, 3, 27: »ubi revenisses domum, Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres; Tum librum legeres. Si unam peccavisses syllabam, Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.« — *exactis*] i. e. perfectis; sic marmora ad unguem exiguntur, ut intelligatur, utrum satis sint polita an non sint. Cfr. Ovid. Met. I, 406. — *ducit venditque*] ut mangones qui ubi venalium gregem in catasta exponebant maxime formosos ac validos in primo ordine collocabant, nimirum ut hi emptores allicerent totusque grex simul venderetur. Scriptura codd. sana est nec videtur quidquam cogere, ut cum Bentleio ex uno cod. Regin. scribamus *ducit venitque poema* i. e. totum poema iniuste ducit emptorem et venit. Bentleius comparavit Cic. de Fin. II, 31: »*veneuntque* scripta eius probitate ipsius et moribus,« et Hor. Sat. I, 2, 88, sed *emptorem* ipse addere debebat. Rectius hi loci comparantur Ciceronis Att. XIII, 12: »Ligarianam praeclare *vendidisti*: posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam;« et XIII, 19: »Ligarianam praeclare auctoritas tua *commendavit*.« Et Plutarch. Dem. 23: »*ὡς τοὺς ἐμπόρους ὁρῶμεν ὅταν ἐν τριβλίῳ δεῖγμα περιφέρωσι, δι' ὀλίγων πυρῶν τοὺς πολλοὺς πιπράσκοντες, οὕτως ἐν ἡμῖν λανθάνετε πάντας αὐτοὺς συνεκδιδόντες.*« — *quidquam*] Negans hoc pronomen recte positum est propter negantem vim quam inesse sentis in verbo *indignor* i. e. ferre non possum. — *crasse*] cf. Sat. II, 2, 3. Unde imago petita sit, intelliges ex versu 225. — *Attae*] T. Quintius Atta, togatarum scriptor, a. u. c. 676 mortuus est. — *fabula*] »quae inscribitur Matertera; *recte necne perambulet crocum floresque* i. e. in scenam recepta sit, quae floribus et croco spargitur.« Comm. Cruq. Plin. H. N. XXI, 6: »Vino mire congruit crocum, praecipue dulci; tritum ad theatra re-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum nisi quod placuit sibi ducunt
Vel quia turpe putant parere minoribus et quae
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quodsi tam Graecis novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haber
Quod legeret tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis nunc arsit equorum,
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
Suspendit picta vultum mentemque tabella,
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.

plenda.« — *patres*] seniores. cf. v. 85. — *Aesopus, Roscius*] nobilissimi fabularum actores, Ciceronis aequales. — *imberbi*] Cruq. ad A. P. v. 161: »*imberbus*; sic habet cod. Bland. antiquiss., quem secutus sum ex auctoritate Sosipatr. Charis. l. I. inst. gramm. qui: *Imberbi* autem dicuntur, inquit, non *imberbes*: sic enim et Varro de actionibus scen.: *imberbi iuvenes*, sic et Cicero *imberbum* protulit, non *imberbem*.« Apud Acronem et Comment. Cruq. haec sunt: »imberbus et imberbis, sicut inermus et inermis.« — *Saliare Numae*] lege Liv. I, 20. Axamenta appellabantur eorum carmina in honorem Martis et Iani ut videtur. Quintil. I, 6, 40: »Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.« Quare iis explicandis multi grammatici videntur operam dedisse, ut viderentur *scire* et intelligere, quae alii nec intelligebant nec curabant intelligere. Particula *iam* gradationem efficit (vollends gar). — *nostra sed*] Aperta hic ca est cur *sed* part. sit postposita; enim maior accrescit vis vocab *nostra*, cum gravitate postea itera — *quodsi tam Graecis*] si ide inquit, fecissent Graeci, nihil n esset quod antiquum admiraremu verum Graeci magnopere dive erant a nobis. Nos quaecunque s gunt nova odimus neque poes nostram altius sese tollere patim Graeci contra ab alia ad aliam tem transeuntes omnes aequo a plectebantur amore ad eandemq dignitatem evexerunt. — *tere* cf. Cic. ad Fam. IX, 25, 1: »*Π δείαν Κύρου* contriveram legend — *nugari*] sine reprehensione ctum est; nam artibus hilarioril et levioribus se dare, si bella co paraveris, nugari videbitur. — *vitium*] in vitium deliciarum, p pter prosperitatem fortunae.« Com Cruq. — *suspendit vultum*] attent sime spectavit; admirata est. — *liquit*] Graecia, non puella.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae ventique secundi.
Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido:
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio; pueri patresque severi
Fronde comas vincti coenant et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior et prius orto
Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
Navim agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
Non audet nisi qui didicit dare; quod medicorum est
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen et levis haec insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus

V. 102. *paces*] pacis tempora quae omnibus vitae commodis favent. — *venti*] cf. Carm. I, 14. — *Romae dulce*] Romani olim nihil curabant nisi negotia et commoda; artes contemptae iacebant. cf. Epist. I, 1, 53. — *mane*] cf. Sat. I, 1, 10. — *nominibus*] vide ad Sat. I, 2, 16. Et *recta* nomina sunt quae alias appellantur *bona*; quare iure negligimus alteram lectionem *certis*. Est autem ablativus, nam nummi caventur rectis chirographorum formulis. — *maiores audire*] Cic. de Off. I, 34, 112. Lael. I, 1. — *damnosa*] Epist. I, 18, 21. — *calet*] cf. Sat. II, 3, 80. — *pueri patresque*] »*Puerique* (ut est in codd. nonnullis) suavius est et modulatius.« Bentl. Sed recte iam intellectum est in *patribus* inesse gradationem aliquam eamque non pati particulam bis positam. — *fronde*] »hedera, quae est poetarum.« Comm. Cruq. cfr. Carm. I, 1, 29. I, 7, 7. — *dictant*] Hoc tempore cum omnes, qui carmina vel libros componerent, non ipsi scribere sed servis dictare solerent, dictandi verbum idem significare coepit quod componere. Gloriolam multi quaesiverunt in eo, quod inter coenandum carmina dictare potuerunt, nimirum egregium suae facultatis et ingenii specimen sic se edere isti putabant adulantibus ac stupentibus convivis. cf. Sat. I, 4, 10. coll. v. 8. 12. — *versus*] carmina lyrica. Epist. I, 1, 10. — *Parthis*] Carm. IV, 15, 23. De ingenti quo tum omnes correpti erant furore scribendi cfr. A. P. 379 sqq. *Abrotonum*, Stabwurz. Plin. H. N. XXI, 21: »Usus est foliis, sed maior semini ad excalfaciendum; id nervis utile, tussi, orthopnoeae cet.« Porphyr.: »Mire dixit non helleborum, sed abrotonum, quod minore periculo etiam indoctus miscere potest ac dare.« A versu 118 describuntur commoda non exigua, quae ex scribendi illa insania in publicam salutem redundent; in qua re sensim lectores transducuntur ad brevem de origine

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non temere est animus: versus amat, hoc studet unum;
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo,
Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari.
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat,
Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae;
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus et praesentia numina sentit,
Coelestes implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum;
Carmine di superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes parvoque beati,

poesis apud Latinos eiusque cultura expositionem. — *non temere*] vide ad Sat. II, 2, 116. — *hoc studet*] V. *studere* cum accusativis pronominum et adiectivorum gener. neutr. coniungitur, ut apud Cic. Phil. VI, 7, 18 »unum sentitis omnes, unum studetis;« Terent. Hec. II, 1, 2: »Eadem aeque studeant.« Apud Plautum Mil. gl. V, 44 antiquiore usu: »minus has res studeant.« — *incogitat*] verbum, ut videtur, fictum ad exemplum graeci ἐννοεῖν.« — *pane secundo*] non siligineo, sed dispensatorio. Sueton. Octav. 76: »Cibi minimi erat atque vulgaris fere. Secundarium panem et pisciculos minutos appetebat.« — *militiae*] dativus est, contrarius alteri *urbi*. Tacit. Ann. III, 48: »impiger militiae et acribus ministeriis.« — *si das*] concedis. cf. Sat. I, 4, 39. I, 10, 5. — *os pueri*] Quintil. XI, 3, 30: »vitio carebit (oratio), si fuerit *os* facile, explanatum, iucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet.« et ibid. 31: »sunt multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum *ora formarem*, opportunius ratus, in ea aetate facere illorum mentionem, in qua emendari possunt.« — *iam nunc*] iam a puero: nam puerilis etiam aetas et corrumpebatur et delectabatur obscoenis saepe sermonibus. cf. Carm. III, 6, 23. — *orientia tempora*] subolem. — *aegrum*] animi aegrum, sollicitum. — *chorus*] puerorum et puellarum; vide ad Carmen Saeculare. — *unde*] a quo, ut Carm. I, 12, 17. — *praesentia*] vide ad Carm. I, 35, 2. — — *sentit*] eventu cognoscit, ut Carm. IV, 6, 3. — *implorat*] implorando impetrat. — *aquas*] cf. Carm. Saec. 31. Carm. III, 10, 19. Romani si aquae inopia premebantur, instituebant sacra Iovi Pluviali, aqualicia dicta, et nudipedalia agebant. — *Manes*] sunt

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam
In rabiem coepit verti iocus et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti, fuit intactis quoque cura
Condicione super communi, quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi; vertere modum formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille

di inferi, ut Virg. Georg. IV, 535. Aen. XII, 646. — *fortes*] Sat. II, 2, 115. Virg. Georg. II, 472. — *sociis operum*] non servis, sed ipsis filiis et uxore. cf. Epod. 2, 39. Quare reiicienda lectio est *operum et pueris*. — *piabant*] propitios sibi reddebant. De *Silvano* vide Epod. 2, 22. — *Genium*] Epist. II, 2, 187. Genio tribuitur memoria brevis aevi, quae propria est homini; sed Genius, perpetuus hominis comes, qui gignitur cum homine et moritur, eandem vitae producendae curam habet quam homo. Censorin. 3: »Genius ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitae diem comitetur.«

V. 145. *Fescennina*] cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 695: »Fescennium oppidum est (Etruriae prope Tiberim), ubi nuptialia inventa sunt carmina.« cf. Liv. VII, 2, 7. Plin. H. N. III, 5 urbem nominat *Fescenniam*. Alii versus non ab illa urbe dictos putant, sed a vv. *fascinus, praefiscini, βασκαίνειν*, ut sint versus fascini, i. e. invidiosae orationis pleni, procaces et licentiores. — *recurrentes*] quotannis grata. — *rabiem*] cf. A. P. 79. — *impune minax*] legibus de malis carminibus nondum constitutis. — *dente*] cf. Epist. I, 18, 82. — *malo carmine*] Sat. II, 1, 82. — *describi*] *χαραχτηρίζεσθαι*. Sat. I, 4, 3. — *vertere modum*] vide ad Carm. III, 30, 14. — *fustis*] intelligendum de supplicio fustuario, ut Liv. V, 6 extr. Cfr. Sat. II, 1, 82 sq. Cic. Tusc. IV, 2. — *Graecia capta*] Ovid. Fast. III, 101: »Nondum tradiderat *victas* victoribus artes Graecia, facundum, sed male forte genus.« Porcius Licinius apud Gell. XVII, 21, 45: »Poenico bello secundo Musa pinnato gradu Intulit se bellicosam *in Romuli gentem feram*.« — *intulit*] eodem modo dictum quo dicebant *arma, bellum inferre*. — *Saturnius*] Festus s. v. *Saturnius*: »Versus antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse homini-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Defluxit numerus Saturnius et grave virus
Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevu
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferr
Tentavit quoque rem si digne vertere posset,
Et placuit sibi, natura sublimis et acer:
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
Sed turpem putat in scriptis metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere

bus videtur, Saturnii appellantur.« Hermann. Epit. doctr. metr. p. 214: »Numeros habet hos: »»Dabúnt malúm Metélli — Naévió poétae.«« Sed et caesuram saepe neglexerunt rudes isti poetae et omni genere solutionum usi sunt.« — *munditiae*] elegantior et versuum et sermonis habitus; nam *grave virus* rusticitatem carminum significat. Spreto numero Saturnio Ennius hexametro heroico usus est. — *hodieque*] Nam tum quoque lima saepe desiderabatur ac litura in carminibus Romanis, quamquam non iniuria interpretes de carminibus Fescenninis et de mimis Atellanisque fabulis locum intellexerunt. — *serus*] sc. Romanus. Ritterus nuper unum intellexit L. Accium, tragoediarum scriptorem, natum a. u. 584, mortuum circa a. u. 670; qui si recte vidisset, Horatius certe vituperandus esset quod obscura aenigmata, non perspicuos versus et Augusto et omnibus qui deinde legerent proposuisset. — *quietus*] Coniunge cum *post Punica bella*: compara quae v. 93 de Graecia dicta sunt. — *Thespis*] A. P. 276. Tragoediarum inventor fuisse dicitur, aequalis Solonis et Pisistrati: quem tamen nihil scripsisse probabile est. — *tentavit*] periculum fecit, num ipse digne imitari posset. Accusativus autem *rem* ad utrumque verbum *tentavit* et *vertere* referendum videtur. — *natura sublimis*] Quintil. I, 8, 8: »Plerique (Latini veteres) plus ingenio quam arte valuerunt.« — *spirat*] cf. Carm. IV 19. — *audet*] de audacia ant rum poetarum Romanorum in ponendis formandisque novis bulis; nam in personis et argu tis exemplaria sua Graeca ple que sequebantur. — *turpem*] tae Romani satis altam audent teriam comprehendere, sed tu putant longam lituram; et hae causa cur ingenia Latinorum possunt pervenire (ad perfecti Comm. Cruq.), quia scilicet erubescunt et timent emenda polire longa litura quod scr runt.« Acro. — *in scriptis*] tui lectionem Goth. 2 et qua codd. Cruq., in quibus est B antiquissimus; alii *inscite* vel *tiae*: illud tamen rectius, nam tius cum hoc dicat, in Romani tis inesse ingenii poetici et audaciae, desiderari lituram e ram scriptorum iam poem quippe quae *turpis* habeatur *aliena ab ingenioso poeta*, id ut certamen statueret inter fa tem et voluntatem, inter inge et laborem, inter animum p satis aptum et ornatum et negl tiam, qua quaecunque semel sc essent, intacta et incorrecta querentur. Verbis igitur *in sc* carere non possumus nec ben dit Bentleius, qui scholiastas que *inscite* (vel quod ipse ex iectura scripsit *inscitus*) legisse tavit: nam verbo *stulte* apud s non magis *inscite* probabitur

Sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi;
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis;
Quam non adstricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reduxit opimum.
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,

ex eorundem extremis verbis *quod scripserunt* quidquam accrescet auctoritatis verae scripturae. — *arcessit*] Digna est quae accuratius expendatur lectio antiquissimi cod. Bland., trium aliorum codd. Cruquii, unius Pulmanni, Goth. 2 et scholiastarum *accessit*, cuius nec Bentleius nec Orellius mentionem fecit. Si recta est, *res* nominativus est. Suspicatus est Linkerus, fuisse fortasse *accersit*. — *veniae minus*] Etenim cum res ex communi vita sumptae sint, ubi quid peccatur, quisque statim videt. — *Plautus*] Tota haec laudatio Plauti ironica est; etenim Horatio, elegantis viro iudicii et graecis exemplis culto, in sustinendis partibus non satis facit. De Plauto vide A. P. 270 sqq. — *partes tutetur*] cf. A. P. 193. Sat. I, 10, 12. Vituperatur Plauti in partibus describendis inconstantia. Quare Porphyrion *quo pacto* explicat *incongrue*. — *Dossennus*] »Atellanarum scriptor.« Comm. Cruq. »Persona comica.« glossa cod. Eins. Posterior explicatio si vera est, optime cum Ritschelio Parerg. I. praef. p. 13 interpretaberis: »Quantus ipse (Plautus) scurra sit in scurris parasitis describendis.« Fuerunt enim in fabulis Atellanis certae quaedam personae ut Maccus, Pappus, Bucco. *Wissowa* tamen (progr. Wratislav. 1865) probare studuit, Dossennum fuisse scriptorem comoediarum palliatarum, ut Plautus, Caecilius, Terentius. — *socco*] A. P. 80. Significatur rude ac negligens scribendi genus, quo Plautus utebatur. — *percurrat*] cf. v. 79. — *pulpita*] A. P. 215. 279. — *stet*] *stare* proprie dicuntur fabulae, quae placent; *cadere* quae displicent et explodi[untur]. *Recto talo* stare est firmiter stare, ut Pind. Isthm. 6, 12: »ὀρθῷ ἑστασας ἐπὶ σφυρῷ.«

V. 177. *Gloria*] cf. Sat. I, 6, 23. Virgil. Aen. XI, 708. Hor. Epist. I, 8, 12. 19, 37. Contra eos, qui quaestus faciendi causa fabulas docuerunt, alios ponit, quibus laudem quaerentibus multo maiores difficultates superandae sunt. Gloriae autem currus *ventosus* est, quia ipsa inconstans ab arbitrio imperitae saepe multitudinis pendet. — *macrum*] »tristem; *opimum*, reddat laetum.« Comm. Cruq. — *reduxit*] cf. Carm. IV, 2. 17. — *Saepe etiam*] Magna sane audacia opus est poetae, ut fabulas in scenam mittere suamque artem iudicio

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo
Sive elephas albus vulgi converteret ora;
Spectaret populum ludis attentius ipsis
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura,
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quae pervincere voces

levis populi tradere velit; sed aliud est obstaculum, quod audaces etiam terreat artemque scenicam magnopere premat; nam maior populi pars alios ludos quaerit, scenicos contemnit. — *discordet eques*] equites enim doctiores esse solebant. cf. Sat. I, 10, 76 sq. A. P. 113. 248. — *ursum*] cf. Liv. XLIV, 18. — *gaudet*] Sic antiquiss. Bland. cum tribus aliis Cruquii, plurimi Pottierii, Montepessul. aliique Orellii; alii in iisque tres Blandinii *plaudet*, alii *plaudit*. — *equitis*] Sic omnes libri MSS. Bentleii coniecturam *equiti* probarunt Meinek. et Linker. — *incertos oculos*] qui cum diversis splendidisque rebus capiantur, ab altera re ad alteram errant in nullaque consistunt nullaque diu delectantur. — *premuntur*] Aulaea ante proscenium demittebantur ex alto humique iacebant quamdiu in scena agebatur; finita fabula in altum trahebantur. A. P. 154. Queritur igitur Horatius, quod quattuor longas horas populus potuit delectari magnificis pompis, splendida pugnarum in theatris imitatione, omnibusque iis rebus quae veram artem perdunt oculosque falsa oblectatione deleniunt. — *trahitur*] triumphus agitur in scena. — *ebur*] Liv. XXXVII, 59. Possis tamen etiam eburneas statuas intelligere, nam *captiva Corinthus* significat vasa ex aere Corinthio confecta. — *Democritus*] vide ad Epist. I, 12, 12. — *panthera*] Significat camelopardalin (Giraffe), quae Caesaris dictatoris ludis Circensibus Romae primum visa est. *Genus* appositio est. — *elephas albus*] quia hi rariores. — *ludis ipsis*] quam ipsos ludos. cf. ad Carm. IV, 14, 13. — *mimo*] pro quovis histrione. Ceterum Cruquius: »Div. Tons. Mart. Sil. codd. habent *mimum*, quae lectio videtur anteponenda vulgatae. Blandin. antiquiss. legit *nimio*, quod nec displicet. Reliqui libri scripti sequuntur vulgatam lectionem.« *Nimio* repertum est etiam in Goth. 2., probatum Haupt., Meinek., Pauly., Linker.; sed vulgatam recte retinuerunt Doederlin., Krueger., Ritter. — *asello surdo*] Ex proverbio (tauben Ohren predigen). Compara Graecum: »Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἔκτινει.« Et cum hoc coniunxit alterum *surdo narrare fabulam*, Terent. Heautont. II, 1, 10. — *theatra*] pro hominibus, qui in thea-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis modo ponit Athenis.
Verum age et his, qui se lectori credere malunt
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar,
Ut studio maiore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae, —

tris sunt; ut Cic. de Orat. III, 50, 196: »In his si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, *theatra* tota reclamant.« — *Garganum*] Carm. II, 9, 6 sqq. — *ludi*] pompae. — *artes*] vide ad Carm. IV, 8, 5. — *Divitiae*] splendidae vestes. A. P. 215.

V. 208. *ac ne*] Iam ne quis credat ipsum propterea artem scenicam Romanorum vituperare, quod in ea neque elaboraverit unquam neque possit elaborare, quanti eam recte cultam aestimet ostendit. — *maligne*] parce, parum. — *per extentum funem*] »rem difficillimam facere.« Porphyr. Arrian. Epict. 3, 12: »Ἀνάσχολόν ἐστι καὶ τὸ ἐπὶ σχοινίου περιπατεῖν· καὶ οὐ μόνον ἀνάσχολον ἀλλὰ καὶ ἐπικίνδυνον.« Describit deinde quid scenicus poeta in animos audientium valeat. — *inaniter*] quia ficta res; id quod poetae scenico difficultates auget. — *Thebis, Athenis*] nam ex his urbibus longe plurima pars fabularum, quae a poetis tractabantur, petebatur. — *verum age*] Descripta mala condicione, qua scenici poetae Romae utantur, ad reliquos poetas transit non maiore favore populi gaudentes eosque Augusti benevolentiae commendat. — *et his*] etiam his. — *curam redde*] post pacatum orbem Romanum curam quam olim habuisti his rebus, redde. Quod Bentleius in uno cod. reperit *impende* atque adeo recepit, ex glossa repetitum esse sentis. Ad explanandam sententiam comparari potest similis certe locus Carm. II, 1, 10 ad Pollionem, eo quidem discrimine, ut Pollio ad scribendum, Augustus ad curam denuo scribentibus impendendam revocetur. — *munus Apolline dignum*] vide ad Carm. I, 31. Epist. I, 3, 17. Dio Cass. LIII, 1: »τὸ Ἀπολλώνιον τό τε ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων ἐξεπόνησε καὶ κατέρωσε.« —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ut vineta egomet caedam mea, — cum tibi libru
Sollicito damus aut fesso; cum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum
Cum loca iam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros et tenui deducta poëmata filo;
Cum speramus eo rem venturam ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas et egere vetes et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, quales
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus indigno non committenda poëtae.
Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma

multa quidem] Excusat Augustum, quod interdum minorem curam quam exspectari debebat impendisset, et culpam confert in ipsorum poetarum vanitatem et invidiam. — *ut vineta*] »Proverbium in eos dicitur qui sibi volentes nocent.« Comm. Cruq. Similiter Tibull. I, 2, 98: »quid messes uris, acerba, tuas?« — *sollicito*] cf. Epist. I, 13, 3 sq. cf. Sat. II, 1, 18. — *irrevocati*] ab histrionibus hoc sumptum. Cic. pro Sext. 56, 120: »Revocabatur ab universis (Roscius).« — *non apparere*] non intelligi ab audientibus neque recte aestimari. — *deducta*] vide ad Sat. II, 1, 4. — *operae pretium*] vide ad Sat. I, 2, 37. Docet Augustum recte dissimilem esse Alexandri magni, qui malum poetam regaliter remuneratus sit: scilicet non omnes dignos esse qui magnas res domi militiaeque gestas describant. — *aedituos*] sacrae aedis tutores, ἱεροφύλακες, νεωκόροι; qui curant aedes sacras; h. l. sunt laudum custodes et enarratores. — *virtus*] Augusti. Comment. Cruq.: »dignum ut cognoscamus, quis poetarum gnus sit scribere tua facta.« — C *rilus*] A. P. 357. Non Samius, Iasensis, Alexandri magni come laudator. Auson. Epist. 16, 3 Probum: »Cumque ego imitatus vesaniam Choerili, tu ignoscas gnanimitate Alexandri.« Peerlka (ad A. Poet. 357) corrigendum censuit *illi*, quam coniecturam bavit Doederlinius; scilicet la dici *Plato ille Atheniensis*, non *Plato ille*. De qua re praeter ratium Sat. I, 2, 55 compara nel. Nepot. Thrasyb. 4: »Pitt ille, qui septem sapientum nun est habitus«; eundem Dat. 2: Pylaemene illo, quem Homerus T co bello a Patroclo interfectum Cic. Imp. Cn. Pomp. 9: »ex eo Ponto Medea illa profugisse tur.« Cic. Cat. IV, 21: »L. Pa ille, cuius currum Perses rex h stavit.« Nihil igitur mutandum *Philippos*] »nummos qui Phil vultu essent signati.« Acro. —

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem
Pingeret aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quodsi
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotum in crasso iurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se iudicia atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae;
Nec magis expressi vultus per aënea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere et arces
Montibus impositas et barbara regna tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,

ctata] »contrectata, contactu maculant et polluunt.« Comm. Cruq. — *linunt*] cf. Epist. I, 19, 30. — *Apellem*] Apelles Cous. Cic. de Off. III, 2 extr. *Lysippus* Sicyonius. De ablativo vide ad Epist. I, 16, 20. — *duceret aera*] Epist. I, 6, 17. Poetice dictum pro eo quod est apud Plinium H. N. VII, 37: »Idem hic imperator edixit, ne quis ipsum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus *ex aere duceret.*« — *simulantia*] accurate exprimentia, ut A. P. 20.

V. 242. *videndis artibus*] diiudicandis. Artes et libri (poemata, ut A. P. 345, Musarum dona) inter se opponuntur. cf. Carm. IV, 8, 5, ubi *artes* simplici ratione contra *carmina* ponuntur. Nimis acute Doederlinius interpretatus est, *artes videndas* h. l. esse eas quae visu percipiantur, ut pingendi, sculpendi; reliquas, ut poesim, cantum vocum et nervorum, auditu percipi. — *Boeotum*] Cic. de Fat. c. 4: »Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani.« cf. Corn. Nep. Alcib. 11, 3. Epam. 5, 2. *Boeotum* genitivus est pluralis numeri, non accus. sing., quod alii voluerunt. — *natum*] Alexandrum. — *At neque*] Rectius iudicat Augustus quam Alexander; ii enim, in quos ille beneficus fuit et largus, digni erant beneficiis et muneribus. — *multa cum laude*] ita ut tibi danti multa inde evadat laus. — *Virgilius Variusque*] Uterque iam mortuus erat; beneficia in mortuos bene laudantur; de vivis hoc dicere pudor vetuisset. Ceterum Comm. Cruq. scribit: »Quia iam his singulis donaverat Augustus decies sestertium.« Tota autem Aeneis illustravit laudem Iuliae gentis, imprimis clarissimus locus Aen. VI, 883 sqq. Varius panegyricum in Augustum scripsit. — *nec magis*] cf. Carm. IV, 8, 13 sqq. Cic. pro Arch. 12, 30. — *sermones*] vide supra p. 336. Similis est excusatio, cur abstineat a laudandis magnis rebus gestis Augusti, Carm. I, 6. IV, 15. — *montibus impositas*] cf. Carm. IV, 14, 12. — *tuis auspiciis*] cf. Carm. IV, 14, 33. Sueton. Octav. 21: »Domuit partim ductu partim

Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque: sed neque parvum
Carmen maiestas recipit tua nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget,
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium quod me gravat, ac neque ficto
In peius vultu proponi cereus usquam
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, item Raetiam et Vindelicos et Salassos.« — *Ianum*] vide ad Carm. IV, 15. p. 280. — *Parthis*] cf. Carm. III, 5, 2 sqq. Carm. Saec. 54. Sat. II, 5, 62. Epist. I, 12, 27. — *neque parvum*] cf. Sat. II, 1, 12. Carm. III, 3, 72. 25, 17. IV, 2, 27 sqq. — *recusent*] cf. A. P. 39. — *urget*] idem quod *gravat* v. 264. — *discit enim*] »Imperitus laudator, dum nimium studiose laudat, magis vulnerat et atterit amici gloriam, si malis versibus id agat, quam commendat; citius enim quis memoria complectitur quod ridiculum est quam quod est admiratione dignum.« Comm. Cruq. — *nil moror*] »Ego, inquit Horatius, nolim decorari turpibus versibus, ne pingui i. e. stolide composito munere donatus rubeam et cum meo scriptore h. e. laudatore deferar in vicum vendentem thus cet.; multo porro minus tu, o Auguste, id voles.« Glareanus. — *in peius*] Plin. Ep. V, 10: »Ut pictores pulchram absolutamque formam raro nisi *in peius effingunt*.« — *cereus*] cf. Sat. II, 3, 183. »Probabile est Horatii temporibus cereas imagines virorum illustrium, ducum, oratorum, poetarum, philosophorum, venales fuisse per tabernas, quae ab emptoribus in bibliothecis maxime proponerentur.« Orellius. — *porrectus*] »quasi mortuus in feretro deferar in vicum thurarium.« Acro. — *aperta*] tanquam cadaver ignobile, quod ne tegitur quidem. In multis et bonis libris ex frequenti confusione *operta*, quod quibus placet, iis videndum est male laceratum ac foedatum cadaver, quod ne oculos praetereuntium laedat iniectis stragulis tegitur. Altera tamen lectio magis ad libros accommodata est, qui si boni essent caute contegebantur, si viles, aperti iacebant. *Aperta* scripserunt etiam Meinek. Krueger. Doederlin. — *vicum*] vide ad Epist. I, 10, 20. Sat. II, 3, 227. — *odores*] res odoriferas, unguenta. — *quidquid*] Martial. VI, 60. »Quam multi tineas pascunt blattasque diserti! Et redimunt soli carmina docta coqui.«

Epistola II.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: „Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos
Fiet eritque tuus nummorum milibus octo,
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti

Epistola II.

Iulius Florus Tiberio Neroni ut in Armeniam proficiscenti (Epist. I, 3) ita expeditionem in Dalmatas et Pannonios a. 743 facienti comes fuisse videtur. Nimirum diversum huius epistolae tempus est a tempore tertiae libri primi; nam aliter cur poeta egregiam hanc epistolam non primo statim libro addiderit, quis rectam causam possit invenire? Conquestus igitur erat Florus, quod ab Horatio neque epistolam ullam neque carmina diu iam desiderata accepisset. Cui quidem excusaturus se poeta ita hac epistola animum aperit, ut nulla alia quidquid de suis rebus, de vitae suae rationibus, de poetica facultate, de philosophia sentiret liberius aut plenius videatur exprompsisse. Ac primum quidem quod nihil ad Florum scripserit litterarum, lepido mangonis exemplo (v. 22), quod nihil miserit carminum, proposita de Luculliano milite narratione excusat (v. 40); dein addit quasi quandam tabulam vitae suae ac poeticorum studiorum; ostenditque quibus causis olim ut poesim amplecteretur perductus sit quibusque nunc ut eam relinquat permotum se sentiat. Excusat enim suam aetatem, fastidia lectorum, quorum alius alia exspectet ac probet, turbulentam vitam inter strepitum molestaque negotia Romana (v. 86), taedium, quod misera et insulsa versificatorum quibus tum Roma abundabat mutua laudatio et adulatio debeat excitare (v. 109), ingentes difficultates quae superandae sint homini tolerabilia nedum perfecta et absoluta carmina emittere cupienti, ut beatius prope habendum sit illud genus poetarum, quod mentis acie captum neque sua pervideat vitia et sibi placeat (v. 140); studium denique sapientiae, cui quidquid sibi vitae relictum sit tradere iam constituerit. Sic exit epistola in aurea quaedam praecepta recte vivendi, saepius iam in epistolis proposita sed ingeniose descripta et semper vera. Scripta videtur viris doctis anno 743.

V. 1. De primi versus negligentiore forma cf. ad Epist. I, 9, 4. De Tiberio iuvene vide ad eandem epistolam. — *Tibure*] Noli quaerere cur Tibure vel Gabiis natum puerum maluerit proponere quam alium; est enim puer peregrinus et incognitus; sed poetis certa imagine opus est. Ceterum admirare artem Horatii in describendis ac tuendis mangonum et mercatorum merces suas laudantium moribus conspicuam. cf. Cic. de Off. III, 17, 71. — *candidus*] non ad animum referendum sed ad corpus. Nudi autem venales ab emptu rientibus spectabantur. Senec. Epist. 80, 9: »Mangones quidquid est quod displiceat aliquo lenocinio abscondunt; itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum sive brachium aspiceres, nudari iuberes et ipsum tibi corpus ostendi.« — *milibus octo*] 763 flor. Rhen. — *litterulis*] Cautus est mango in laudanda pueri cognitione litterarum graecarum; inde deminutiva forma et voc. *imbutus*. cf. Sueton. de gramm. 4: »Apud maiores, ait Orbilius, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem *litteratum*, sed *litteratorem* inscribi solitum esse,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.
Res urget me nulla: meo sum pauper in aere.
Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
Quivis ferret idem. Semel hic cessavit et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae:
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedit;
Ille ferat pretium poenae securus opinor.
Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
Iurgares ad te quod epistola nulla rediret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura

quasi *non perfectum* litteris, sed *imbutum.*« Cic. ad Att. VII, 2: »Chrysippum (servum) propter *litterularum* nescio quid libenter vidi, in honore habui.« Contra Mueller de l. l. demin. p. 54 affirmat, deminutivo significari litterarum graecarum naturam lepidam et delicatam, quoque magis pueri pretium probetur, mangonem illarum iucunditatem monstrare vocabulo deminutivo. — *imitaberis*] »Quidam *imitabitur* legunt, quod est a puero alienum; melius ergo legimus *imitaberis*, ut est in veteribus exemplaribus, ut sententia sit: puer talis est ingenii, ut flectas eum quo velis tanquam argillam udam.« Comm. Cruq. Sic habent omnes Blandinii et tres alii codd. Cruq., Montepess. a prima manu, alii boni codd. — *levant*] »minuunt, leviorem faciunt.« Idem. — *meo in aere*] ut nulli quidquam debeam. Cic. Verr. II, 4, 6: »Video hominem non modo in aere alieno nullo, sed *in suis nummis* multis *esse.*« — *non temere*] vide ad Sat. II, 2, 116. Epist. II, 1, 120. — *ferret idem*] sc. ut tam vili pretio tam egregium puerum venderem: ex vulgari mercatorum more. — *cessavit*] cf. Sat. II, 7, 100. cf. A. P. 357. — *in scalis latuit*] ut primae heri iracun diae se subtraheret. De scalis, solit latebra cf. Cic. Mil. 15. Philipp. II, 9 »(Clodius) se in scalas tabernae li brariae coniecit.« — *habenae*] »haben s. scutica flagellabantur servi, et me dia domo a gradibus ad timorem il lis incutiendum habenae pendebant. Comm. Cruq. — *des*] Est *ἀπὸ δοσις*; vv 2. 3. Horatii sunt, non mangonis. Ete nim a mangone aliena sunt vv. *excepta fuga*, quoniam servum ipse cessato rem vel erronem, non *fugitivum* ap pellare potuit. — *excepta*] Sat. I 3, 286. Et cf. Cic. de Off. III, 17. — *laedit*] Indicativum praetuli cum Ben tleio et Hauptio ex antiquissimo Bland et uno cod. Bentleii. Alii *laedat* cod. Einsiedl. *ledet* (laedet). — *poe nae securus*] non metuens poenan ex actione redhibitoria, quoniam fu gam excepit. *Ille* est mango. — *pru dens*] ut Sat. I, 10, 88. II, 3, 212. 5 58. — *lex*] condicio, formula vendit pueri, ut ipse possis iudicare qua lem emeris. — *insequeris*] vide ad Sat. II, 3, 285. — *rediret*] Sic optim codices, alii *veniret*. Sed agitur d responso frustra exspectato. Eaden scripturae variatio est Carm. IV, 5 31. — *mecum facientia*] cf. Ep. II

Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat; post hoc vehemens lupus et sibi et hosti
Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis,
Accipit et bis dena super sestertia nummum.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid stas?
Post haec ille catus quantumvis rusticus: Ibit,
Ibit eo quo vis qui zonam perdidit, inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.

1, 68. — *carmina*] lyrica. — *mendax*] cf. Epist. I, 7, 2.

V. 26. *Luculli miles*] Porphyrio militem nominat *Valerianum Servilianum*, quod nomen Luculli certe aetate Romanum non fuit. Corruptum igitur videtur. L. Licinius Lucullus bellum gessit contra Mithridatem et Tigranem annis a. u. c. 680—688. — *aerumnis*] Cic. Tusc. IV, 8, 18. — *ad assem*] i. e. ad ultimum assem, tota (bis auf den Pfennig). — *loco deiecit*] loco munito depulit. Cic. Philipp. VIII, 6: »deieci praesidium.« Liv. IV, 53: »deiectis qui in praesidio erant.« — *divite*] De genitivo cf. Carm. IV, 8, 5. — *honestis*] honorificis. Erant autem torques, catellae, phalerae, armillae, hasta pura. Ceterum Paulyus et Linkerus ex cod. Bland. antiquiss. et Goth. 2. *opimis* receperunt, non satis cauti; glossa exorta est ex docta interpretatione; nam satis frequens est apud Latinos *opima praeda* et dicuntur milites *praeda opimi*. Pecunia autem insuper addebatur, ut ostendit insequens versus. — *bis dena*] 1909 Flor. Rhen. — *mentem*] animum, fortitudinem, ut Virg. Aen. XII, 609. Bland. antiquissimus habet *mentis* i. e. *mentes*. — *bone*] vide ad Sat. II, 2, 1. — *laturus*] vide ad Carm. IV, 8, 5. — *zonam*] βαλάντιον, Geldkatze. Lamprid. Alex. Sev. 62: »Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus et satur et habens aliquid in *zona*.« — *Romae*] Idem, inquit, de me quoque iudicandum, nam cet. — *iratus Graiis*] Significantur Homerica carmina, de quarum in scholis lectione locus est Plinii Epist. II, 14, 2: »Sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis.« Quintil. I, 8, 5: »Optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet.« Et cfr. id. I, 1, 12: »A Graeco sermone puerum incipere malo, quia Latinum, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus perbibet, simul quia disciplinis quoque Graecis prius instituendus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βόλου

Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem; sed quod non desit habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?
Singula de nobis anni praedantur euntes:
Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata: quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,

est, unde et nostrae fluxerunt.« — *Athenae*] vide supra p. 3. *Bonae* appellantur Athenae propter gratam memoriam eius temporis, quo erat poeta Athenis. Doederlinius nuper coniunxit *bonae artis*; vereor ne non recte; dicebant *artes* ingenuas, liberales; sed non memini me usquam *bonam artem* eodem sensu legere; plurali numero (bonae artes) sic fortasse usi sunt antiqui, cum apud Nepot. Att. 12 legamus: *optimis artibus eruditus*; vulgo tamen bonae artes contra malas artes i. e. contra calliditates ac fraudes collocantur. — *possem*] Orellius ex bonis codd. scripsit *vellem*, quod sic interpretatur: »ut arderem studio veri reperiendi proprio animi instinctu.« At quod plurima pars codicum (etiam Cruquiani, ut videtur) habet *possem*, non antiquum glossema, sed vera lectio est; nam ut studio veri reperiendi arderet Horatius, patris diligentissima cura et disciplina iam effecerat; contra ut *posset* dignoscere quid esset rectum quid pravum, id addidit postea doctrina philosophorum. — *Academi*] Academia ab heroe aliquo Academo dicta locus erat nemorosus M. P. ab Athenis distans; ibi docebat Plato ab eaque dictae sunt Academicae philosophiae scholae. — *emovere*] Sic optimi codd., omnes Cruquiani; alii *amovere*. — *tulit aestus*] cf. Carm. II, 7, 15. Ceterum construe *civilis aestus* in arma tulit *rudem belli*, alii minus recte *aestus belli civilis me rudem belli*. cf. Carm. IV, 15, 18. III, 8, 17. Ep. I, 2, 8. — *decisis pennis*] cf. Epist. I, 20, 21. De toto loco vide supra p. 5 sq. *Estraeus* (prosopogr. Hor. p. 282) distinxit post *impulit*, ut sit: paupertas causa fuit, ut audax versus facerem, securus reprehensionum, conviciorum etc. Non bene. — *cicutae*] Plin. H. N. XXV, 12: »Cicutae semini et foliis refrigeratoria vis. Fit ex eo ad refrigerandum stomachum malagma. Folia tumorem omnem doloremque sedant.« Est autem *expurgare* sanare, h. l. aestum febrilem refrigerare. cf. Sat. II, 3, 27. — *dormire*] cf. Sat. II, 1, 5 sqq. — *euntes*] vide ad Carm. II, 14, 5. Ceterum compara Epist. I, 1, 4. 7 sqq. I, 7, 25 sqq.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu quod iubet alter:
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter cetera, me Romaene poëmata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque:
Intervalla vides humane commoda. Verum
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris,
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:

— *quid faciam vis*] sc. ut ab annorum rapacitate me defendam. — *carmine*] lyrico cf. v. 91. — *Iambis* Epist. I, 19, 23. — *Bioneis*] »lividis iocis i. e. satira. Sunt autem disputationes Bionis philosophi, quibus stultitiam arguit vulgi, cui paene consentiunt carmina Luciliana. Hic autem Bion, qui sophistes cognominatus est, in libro quem edidit mordacissimis salibus ea quae apud poetas sunt ita laceravit, ut ne Homero quidem parceret.« Acro. Floruit autem Bion Borysthenites, discipulus Theophrasti (cf. Cic. Tusc. III, 26, 62) Olymp. 120, Cyrenaicae, postea Cynicae sectae addictus. — *sale nigro*] Sat. I, 10, 3. II, 4, 74. — *multum diversa*] vide ad Carm. I, 25, 5.

V. 65. *Romaene*] Nonnulli codices et vetustae editiones male *Romae mene*. Sed *Romae* voc. omnem sibi vindicat vim. cf. Sat. II, 6, 33. 60 sqq. I, 14, 8 sq. 17. — *labores*] cf. Plin. Epist. I, 9: »Si quem interroges: hodie quid egisti? respondeat: »Officio togae virilis interfui: sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.« — *sponsum*] Sat. II, 6, 23. Epist. I, 16, 43. — *auditum scripta*] Epist. I, 19, 39. infra 105. — *cubat*] vide ad Sat. I, 9, 18. — *humane*] cum quadam εἰρωνείᾳ, ut nos *hübsch*, Graeci ἐπιεικῶς. Eodem animo quae insequuntur ipse sibi obiicit. Meinekius corruptelae signum apposuit. — *purae*] vacuae obstaculis. Forum enim Romanum, templum Iovis Feretrii, Palatium, Capitolium, loca inter hos montes (Quirinalem et Aventinum) media erant frequentissima. Ceterum pro *verum* in duobus codd. Cruquii est *rerum*, et pro *purae* unus tantum habet *plures*; praeterea Cruquius ex duobus codd. suis *obsit* pro *obstet* praetulit. Particula autem *verum* carere non possumus, quia Horatius haec sibi ipse εἰρωνικῶς obiicit. — *meditantibus*] Carm. III, 25, 5. Sat. I, 9, 2. — *redemptor*] vide ad Carm. III, 1, 35. Quo calidior est redemptor, eo magis cavendum est ne a mulis et gerulis quos secum habet offendaris. — *funera*] cf. Sat. I, 6, 43. — *i nunc*] Epist. I, 6, 17. — *canoros*] A. P. 322. Certant versus canori cum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

I nunc et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contacta sequi vestigia vatum?
Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque et risu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter

rudi plaustrorum, funerum, machinarum strepitu redemptorisque clamore. — *rite cliens*] merito, ut eum decet, cliens. cf. Carm. III, 25, 1. — *contacta*] Sic ex Cruquianis tres Blandinii codd. et quinque alii, tres Orellii, plerique Pottierii, quattuor Schmidii, plures Pulmanni, Montepess., quibus accedit trium scholiastarum auctoritas. Explicandum puto: *Vis me vestigia vatum contingere et sequi*, non *usque sequi donec contigerim*. Nimirum tum demum poeta vestigia vatum sequi potest, cum meditando et animum sublime quasi agendo et ab hoc strepitu removendo illa contigerit. cf. Cic. Tusc. I, 19, 43. Cod. Bland. antiquiss. habet *cantata* cum glossa: »ab aliis prius dicta;« unus Cruquii *cunctata*, unus Bentleii *cinctula*, unus Pottierii *contexta*, plures Orellii *contracta*, Bentleius ex coniectura *non tacta*. Qui *contracta* praetulerunt, interpretati sunt de arta via, qua ad Musas poetis eundum sit, ut ipsi *vestigia* quasi *contrahere* cogantur, ac nituntur illi quidem in Propertii loco III, 1, 15: »Non datur ad Musas currere lata via.« — *Ingenium*] Nam ii etiam, inquit, quibus per longum tempus in loco ab omni strepitu vacuo, ut sunt Athenae, litteris et libris operam dare licuit, eo raro perveniunt, ut spem de se motam expleant, contra mira taciturnitate absorpti in publicum prodeunt et risum excitant populo. *Ingenium* prope positum est pro homine singulari ingenio praedito, quamquam aliud exemplum, quo singularis eius vocabuli numeri hanc habeat significationem, allatum nusquam reperiam. De plurali cf. Epist. II, 1, 88. Sueton. Aug. 89: »Ingenia saeculi sui omnibus modis fovit.« id. Vesp. 18: »Ingenia et artes vel maxime fovit.« Senec. Consol. ad Polyb. 8: »Intentatum Romanis ingeniis opus.« id. Ep. 2 »Certet ingeniis immorari et innutriri opotet, si velis aliquid trahere.« — *vacuas*] quietas, ut Ep. I, 7, 45. — *annos septem*] Recte Orellius docui in hoc numero inesse festivam aliquam hyperbolam, nec proprie esse accipiendum, quasi Horatius hic significaret semet ipsum Athenis septem annos studiis dedisse. — *curis*] meditatione. Cic. Tusc. V, 24, 69. — *statua*] cfr. Lucian. Imag. 1: »ἄχαρις καὶ τῶν ἀνδριάντων ἀκινητότερος ἀποφανεῖ.«

V. 87. *Frater erat*] Iam transit ad molestas hominum doctorum minutas laudationes, quae tantum abest ut alliciant, ut deterreant a scribendo eum, qui recte scribere malit quam laudem sibi colligere aliorum. Sed autem more subito ad eam rem transit exemplo duorum fratrum proposito Romanis haud dubio satis cognito. Ceterum Meinekius: »haec, inquit, quotiescunque legi, non r

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Πέλλας

Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poëtas?
Carmina compono, hic elegos. Mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus! Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem:
Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus apposcere visus,
Fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,

cte dicentis poetae sed misere balbutientis orationem audire mihi visus sum. Quid enim hoc est: Romae olim par fratrum fuit, ut summis se invicem laudibus efferrent? Quae non infantia dicendi est, sed perfecta perversitas, cui mitigandae ne ii quidem aliquid attulisse censendi sunt, qui fratrem de eo qui fraterno amore amat interpretantur.« Itaque locum lacunosum esse censuit eumque, quo est miro ingenii acumine, sic supplevit: »frater erat Romae consulti rhetor, [*uterque alterius laudum sic admirator,*] ut alter alterius sermone meros audiret honores.« In quibus *sic admirator* prorsus ex Horatii more dictum est; cf. Epist. II, 1, 23. Sat. I, 10, 10. Nam ne illud quidem, quod Doederlinius excogitavit, *frater* semel positum, bis cogitandum esse (rhetor quidam, iuris consulti alicuius *frater*, adeo *frater* vel fraterno animo erat, ut cet.), difficultatem, qua locum laborare intelligis, tollit. — *meros honores*] nihil nisi honores, laudes (Complimente). — *Gracchus*] Noli quaerere, utrum Caium significaverit Gracchum an Tiberium; uterque magnus orator Non magis est quaerendum, quem Mucium videre debeamus. Mucii enim plures iuris scientia fuere insignes. — *qui minus*] quomodo minus; Sat. II, 3, 311. 7, 96. — *argutos*] Carm. IV, 6, 25. — *mirabile visu*] Ubi primum convenimus, hac inter nos laude praedicamus superbique incedimus circumspectamusque aedem Apollinis et quae ibi est bibliothecam, sperantes utique nostros libros nostraque simulacra olim illuc delatum iri. — *circumspectemus*] vide ad Sat. I, 2, 62. — *vacuam*] iam patentem et eos quasi exspectantem. — *caedimur*] mutuis laudibus certamus ut gladiatorum (*Samnitium*. Liv. IX, 40, 17) par in epulis divitum hominum. — *ad lumina prima*] usque ad vesperam, cum prima fax incenditur. — *puncto*] A. P. 343. Cic. Tusc. II, 26, 62. Antequam suffragia tabulis dabantur in comitiis, punctis candidatorum nominibus additis cives cui honorem demandare vellent indicabant. — *Callimachus*] Alexandriae vixit Ptolemaeo Philadelpho et Euergete regnantibus. Quintil. X, 1, 58: »Tunc et *elegiam* vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus.« Inde Propertius se Romanum Callimachum appellavit IV, 1, 64. Praeterea hy-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cum scribo et supplex populi suffragia capto;
Idem finitis studiis et mente recepta
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina; verum
Gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsere beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit, quaecunque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant
Et versentur adhuc intra penetralia Vestae;
Obscurata diu populo bonus eruet atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,

mnos, epigrammata, epica carmina composuit. De Mimnermo vide ad Epist. I, 6, 65. Audacissima sane est opinio nonnullorum interpretum vellicari hoc loco ipsum Propertium, quem sane mirum est neque commemorare Horatium usquam neque ab Horatio commemorari. — *cum scribo*] quamdiu ipse carmina compono. — *mente recepta*] ad sanam mentem reversus. — *impune legentibus*] Sic coniunge; nulla enim ab Horatio iis instat poena, cum nihil iam ipse recitaturus sit. Iocose hoc dictum, quoniam ipse nunquam iis recitationibus interfuit. cf. Epist. I, 19, 39. Nam ex v. 67 (*vocat hic auditum scripta*) illud tantum colligi potest, saepe vocatum esse Horatium ad audienda carmina, non potest effici, ut vocantibus obsecutum eum esse credamus. In eo, quod saepe vocabatur, iam satis erat molestiarum. — *ultro*] vide ad Sat. II, 1, 39.

V. 109. *legitimum*] »Legitimum est poema et inventione et compositione et toto genere dicendi artis regulis consentaneum.« Orellius. cfr. A. P. 274. — *censoris*] Scriptorem dicit eodem animo, eadem severitate tabulas suas cereas sumere debere, qua honestus, probus censor tabulas censorias. Totus autem locus ad censoris munus accommodatus est; inde v. *splendoris*, qui est equitum Romanorum (*splendidi* equites), quibus indignis censor equum adimebat; inde *verba movere loco*, nam censor senatorem senatu, civem tribu movere potuit; inde *invita recedant, obscurata eruet. — audebit*] Ab animo impetrabit; ut Epist. I, 2, 40. Sic Graeci τολμᾶν usurpant. Plat. Menex. p. 245. C. — *parum splendoris*] humilia, sordida. — *sine pondere*] inania, sine gravitate. A. P. 320. — *honore indigna*] inhonesta, turpia. — *ferentur*] iudicabuntur, ut Virgil. Aen. VI, 823. Horkelius suspicatus est *fruentur*. — *movere loco*] ut censor, qui indignos senatu vel tribu movet. cf. Sat. I, 6, 20. — *penetralia Vestae*] quamvis invita recedant i. e. quamvis ab animo vix possit impetrare, ut quae scripserit vocabula ipse eiiciat, et quamvis in intima parte aedium vel scriniorum lateant nec quisquam alius iniquum iam tulerit iudicium. Scriptor igitur ipse suorum versuum acerrimus censor erit. cf. A. P. 445 sqq. *Penetralia* aedium recte dicuntur *Vestae*; ibi enim Vestae sacra fiebant. — *bonus*] praestans, egregius, peritus ut A. P. 359. cf. Virg. Buc. 5, 1. Sil. XIV, 453 »bonus ille per artem . . luctari pelago.« Tacit. Ann. I, 3: »Agrippam bonum militia.« — *speciosa*] gravia et si-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas;
Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes Latiumque beabit divite lingua;
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet,
Ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me vel denique fallant,
Quam sapere et ringi? Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos
In vacuo laetus sessor plausorque theatro;
Cetera qui vitae servaret munia recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis

gnificantia. Cfr. A. P. 319. — *priscis*] vide ad Sat. II, 1, 34. cf. A. P. 50. 56. — *situs*] Tibull. I, 10, 50: »Militis in tenebris occupat arma situs.« Senec. Epist. 58: »ex hoc exemplo intelligas, quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit«. cfr. A. P. 61. — *usus*] A. P. 71 sq. Usus est qui verbis quasi vitam dat; inde *genitor* est. — *vehemens*] per synizesim in spondeum coalescit. Alii, quod voce pronuntiandum est, litteris etiam exprimunt scribentes *Vemens*. Imago a flumine petita, cf. Carm. IV, 2, 5. Quod vehemens est flumen, solet esse lutulentum, non liquidum; quod ne fiat in oratione cavendum est. Cic. Brut. 79: »ita *pura* erat (oratio), ut nihil *liquidius*, ita *libere fluebat*, ut nusquam adhaeresceret.« — *luxuriantia*] proprie de arboribus et vitibus. cf. A. P. 447 sq. — *levabit*] expoliet. — *virtute carentia*] Non solum codd. aliquot Torrentii et Feae, ut Orellius adnotavit, habent *calentia*, sed quattuor etiam Blandinii; mire quidem: sed ita legit etiam Comment. Cruq., qui interpretatur *in usu posita*. Etiam Bothius hanc lectionem probavit et *tollere* interpretatus est de patribus infantes natos tollentibus et educantibus. — *tollet*] Intelliges sententiam ex Ciceronis loco Tusc. V, 13, 37 et videbis in eadem metaphora constitisse Horatium. — *ludentis*] Facilitati ita consulet, ut, quantumvis summos labores in scribendo consumpserit, ludere tamen videatur. — *Cyclopa*] vide ad Sat. I, 5, 63. — *ringi*] proprie de canibus rictum diducentibus et dentes ostendentibus. Est igitur »stomachari, cum norim quidem artis praecepta, satisfacere tamen iis non possim.« Interrogandi signum posui cum Doederlinio, Linkero aliis; sententia haec est: »satius est sapere et stomachari interdum de difficultatibus quas movent vitia commissa et corrigenda, quam delirum stultumque haberi ac sibi ipsum plaudere.« Delirantis atque in una re dementis exemplum est Argivus. — *haud ignobilis*] »Hic Lycas dictus est.« Comm. Cruq. — *posset ignoscere*] i. e. facile ab animo impetra-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et signo laeso non insanire lagenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error.
Nimirum sapere est abiectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquar haec tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis: quod quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem di donarent, illi decedere pravam

ret cet. — *signo laeso*] cf. Martial. IX, 88, 7: »Nunc signat meus anulus lagenas.« — *rupem*] cf. Sat. II, 3, 59. A. P. 457 sqq. — *opibus*] auxilio, ope; ut Epist. I, 10, 36. — *helleboro*] Sat. II, 3, 82. — *bilemque*] De part. *que* vide ad Carm. I, 15, 34. — *meraco*] puro. Pers. 4, 16: »Anticyras melior sorbere meracas.« — *occidistis*] Sic Terent. Phorm. IV, 2, 67: »Geta, occidisti me tuis fallaciis.«

V. 141. *sapere*] ad sapientiae praecepta vitam componere. Epist. I, 2, 40. — *nugis*] ludicris. Epist. I, 1, 10. — *tempestivum*] Dativum *pueris* refer et ad *temp.* et ad *concedere*. cf. Cic. Tusc. I, 45, 109. Ovid. Met. V, 500. ac praeterea Hor. Epist. I, 14, 36. Doederlinius *tempestivum* collocatum putat ut apud Tacit. Dial. 14: »Num parum *tempestivus* interveni secretum consilium tractantibus?«, ut cogitando addas *me* vel *quemque*. Non recte, nam *tempestivum ludum* dici ipse versus docet. — *ac non*] »Ubi alicui notioni alia quae negatur definitionis causa adiungenda ideoque in aequo ponenda est, eam Latini non per *nec* sed per *ac non* tum nectunt, cum inter utramque intercedit oppositio recta, in qua etiam copulam omittere licet.« Hand. Turs. T. I. p. 473. cf. Sat. II, 3, 135. Epist. I, 10, 46. — *verba sequi*] Carmini componendo operam dare; cfr. A. P. 240. — *recordor*] prima significatione: in mente agitare, reputare. — *lymphae*] cf. Carm. II, 2, 13 sqq. Diogenes ap. Stob. X, 46. p. 131: »Διογένης ὁμοίου τοὺς φιλαργύρους τοῖς ὑδρωπικοῖς· ἐκείνους μὲν γὰρ πλῆρεις ὄντας ἀργυρίου ἐπιθυμεῖν πλείονος, τούτους δ' ὕδατος, ἀμφοτέρους δὲ πρὸς κακοῦ.« Est conclusio a minori ad maius, ut Epist. I, 2, 37. Ad rem compara Carm. III, 16, 17 sqq. Epist. I, 1, 53. Sat. I, 1, 65 sqq. II, 3, 108 sqq. — *fugeres curarier*] vide ad Carm. I, 1, 8. — *donarent*] In paucis codd. ex mendo *donarunt* vel *donarant*; inde Bentleius fecit *donarint* eumque multi sunt secuti. Non bene; obstat *au-*

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Stultitiam; et cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est quod quis libra mercatus et aere est,
Quaedam, si credis consultis, mancipat usus;
Qui te pascit ager, tuus est, et vilicus Orbi,
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis
Aut etiam supra nummorum milibus emptum.
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emptor Aricini quondam Veientis et arvi

dieras. cf. Virg. Aen. I, 20. — *ex quo*] Hand. Turs. II. p. 648: »Cicero non dixisse videtur *ex quo* hac quidem temporis significatione, sed *ex quo tempore*. Apud Livium nihil frequentius.« — *plenior*] Carm. II, 12, 24. IV, 12, 24. — *monitoribus*] »iisdem hominibus de trivio, quibus opulentiae laudatoribus iam semel credendo deceptus es.« Porphyr. — *cupidum timidumque*] Epist. I, 2, 51. Carm. II, 16, 15 sq. — *mercatus*] Recepi cum Cruquio, Bentleio et Hauptio lectionem cod. Bland. antiquissimi, quamquam reliqui tres Bland. habent *mercamur et aere*, ceteri Cruquiani sequuntur vulgatam *mercatur et aere*. Comprobatur autem nostra lectio aliis etiam non malis codd. Doederlinius scripsit vulgatam lectionem, germanice reddidit rectam. Indicatur mancipatio i. e. imaginaria quaedam venditio, ut est apud Gaium 1, 119, eaque res agebatur non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam tenebat et libripens appellabatur. — *mancipat*] mancipio dat. »Nec solum per mancipationem sed etiam per usucapionem proprietas acquiritur.« Comm. Cruq. Ulpian. Fr. 19, 8: »Est dominii adeptio per continuationem possessionis anni vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii.« — *vilicus Orbi*] Orbius ignotus latifundiorum possessor. De re Comm. Cruq.: »ager qui te pascit, quamvis alterius sit proprietas, tamen tuus est quia eo uteris et fructus percipis.« Nam accepto a te pretio vilicus tibi fruges vendit; tu igitur vere dominus es, ille videtur esse, eo insuper discrimine ut tu, hodie cum uvas, cras pullos, deinde frumenta et vina emas, paulatim merceris totum agrum quem possessor trecentis milibus simul solutis sibi emit. — *daturas*] Sic habent quattuor Bland., duo alii Cruquiani, quattuor optimi Bentleii, alii. In multis aliis codd. est *daturus*. — *modo isto*] Lachm. ad Lucr. p. 197: »neque Horatius dixit *nempe modo isto* sed *modo sto*. Sic in Aen. VI, 389 Mediceus prima manu *iam stinc*, in M. Tullii Accus. I, 47, 123 Vaticanus *quem ammodum ste* . . Maior pars poetarum post vocabula iambica nullis aliis locum concessit nisi quae aut monosyllaba essent et gravia aut hyperdisyllaba post primam syllabam acuta.« — *emptor*]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Emptum coenat olus, quamvis aliter putat; emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aënum:
Sed vocat usque suum, qua populus assita certis
Limitibus vicina refugit iurgia: tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis hora
Nunc prece nunc pretio nunc vi nunc morte suprem
Permutet dominos et cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus et heres
Heredem alterius velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
Praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter

Coniunge *emptor quondam*. Vide ad Carm. III, 17, 9. Neque, inquit, qui agrum emit et suum dicit, minus emptis rebus vescitur et fruitur quam tu, qui, quae quotidie necessaria sunt, quotidie coëmere soles. Memorabilis tamen multorum et antiquissimorum codicum lectio *quoniam*, a Cruquio recepta neque omnino spernenda, dummodo commate posito post v. 166 interrogationis signum collocetur in fine versus 169. — *Veientis*] Veii hodie est *Isola Farnese*. De *Aricia* vide ad Sat. I, 5, 1. — *usque, qua*] »usque ad eum locum, ubi populus terminos agri signat.« Comm. Cruq. — *populus assita*] Aegrotius p. 2274 Putsch: »Assita arbor est cui incolumi aliud quod sustineat adiungitur. Horatius: *qua populus assita surgit*, quippe quae vitibus maritaretur.« Rectius tu coniunge *assita certis limitibus* i. e. ad limites plantata, ita ut iam dubitari nequeat ubi limites sint. Cfr. Virg. Eclog. 9, 7. Varr. R. R. I, 15: »Praeterea sine septis fines praedii sationis notis arborum tutiores fiunt, ne familiae rixentur cum vicinis ac limites litibus iudicem quaerant. Serunt a circum pinus, alii cupressos, alii mos cet.« — *refugit*] *ἀορίστως*. Vi ad Carm. I, 1, 4. Horkelius ne habe mus arborem, ita pacis amantem, malit radicitus aliorsum transmigr re, quam vicinorum iurgiis interes coniecit scribendum *refringit*, qu Meinekius in versum recepit.

V. 177. *vici*] rustici, i. e. villa Cic. ad Att. I, 3. »Quod si assequ Crassum divitiis supero atque om um vicos et prata contemno.« — *labris*] cf. Epod. 1, 27. — *metit*] Car IV, 14, 31. Ad sententiam compa Carm. II, 3. II, 14. II, 16. II, 18, sqq. — *Tyrrhena sigilla*] signa Tusc nica aerea, parva deorum simulacr ob antiquitatem ut videtur quaesit — *Gaetulo*] Afro. cf. Carm. II, 16, 3 — *sunt qui*] vide ad Carm. I, 1, 3. sententiam compara Carm. II, 2. 10. II, 16, 33 sqq. II, 18. III, 1, 41 sq III, 16, 17 sqq. — *curat*] Sic recte sc bitur ex communi prope auctorita codicum; pauci coniunctivum *cur* praebent. — *cessare*] otiari et iucun vivere. Epist. I, 7, 57. — *Herodis*] M

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar et ex modico quantum res poscet acervo
Tollam, nec metuam quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus an neque sumptum
Invitus facias neque plura parare labores,
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domus procul absit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.

gni, mortui a. u. 750; cui magna pecunia rediit ex palmetis ad Hiericuntem (»palmis consitam, fontibus irriguam.« Plin. H. N. V, 14). — *Genius*] vide ad Epist. II, 1, 144. Dicit igitur Horatius eam ingeniorum diversitatem positam esse in naturae humanae quodam arcano, quod intellectum hominum fugiat. — *natale astrum*] vide ad Carm. II, 17, 17. — *albus* et *ater*] vel laetus vel moestus. — *ex modico*] cf. Carm. I, 31, 17. III, 16, 37. III, 29, 55. Sat. II, 6, 1. cf. etiam Sat. I, 1, 51. — *datis*] relictis a me. — *scire volam*] tamen, inquit, cavebo ne in contrarium vitium incidam. — *plura parare*] vide ad Sat. I, 1, 92. — *Quinquatribus*] Quinquatrus dies erant festi in honorem Minervae a. d. XIV. Kal. April.; quos pueri etiam otiosi ludis et iocis dicabant; nam ludi litterarii clausi erant. — *pauperies immunda domus*] Sic plerique codices; alii habent *procul domus*, alii *domus procul*, *domo procul*, *procul procul*, aliquot etiam *immunda procul* manco versu. In qua varietate codicum complures critici satis probabiliter suspicati sunt, excidisse in vetustissimis codicibus Horatianum vocabulum lacunamque varie expletam esse a grammaticis. Nam *immunda pauperies* satis definita est (cf. Carm. III, 16, 37. III, 29, 57 sq.), ut languidus videatur, si accedat, genitivus *domus*; neque quidquam ponderis addit ablativus *domo procul*, quoniam misso eo nihil plane desideratur. Satis probabilis est coniectura I. M. Gesneri *immunda modo procul*, quamquam apud Horatium *modo* duas breves syllabas efficere solet. Sat. I, 1, 16. 17. 2, 16. 74. 3, 7. Meinekius tamen Gesneri correctionem *modo* comprobat, docens, Horatium in satiris quidem tam negligentem fuisse positionis, ut ne ante mutas quidem consonas breves syllabas produxerit (Sat. I, 2, 30. 71. 3, 44. 140. 4, 5. 35. 10, 72. II, 2, 36. II, 3, 43. 296.), in reliquis ne semel quidem hanc sibi licentiam sumpsisse. Ieepius scribere maluit *modo ut*. Duentzerus coniecit *mihi procul*, Bentleius recepit *procul procul* ex uno cod. Pulmanni idemque placuit Doederlinio, quamquam recte iudicatum est a Gesnero et Meinekio, conduplicationem παθητικωτέραν esse nec satis aptam huic loco. Simile exem-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Non agimur tumidis velis Aquilone secundo:
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris;
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cetera iam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exempta levat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis atque bibisti;
Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

plum corruptionis est Carm. IV, 6, 17. — *tumidis velis*] Carm. II, 10, 23. cf. Epist. I, 1, 92 sq. Ex particula *tamen* vides qua ratione haec vivide prolata sententia coniungenda sit cum insequenti apodosi. — *aetatem ducimus*] cf. Epod. 17, 63. Cfr. Anthol. Pal. II, p. 310: »Μήτε με χείματι πόντος ἄγοι θρασὺς οὐδὲ γαλήνης Ἀργῆς ἠσπασάμην τὴν παλινηνεμίην . . . . , κακὰς ἔχθαιρε Θυέλλας· Εἰσί τίνες πρηεῖς καὶ βίοτον Ζέφυροι.« — *Non es avarus*] Praecipit sapientem non esse eum qui liber sit ab avaritia et augendorum bonorum cupiditate, sed veram sapientiam cernendam esse in animo ab omnibus cupiditatibus libero perpetuaque tranquillitate gaudente. — *abi*] proprie de iudice, qui reum criminis absolvit ac mittit. — *cum vitio fugere*] In multis et antiquissimis codicibus ex corruptione scriptum est *fuge. Rite caret.* Corruptio orta videtur ex perfecti non intellecta forma *fugere*: et rectius *quid*? interrogans pronomen altera interrogatione excipitur. cf. Sat. II, 3, 159. — *lemures*] animae mortuorum propter desiderium aliquod in terris non expletum ad vivos redeuntes eosque noctu terrentes. — *Thessala*] vide ad Carm. I, 27, 21. Epod. 5, 45. — *grate numeras*] »quod non faciunt nimium timidi senectutis et mortis, quia ex natalibus multis mortem iam proximam perhorrescunt.« Porphyr. cf. Epist. I, 11, 22. 4, 14. — *levat*] Sic codd. Bland. Quod plurimi habent *iuvat* ex interpretatione natum videtur. De verbo levandi compara Sat. II, 3, 292. Epod. 11, 17. 17, 26. Carm. Saec. 63. Epist. I, 8, 8. — *spinis*] cf. Epist. I, 14, 4. — *decede peritis*] »Quoniam recte vivere nescis, qui vivas omnino indignus es, quocirca moriendo da locum sapientioribus, quibus tua pravitate ac desidia obstas.« Orellius. Est autem locus communis, quo Florus neque tangebatur neque offendebatur. — *lusisti*] de amore; sic graece *παίζειν*. — *lasciva decentius*] quam magis decet lascivire ac ludere quam senectutem.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

De arte poetica liber.

PRAEFATIO.

De hoc libro Horatii, qui Goethio nostrati, summo poetae eidemque acutissimo critico difficillimus visus est ad explicandum itaque comparatus, ut alium aliter et decimo quoque anno eundem aliter de eo iudicaturum affirmaret, tam multi adhuc scripserunt viri docti, ut Mureto prope satisfactum iam videatur, hanc epistolam brevi interpretes plures quam versus habituram olim vaticinanti. Quare cum ne praecipuas quidem aliorum opiniones nunc liceat enumerare, missis ambagibus quam mihi fecerim sententiam statim expromam. Atque cum iis faciendum mihi esse vidi, quibus non perfectam de carminibus faciendis artem sed epistolam ad Pisones conscribere voluisse Horatium persuasum est, in qua quidem epistola et ea praecepta de poesi coniungeret, quae sua quidem aetate experto sibi maxime necessaria viderentur suosque cives, qui temporum malis rationibus ad falsissimam de rebus poeticis, praecipue scenicis opinionem delapsi pravis delectarentur, vera fastidirent, ad veros sensus pulchritudinis leniter possent revocare. Iam duplici ratione peccatum est; scilicet quae alienissima sunt in eadem re saepe proxima praeter spem coniunguntur. Etenim alii fuerunt qui absolutam artem de universa re poetica poetae nolenti extorquerent, alii qui vulgaris epistolae

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

naturam pertinaciter prementes, ut nos cum ad amicos scribamus quaecunque in calamum prima quasi incidant nullo consilio aut ordine ex arbitrio coniungamus, ita poetam ad Pisones scribentem omnia alia miscuisse affirmarent. Mihi quidem hoc carmen ab Horatio quasi quoddam testamentum relictum videtur, quo cives suos, imprimis poetas, ab iis vitiis quibus eos videret laborare deterreret coniungeretque quae sibi per suam vitam usu et experientia edoctus sana fecisset praecepta, olim iam magnam partem, cum ferret occasio, proposita per satirasque et epistolas dispersa; quod quidem ita fecit, ut non consilium fixum praeviaque meditatione repertum rhetorum modo sequeretur, sed ingenii praestantia ductus ab una re ad alteram, cognatam eam quidem et ultro apparentem, quasi per planam viam transiret. Sic cui mecum persuasum erit, ei iam non videbitur mirum, cur per maiorem partem carminis de dramatica poesi poeta disputaverit plurimaque et exempla et praecepta ad illam applicaverit; de ea enim falsissime tum iudicatum est et a populo universo et a poetis, qui popularem laudem captantes ad populi iudicium fabulas diligenter accommodarent.

Ad Pisones scriptam esse epistolam docent hi loci: v. 5. 6. 24. (153). 235. 268. 272. 292. 366. (385. 426.) 436. De Pisonibus haec tradiderunt scholiastae: „Hunc librum qui inscribitur de arte poetica ad L. Pisonem, qui postea urbis custos fuit, eiusque liberos misit. Nam et ipse Piso poeta fuit et studiorum liberalium antistes.“ Et Tac. Ann. VI, 10: „Per idem tempus (a. u. c. 785) L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententia sponte auctor et, quoties necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi: aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thracia meruerat. Sed

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

praecipua ex eo gloria, quod praefectus Urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.“ Velleius Paterc. II, 98: „Atrox in Thracia bellum ortum L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate temperatissimos et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium valdius diligat aut facilius sufficiat negotio et magis quae agenda sunt curet sine ulla ostentatione agendi.“ Is igitur natus erat a. 705, consul a. u. 739; quare si vicenarius uxorem duxit, annis 743—746 filium habere potuit 17—20 annos natum. Nam hoc mihi quoque certum videtur, emissam esse hanc epistolam extremis vitae annis Horatii; quamquam in hac quoque re viri docti in alia omnia discesserunt. Alii enim Satirae I, 4 versum 63 arripuerunt et comparata cum extremis primi libri primisque secundi satiris epistolae natura hunc librum compositum iudicarunt vigente etiam Horatii aetate et ante perfectum alterum satirarum librum; in qua re ideo magnopere errarunt, quod dispositionem epistolae incertam sibi finxerunt et vagam *). Iam vero ita comparata tota est, ut senescentem iam videamus poetam, a faciendis carminibus iam abstinentem, prorsus eundem quem alter epistolarum liber de simili re docentem osten-

*) Estraeus prosopogr. Hor. p. 206: »Recte Reenenius disp. de epist. ad Pis. p. 58 ostendit, artem poeticam fuisse scriptam ante a. 735, quo mortuus est Virgilius; hic enim cum Vario v. 53 sq. inter vivos commemoratur, tum quoque propter vs. 438 sq., post obitum Quinctilii a. 730.« Id. p. 289: »Pisonem, cui Horatius filiisque artem poeticam inscripsit, ad Bruti socios cum *Reenenio* (disp. de epist. ad Pis. Amstelod. 1806) referre non dubito. Hic enim invictis argumentis Pisonem diversum non esse probavit ab illo, quem significat Tacit. Ann. III, 16, qui bello civili resurgentes in Africa Pompeii partes acerrimo ministerio adversus Caesarem adiuvit, mox Brutum Cassiumque secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro delatum sibi ab Augusto consulatum acceperit, quem gessit a. 731.«

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dit. Alii extremis Horatii annis librum confectum quidem mortuo demum poeta curante Augusto emissum esse credunt *), sed firmis praesidiis omnino destituti. Neque ii satis considerarunt epistolas scriptas non solere in scriniis cohiberi sed mitti ad eos quibus essent scriptae. Quare sicut epistolarum ad Augustum et ad Florum exempla Augusto et Floro missa sunt, ita etiam huius epistolae Pisonibus certe et aliis amicis exemplum datum est. Illud autem, utrum epistolae ad Augustum et Florum cum hac coniunctae et Sosiis divendendae traditae sint necne, ego vero neque affirmare ausim neque negare. Nam ne inde quidem quidquam certum aut veri simile effici potest, quod in codicibus incerta huic epistolae sedes est **). Quod quidem factum videtur propter indicem, quo grammatici parvo post Horatium mortuum tempore eam exornare solebant. Etenim a Quintiliano ea iam nominatur *liber de arte poetica;* similiter postea Symmachus, Sidonius Apollinaris, Priscianus; *epistolam ad Pisones* eam appellat unus Charisius. At vero veteres id saepe quaerebant, ut singulos libros vel singula carmina uno verbo ac nomine coartarent eorumque res et argumentum indicarent; deinde recte illi grammatici intellexerunt hanc

*) Sic nuper Ritterus: »Amici post subitam sapientissimi vatis mortem tres secundi libri epistolas in vulgus cum emitterent, huic postremae magnum nec ineptum artis poeticae nomen indiderunt.«

**) De qua re mire Walckenaerius (histoire de la vie et des poésies d'Horace. T. II. p. 549 sq.): »Après la mort d'Horace on réunit en un seul livre sous le nom d'épodes les odes inédites qu'il avait laissées et les odes publiées séparément dans sa jeunesse, mais qu'il n'avait point admises dans ses quatre livres d'odes. L'épître aux Pisons entra nécessairement dans ce recueil posthume des poésies d'Horace et fut placée en tête. Comme on ne pouvait mettre ces épodes ou ces odes inédites qu'après le recueil entier des odes, il s'ensuivit que quand on réunissait les deux recueils pour en former un seul, contenant toutes les poésies d'Horace l'épître aux Pisons se trouvait, placée immédiatement après les odes et avant les épodes. C'est ainsi que sont toujours rangées les poésies d'Horace dans les plus anciens manuscrits, c'est ainsi qu'elles furent publiées primitivement.« De Epodis vide supra.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

epistolam non Pisonibus solis sed omnibus Romanis et poetis et poeticae artis fautoribus scriptam esse magnamque ibi reperiri elegantissimorum praeceptorum copiam; quapropter eam et frequenter lectitarunt et peculiari commentario aequalibus explicare mature coeperunt. Inde factum est ut seorsum saepe ea epistola scriberetur, deinde in coniunctis Horatii operibus modo hunc modo illum locum occuparet. Nobis autem titulum quo liber inscriberetur quaerentibus rectius visum est cum grammaticis *Artem poeticam* scribere quam verba (*Epistola ad Pisones*) praeponere, quibus neque quidquam de argumento enunciatur neque Horatius in hac epistola magis usus est quam in reliquis.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. HORATII FLACCI
DE ARTE POETICA LIBER.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius velut aegri somnia vanae
Fingentur species, ut nec pes nec caput uni

De arte poetica liber.

V. 1. *In fronte carminis describit poeta imaginem aliquam monstruosae bestiae ex diversissimis partibus compositae, qua summa in quavis arte lex de simplicitate et unitate legentibus inculcetur. Eam in poesi quoque plurimum valere dicit* (v. 23), *neque si qui poeta eam laedere audeat, excusationem eum habiturum in libertate poetis concessa aut in furore cui nimium saepe poetae tribuere non dubitent, neque compensari vitia ex violata illa lege exorta singulis splendidis locis ac luminibus* (v. 1—37). cf. Plat. Phaedr. p. 264. C.: »Δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὐτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα πρέποντα ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα.« — *humano*] Chiasmi ordo *humano capiti cervicem equinam* discrepantiam earum partium clarius illustrat. — *varias*] omnium colorum. — *inducere*] »penicillo adiungere.« Comm. Cruq. — *collatis membris*] tertius casus est, non sextus. — *turpiter atrum*] Piscis ater est ad incutiendum animis hominum adspicientium terrorem. Similiter Schiller nostras in egregio carmine de dracone (der Kampf mit dem Drachen): »Und Alles bild' ich ganz genau Und kleid' es in ein *scheusslich* Grau« et in alio (der Taucher): »Des Hammers gräuliche Ungestalt.« De monstro cf. Virg. Aen. III, 426 sqq. De pictorum perversa licentia Vitruv. VII, 5: »Nunc pinguntur tectoriis monstra potius quam ex rebus finitis imagines . . . . velut ex coliculis flores dimidiata habentes ex se exeuntia sigilla, alia bestiarum capitibus similia: haec autem nec sunt nec fieri possunt ac fuerunt (Arabesken).« — *aegri*] febrientis. — *species*] cf. Liv. VIII, 6: »Consuli dicitur visa *species* viri maioris, quam pro humano habitu.« id. XXVI, 19: »nocturnae *species*.« Sil. XIII, 394: »Versatur *species* ante ora oculosque parentum.« Ovid. Met.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Reddatur formae. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus, cum lucus et ara Dianae
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros
Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui: currente rota cur urceus exit?
Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,

XI, 677. Non sunt loci speciosi, ut nuper voluit Doederlinius. *Vanae* autem sunt, quia in natura rerum nusquam reperiuntur. — *pictoribus*] Sic possit aliquis obiicere. — *aequa*] iure permissa. Diphilus apud Athen. 6, 1: »(τοῖς τραγῳδοῖς) ἐξουσία Ἔστιν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.« Lucian. pro imagg. 18: »Παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας.« — *coëant*] cf. Epod. 16, 30. — *inceptis gravibus*] In illud saepe incidunt vitium poetae splendoris studio, quo magnae exspectationi quam magnificis exordiis excitare audent, satisfacere sibi videntur. Inde fit, ut in digressiones non raro deducantur vilique quasi vestimento purpureos quosdam pannos assuant totumque perdant. Eiusmodi pannorum exempla quaedam statim proferuntur, fortasse ex aequalium poetarum carminibus petita; nam *flumen Rhenum* ad Furium Bibaculum referendum esse non est improbabile. cf. Sat. I, 10, 37. — *flumen Rhenum*] vide ad Carm. IV, 4, 38. — *Et fortasse*] »Irrisio pictoris inepti, qui vix aliud noverat quam depingere cupressum. A quo cum naufragus quidam peteret, ut vultum suum et naufragium exprimeret, interrogavit num ex cupresso vellet aliquid appingi.« Comm. Cruq. Tenendum est et pictoribus et poetis, suum cuique rei esse locum. De naufragis vide Carm. I, 5, 13. — *simulare*] μιμεῖσθαι, ut Epist. II, 1, 241. Ovid. Met. VI, 80. — *coepit institui*] »constructione a Cicerone nunquam usurpata pro *coepta est institui*.« Orellius. — *currente rota*] Comment. Cruq.: »procedente carmine; translatio a figulis, a quibus cum rota volvitur, vasa finguntur.« — *denique*] cf. Sat. I, 1, 92. — *quidvis*] Sic recte plurima pars interpretum ex auctoritate codicum; Doederlinius tamen cum Lambino et Cruquio *quod vis* i. e. quod instituis. Comprehendit Horatius exempla ante proposita in unam quasi regulam, cui subiecta sunt carmina cuiuscunque generis vel argumenti. Etiam Comment. Cruquii *quidvis* legisse videtur, cum dicat: »*quamcunque* materiam vis, assume, ita tamen, ut continuum carmen componas nec intermiscas diversas res.« Cruquius ipse de suis codd. disertim nihil dixit. Quod Ritterus sibi persuasit, Horatium *quodvis* pro *quidvis* scripsisse, ne

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet et molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum

itacismus in *denique sit quidvis* offenderet, non potest ferri. — *decipimur*] Alia causa; nam quibus pulchri et veri sensus arte et studio non est excultus, ii dum vitia vitare student, nescientes in contraria ruunt. — *brevis*] Quintil. VIII, 3, 83: »βραχυλογίαι male imitantes sequitur obscuritas.« — *levia*] levigata, expolita, splendentia. Sic antiqui libri MSS. et scholiastae. Alii male ex frequentissima verborum confusione *lenia*, mollia. Monet poeta ne nimio levitatis (λειότητος) studio vis ac vigor orationis perdatur, id quod in Isocratis orationibus vituperari solet. — *nervi*] cf. Sat. II, 1, 2. Epist. I, 19, 24. — *turget*] Quintil. X, 2, 16: »fiunt (scriptores) pro grandibus tumidi.« — *timidus procellae*] De genitivo vide ad Epist. I, 15, 33. — *prodigialiter*] ita variare, ut omnes qui legant ingenium suum admirentur, stupeant. Graece θαυμαστῶς. *Rem unam* dixit ut nos *ein einheitlicher Stoff*; εἰς μῦθος. — *Aemilium ludum*] Est ludus gladiatorius ab Aemilio Lepido exstructus non procul a Circo. — *faber imus*] Sic plurimi et antiquissimi codices. Recte, opinor. Altera enim lectio *unus*, quam alii cum Bentleio interpretantur *praeter ceteros, melius quam reliqui omnes*, alii *aliquis*, ex coniectura orta videtur. Vereor enim ne Horatius non velit dicere hunc fabrum melius quam reliquos omnes aere imitari ungues et crines; satis enim magna laus erit, si bene ille id facere posse dicatur, id quod solo verbo *imitabitur* perspicue exprimitur. Bentleius in comparationem vocavit Sat. I, 10, 44. Sat. II, 3, 24. Epod. 12, 4. Virgil. Aen. II, 426. Corn. Nep. Cim. 3, 1. Deinde ut sit *unus* idem quod *aliquis*, id quod locis etiam probari non ego, Horatius neque dicere potuit, *aliquem* ex fabris circa ludum Aemilium egregie exprimere ungues et capillos, quoniam certa ea laudatio ad incertum hominem, ad primum quemque fabrorum referri non poterit, neque suum ipsius morem ita relinquet, ut cum semper certam certorum hominum imaginem proponere soleat, nunc vagam dubiamque inferat descriptionem. Quod quidem bene senserunt ii qui *Imum* nomen proprium esse putarent apud Acronem, quamquam a vero aberrarunt. Recte Porphyrio et Comment. Cruquianus imum eum esse, qui tunc ad imam partem ludi tabernam habuerit, affirmant. Sic certa enunciatur et laudatio et vituperatio certi hominis, omnibus aequalibus noti. Deinde nihil difficultatis inest in coniunctis vocabulis *imus* et *circa*; nam quamquam *circa* et *circum* locum indeterminatum significant, *imus* vero certissimum in parte ludi extrema, quid fuit quod poetam impediret, quominus ex iis qui ibi tabernas haberent unum, qui *imum* eius regionis locum occupavisset, *circa ludum Aemilium imum* appellaret? Ceterum *imus* et *unus* saepius a librariis mutata sunt, veluti Sat. I, 4, 87, ubi pro *unus* l'eae codd. et tres Pottierii *imus* praebent, et infra v. 152, ubi antiquus Bernensis non *imum* habet, sed

Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris qui scribitis aequam
Viribus et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,

unum. Horkelius scribendum esse coniecit *faber inritus*, ut Virg. Aen. V, 442; Peerlkampius: *fabri manus.* — *ponere*] Carm. IV, 8, 8. — *nigris oculis*] vide ad Carm. I, 32, 11.

V. 38. *Simplicitati et unitati ut recte consulatur, materies sumenda est, cui recte tractandae vires sufficiunt. Quod si factum erit, non deerit neque facundia neque lucidus ordo. Iam primum agitur de lucido ordine* (v. 43—45), *tum de facundia* (v. 46—72), *quae vernitur in eligendis recte verbis, priscis recipiendis, novis apte faciendis, tum in coniungendorum inter se verborum nova et eleganti ratione.* — *potenter*] pro suis viribus, ut sit *materia viribus aequa.* Supervacanea est Marklandi coniectura *pudenter* i. e. modeste, ut v. 51. cf. Epist. I, 17, 44. II, 1, 259. — *venus*] cfr. v. 320. Quintil. VI, 3, 18: »Venustum esse quod cum gratia quadam et venere dicatur apparet.« — *nunc debentia*] Cavendum esse praecipit, ne alia dicantur atque ea quae quovis loco necessaria sint, ne in scribendo scriptor animo indulgeat; suo quodque loco ponendum esse, ut intelligatur cur scriptor hoc posuerit, illud spreverit. — *praesens*] cf. Carm. II, 16, 25. — *in verbis*] Cic. de Orat. III, 37: »Est quidem ornatus orationis qui ex singulis verbis est, alius qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis, aut iis quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur, aut iis quae novamus et facimus ipsi.« Dionys. Halic. de Comp. 3: »Οὐκ ἐν τῷ κάλλει τῶν ὀνομάτων ἡ πειθὼ τῆς ἑρμηνείας ἐστὶν ἀλλ' ἐν συζυγίαις.« Secutus sum cum Meinekio, Linkero, Doederlinio Bentleii auctoritatem, qui antiquum versuum ordinem invertendum esse docuit et locum sic explicavit: »subtilis et cautus ac difficilis in verbis admittendis *hoc* (verbum) amet, hoc spernat: hoc ut probum recipiat, illud ut κακοῦ κόμματος repudiet atque abiiciat, utcunque populari usu quasi civitati donetur. Sic et Epist. II. 2, 109 sqq.« — *tenuis*] de subtilitate iudicii in eligendis verbis. Quint. VIII, 3, 87: »et sunt quaedam velut e *tenui* diligentia circa proprietatem significationemque munditiae.« — *callida iunctura*] figuris ac metaphoris scite inventis vel positis. — *indiciis*] »*Indicia* verba appellavit; philosophi enim dicunt *indicandarum* rerum causa inventas esse voces.« Porphyr.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget dabiturque licentia sumpta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent parce detorta. Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio Varioque? Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,

— *abdita rerum*] notiones novas. — *cinctutis Cethegis*] cf. Epist. II, 2, 115 sqq. *Cinctuti* sunt cinctu induti: cinctus autem vestis fuit infra pectus corpus ambiens et ad pedes pertingens. A priscis Romanis gestabatur cinctus loco tunicae, ut expeditiores essent ad agendum; habebant enim soluta brachia et ad exserendum habiliora. *Cinctutus* voc. praeter h. l. non videtur legi nisi apud Ovidium Fast. V, 101: »coleris cinctutis, Faune, Lupercis« i. e. prope nudis et cinctu pudenda velatis. — *pudenter*] Quintil. I, 5, 71: »Usitatis tutius utimur; nova non sine quodam periculo fingimus.« cf. Epist. I, 17, 44. — *Graeco fonte*] Facienda verba sunt ad analogiam graecae linguae sed ex ingenio et natura latinae, ut apud Horatium *centimanus*, *tauriformis*, *beluosus*, alia. Quintil. XII, 10, 33: »Tanto est sermo Graecus Latino iucundior, ut nostri poetae, quoties dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent.« Doederlinius ea intellexit verba, quae a graeca stirpe in latinas terminationes detorquebantur, ut *malacissare* a graeco *μαλαχίζειν*, *amphora* a graeco *ἀμφορεύς*; rectius, ut videtur. — *cadent*] Sic ex Cruquianis codd. omnes Bland., duo alii; *cadunt* in duobus, *cadant* in uno Cruq., quem secutus est Meinekius. In reliquis codd. eadem est varietas, ita tamen ut futurum tempus summam habeat auctoritatem. — *Caecilio*] Epist. II, 1, 59. — *Virgilio Varioque*] Noli colligere ex hoc loco, vixisse etiam tunc Virgilium et Varium; sed hi eius aetatis egregii poetae contra priscos Caecilium et Plautum ponuntur; utrisque idem novandorum verborum ius vindicatur. — *invideor*] cf. Epist. I, 5, 21 *imperor*. — *Catonis*] M. Porcii Catonis, qui Censorius dicitur. cf. Cic. de Fin. III, 4: »Si Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni?« — *producere nomen*] Sic antiquissimi codices. Qui scripserunt *procudere*, nimio continuandae imaginis studio non viderunt idem bis dici; nam qui aliud est *signare*? Sed in *producere* quoque metaphora a nummis desumpta continuatur; est enim nummos recens factos »in notitiam hominum deducere«, ut dicunt scholiastae, hanc lectionem tuentes. cf. Quintil. I, 6, 48: »Utendum plane sermone velut nummo, cui publica forma est.« — *pronos annos*] ad finem vergentes. Carm. III, 27, 18. Ceterum cf. Hom. Il. VI, 146. Mimnerm. Eleg. 2: »*Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέος ὥρη Ἔαρος, ὅτ' ἆψ αὐγὴ αὔξεται ἠελίου, Τοῖς ἴκελοι πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης Τερπόμεθα, πρὸς θεῶν εἰδότες οὔτε κακὸν Οὔτ' ἀγαθόν.*« — *prima*] quae prius germinarunt, ea

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque; sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisve palus diu aptaque remis
Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum,
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius; mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
Res gestae regumque ducumque et tristia bella

prius decidunt. — *debemur*] cf. Carm. II, 3, 25. 14, 21 sqq. — *Neptunus*] A. u. c. 717 Octavianus Agrippae consilio lacum Lucrinum cum lacu Averno et mari coniunxit magnumque ibi fecit portum tutissimum ab impetu et hostium et maris. Sueton. Oct. 16: »portum Iulium apud Baias immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari effecit.« Portus olim *Iulius* vocatus nunc arundinetum palustre est, *Mar morto*. — *Aquilonibus*] Virg. Aen. IV, 310. De casu cf. Epist. I, 8, 10. — *palus diu*] In codd. *diu palus* ex antiquo errore, qui iam apud Servium ad Virg. Aen. II, 69 reperitur: »palus, licet *paludis* longa sit *lu*, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in *dis* exiit genitivus; ut Horatius *Sterilisque diu palus aptaque remis*.« *Palus* autem alteram syllabam corripere non potest. Emendationem Gesneri et Doederlinii confirmat regula a Lachmanno ad Lucret. p. 196 observata: »communis poetarum tantum non omnium regula est, ne post vocabulum iambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur, nisi cum hiatu. Ita Catullus 114, 6 »Saltum laudemus, dum *domo ipsa* egeat.« Ac de hiatu cf. Epod. 5, 100. Sat. I, 9, 38. II, 2, 28. Alii coniecturis locum tentarunt, *palus prius*, *palus dudum*, *palus pulsataque*. Explicant scholiastae locum de exsiccatis ab Augusto Pomptinis paludibus; sed a nemine docemur Augustum perfecisse quod Iulius Caesar ante erat meditatus. Sueton. Caes. 44: »Iulius Caesar siccare Pomptinas paludes meditabatur.« Neque magis sumus certi de correcto ab Augusto Tiberis cursu: quae res a poeta significata est v. 67. — *Regis*] Meinekius acute suspicatus est, scriptum esse ab Horatio *Regium opus*, non *Regis opus*, ne Augustus regis nomen summopere aspernatus laederetur; recepit Linkerus, laudavit Doederlinius. — *amnis*] Nescimus quid poeta significet; fortasse illud quod legitur apud Sueton. Octav. c. 30: »Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus et aedificiorum prolapsionibus coartatum.« — *sermonum*] loquendi consuetudinis. Quintil. I, 6, 43: »Et sane quid est aliud *vetus sermo* quam vetus loquendi consuetudo?« — *usus*] cf. Epist. II, 2, 119.

V. 73. *A singulis vocabulis Horatius transit ad ipsam orationem: quare praecipit in quoque carminum genere rectos numeros rectumque dicendi genus observandum esse ac tenendum* (v. 86 sqq.), *ita ut congruant ea cum ipsa re et cum sensibus et natura eorum hominum qui describantur. Exempla eius rei sumuntur ex tragoedia et comoedia, quarum versus iambici non debent eiusdem esse aut gravitatis aut levitatis, cum*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos;
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo;
Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus et populares
Vincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum

ad rationem cupiditatum ac morum personarum etiam sermo aut cadere debeat aut tolli; etenim lingua interpres est animi motuum ipsorum qui loquuntur hominum (v. 111). *Praeterea sermo accommodandus est ad condicionem, aetatem, patriam hominum. His igitur diligenter consulendum est, sive persona describitur ab aliis iam facta et tradita, ut Achilles, Medea, aliae personae* (v. 124) *sive novae inveniuntur a scribentibus ipsis. Notas autem fingere periculosum est, traditas describere facilius et gratius, in qua tamen re cavendum est ne scriptio omnino coerceatur imitatione; sed in traditis etiam personis necessaria est describendi novitas ac proprietas* (v. 73—135). — *impariter*] Hoc adverbium non videtur legi nisi hoc uno loco. Significantur hexameter versus et pentameter. — *querimonia*] lugubris elegia de amicis vel civibus egregiis morte ereptis. »Primum metro elegiaco res tristes et lugubres, post etiam laetae et prosperae coeperunt describi.« Comm. Cruq. »Lugendi formula est ἒ ἒ λέγε· ex eaque et origo carminis elegiaci et appellatio explicari potest. Vix enim dubitandum videtur, quin antiquissimi illius lugubris carminis ea ratio fuerit, ut pentametrorum posterior pars haec esset: ἒ ἒ λέγ' ἒ ἒ λέγε. Illi igitur versus recte dicti sunt ἔλεγοι.« Hermann. — *voti*] Significatur elegia ἐρωτικὴ a Mimnermo culta; cf. Epist. I, 6, 65, II, 2, 101. — *exiguos elegos*] tenues et humiles, si comparantur cum epici carminis gravitate. Orion p. 58: »Εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου φασὶν οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον, οἱ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον· οὕτω Ἀίδυμος (Horatii aequalis) ἐν τῷ περὶ ποιητῶν.« Terent. Maur. 1721: »Pentametrum dubitant qui primus finxerit auctor: Quidam non dubitant dicere Callinoum.« Omnium quae ad nos pervenerunt antiquissima elegia est Callini (730 vel 635 a. Chr.) — *Archilochum*] Epod. 6, 13. Epist. I, 19, 25. — *socci*] Epist. II, 1, 174. Ut cothurnus tragoediam ita soccus comoediam indicat. — *alternis*] Aristot. Poet. 4: »Μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις.« Cic. Orat. 57, 191: »pes iambicus orationi simillimus; qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis.« — *strepitus*] clamores »populi, id est, clarius resonantem in scena quam tumultus popularis resonet: tales strepitus excitat iste pes.« Comm. Cruq. Quintil. IX, 4, 136: »Aspera iambis maxime concitantur, non solum quod sunt e duabus modo syllabis eoque frequentiorem quasi pulsum habent, quae res lenitati contraria est, sed etiam quod omnibus pedibus insurgunt, et a brevibus in longas nituntur et crescunt.« — *rebus agendis*] Aristot. Poet. 24, 10: »τὸ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικά, τὸ μὲν ὀρχηστικόν, τὸ δὲ πρακτικόν.« — *divos puerosque*] Indicantur varia

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et iuvenum curas et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores
Cur ego si nequeo ignoroque poëta salutor?
Cur nescire pudens prave quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult;
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decentem.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto

lyricae poesis genera, cf. Carm. IV, 2, 10 sqq. — *libera vina*] Sat. I, 4, 89. II, 8, 37. — *descriptas*] certis legibus divisas, ut suum cuique generi metrum constitutum sit. — *colores*] cf. v. 236. — *privatis*] sermone ex quotidiana ac vulgari vita sumpto. — *Thyestae*] vide ad Carm. I, 6, 8. — *narrari*] cf. v. 179. 182. — *decentem*] Sic ex Blandin. antiquissimo, altero Cruquii, uno Bentleii, aliis; plurimi tamen codd. *decenter*. Illud praetulit Bentleius cum eoque editores recentissimi praeter Orellium et Kruegerum; Doederlinius explicavit: »singula quaeque eum locum teneant quem tenent, quoniam sortita sunt eum, qui quaeque decet.« — *Chremes*] persona Terentiana ex Heautontim. V, 4, ubi Chremes castigat prodigum filium Clitiphonem. — *Telephus et Peleus*] tragicae personae. Telephus Herculis filius fuit ex Auge, Alei filia, Mysiae regis. »Hi ambo reges fuerunt, qui amissis regnis ad tantam inopiam devenerunt, ut exsules facti mendicando sibi undecunque victum conquirerent, omissis verbis grandibus et regiis.« Comm. Cruq. — *proiicit*] respuit, non utitur. cf. Sat. II, 7, 53. Ceterum Peerlkampius: »verum, inquit, igitur censeo: *Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque Proiicit ampullas et sesquipedalia verba.* Atque melius distingues ita, ut *uterque proiicit* coniungantur, quam *pauper et exsul uterque*. Praeterquam enim quod *uterque proiicit* rectius sese habet, quam *Telephus et Peleus proiicit*, adiectiva probe discernenda videntur, et *pauper* referendum est ad Telephum, exsul ad Pelea. Telephus in fragmentis fabulae Euripideae saepe *pauper* appellatur, nunquam *exsul*.« — *ampullas*] cf. Epist. I, 3, 14: de oratione nimis ornata. Graece *ληκυθίζειν*. — *sesquipedalia*] Crates ap. Meinek. fr. Com. II, 1. p. 241: *»Ἔπη τριπήχη Θετταλικῶς τετιμημένα.«* — *curat tetigisse*] Horkelius l. l. p. 139: »Observasse mihi videor, Horatium perfecti temporis infinitivos cum iis potissimum verbis coniungere, quorum ea vis est, ut tota ad *futurum* tempus spectent. Ex eo genere haec sunt: Sat. II, 3, 187. I, 2, 28. Epist. I, 17, 5. A. P. 168. 347. 435. 455.« — *dulcia sunto*] Accedit interpretatio huius vocabuli

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Et quocunque volent animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus; si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu: male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat aut impellit ad iram
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum divusne loquatur an heros,
Maturusne senex an adhuc florente iuventa
Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
Mercatorne vagus cultorne virentis agelli,

insequenti versu; nam *dulcis* voc. cognatum videtur cum graeco *θέλγειν*. Et praeceptum coniungendum est cum iis, quae proxime praecedunt; non est generale praeceptum. — *arrident*] Aristot. Rhetor. III, 7: »συνομοιοπαθεῖ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι.« — *severum seria*] Severi dicantur fere semper homines, seriae res. De re cf. Cic. de Orat. III, 57, 216: »Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum; corpusque totum hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae.« — *ad habitum*] *ad* h. l. idem quod *secundum*, ut apud Cic. de Orat. III. 45: »Verba *ad* nostrum arbitrium *formamus*.« Quintil. VII, 3, 14: »*ad* morem dialecticorum *formata* conclusio.« *Prius* positum est contra *post* v. 111.

V. 113. *equites peditesque*] universus populus, ut apud Livium I, 44. — *divusne*] Sic antiquissimi codices et Comm. Cruq., alii Davus, propter quem postea *heros* mutatus est in *herum*. Et recte quidem iam Iason de Nores: »Gradatim Horatius personarum divisionem in fabulis introducendarum enumerat, quae ex substantia aut divinae sunt aut humanae. Humanae rursus differunt aut aetate, ut senex a iuvene, aut fortuna, ut a Colcho Assyrius, aut patria ut a Thebano Argivus.« Deinde *Davus* comicus alienus est inter reliquas tragicas personas, neque facilior lectio facile transisset in difficiliorem. Et differt etiam in Graecis deorum sermo a sermone heroum; de qua re Orellius: »Quippe illi, inquit, prae se ferunt nescio quid sublimioris spiritus, plus quam humani, vere coelestis, quippe qui summa tranquillitate atque aeterna beatitudine perfruantur, dum vel aestuant vel mortalium aegrimoniis malisque conflictantur heroes.« — *matrona potens*] ponitur contra nutricem matrona, quae domesticum quasi imperium tenet. Nec intelligendae sunt reginae, ut Iocasta,

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
Aut famam sequere aut sibi convenientia finge.
Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis et audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere; tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati iuris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbo verbum curabis reddere fidus

Phaedra, aliae. — *Thebis*] Contra barbaros ponuntur Graeci, ut Eteocles, Creon, alii Thebani et qui eorum hostes fuerunt Argivi. — *famam sequere*] μῦθον ab antiquis traditum neque mutabilem. — *reponis*] cf. v. 190: iterum in scenam reducis. De Achille cf. Hom. Il. I, 510. IX, 636. *Honoratus* i. q. τιμηθείς, nam *honor* est τιμή, ut apud Sil. IX, 199: »Ferte domos quod dextra dabit: nil victor *honoris* Ex opibus posco.« Ovid. Met. XI, 216: »Nec pars militiae, Telamon, sine *honore* recessit Hesioneque data potitur.« Bentleii coniecturam *Homereum* receperunt Haupt., Meinek., Linker., refutavit Peerlkamp., qui ipse ex *honoratum* fecit *cothornatum* i. e. tragicum. Hoc apertum est, Horatium non de epico, sed de tragico carmine loqui. — *Ino*] uxor Athamantis et mater Learchi et Melicertae. Athamas ira deorum in furorem actus uxori alterum filium eripuit discerpsitque: tum Ino cum altero in mare se praecipitavit. Ovid. Met. IV, 416 sqq. — *Ixion*] Schol. in Apollon. III, 62: »Ἰξίων γαμήσας Δίαν τὴν Ἠϊονέως θυγατέρα πολλὰ ὑπέσχετο δώσειν ἕδνα. Ἐλθόντος δὲ ἐπὶ ταῦτα Ἠϊονέως βόρεθρον ποιήσας καὶ πυρακτώσας σκεπάζει αὐτὸ λεπτοῖς ξύλοις καὶ κόνει λεπτῇ· ἐμπεσὼν δὲ ὁ Ἠϊονεὺς ἀπόλλυται· λύσσα δὲ τῷ Ἰξίονι ἐνέπεσε διὰ τοῦτο.« — *Io*] Ovid. Met. I, 588 sqq. — *proprie communia*] Recte Lambinus: »communia h. l. appellat Horatius argumenta fabularum, a nullo adhuc tractata, et ita, quae cuivis exposita sunt et in medio quodammodo posita, quasi vacua et a nemine occupata. Talia igitur argumenta difficile est ita tractare, ut proprie tua iure dici possint.« Sic etiam Doederlin. — *deducis*] Male alii *diducis*. Vide ad Sat. II, 1, 4. — *publica materies*] Cave hanc cum Doederlinio confundas cum *communibus* v. 128; immo vero publica est materies ism saepius tractata et ita quasi publici iuris facta. In qua re curandum est poetae, ne nimis premat vestigia suorum exemplorum. Discrimen intercedere inter *publica* et *communia* iam Lambinus docuit; publicis opponuntur privata, communibus propria. — *in artum*] Contrarium hoc patulo orbi. Qui vincula ita

Δημοσία Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Interpres, nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,

sibi iniecit, ut superiorem anxie imitetur, is neque audet (*pudor vetet*) quidquam mutare, cum suis viribus nihil ipse confidat, neque potest (*operis lex*) quidquam mutare, cum maiorem partem alieni operis susceperit, quam ut reliquam possit libere relinquere.

V. 136. *Horatius postquam de externa carminum forma disputavit, leniter declinat ad ipsam rei tractationem ac primum loquitur de exordio recte praeponendo; in qua re hoc videndum esse docet, ne maiora promittantur quam quae deinde praebeantur* (v. 143), *deinde ut qui legant in medias statim res rapiantur. Exemplum proponitur Homeri; unde vides non scenicam solum poesim spectari sed totam. Documenta autem plurima ex illa parte ideo potissimum sumuntur, vel quia Piso huic erat deditus, vel quia haec una pars reliquis magis exculta maioriqug honore digna habita est, ut quae inde sumpta essent documenta et exempla efficacissima viderentur ac proxime ad omnium civium intelligentiam accedentia. Atque ibi latere videtur causa cur postea* v. 153 *ad scenicam poesim uberius illustrandam poeta transierit.*' vv. 136—152. — *scriptor cyclicus*] Poetarum cyclicorum nomine complectebantur Alexandrini eos poetas, qui aliquot saeculis post Homerica carmina aut ea epicis carminibus descripserant quae Iliadem praecedunt, aut sua carmina ibi inceperant ubi finem habent Homerica. Ex quibus omnibus grammatici *κύκλον* confecerant, cui Homerica quoque carmina recto ordine et loco addiderant. Intelligenda igitur sunt carmina ut Arctini *Αἰθιοπίς*, qua Troicum bellum describebatur usque ad certamen de Achillis armis, Stasini *Κύπρια*, quae complectebantur quaecunque acta erant a rapta Helena usque ad iram Achillis, *Ἰλιὰς μικρά*, quam Lesches scripsisse dicitur, qua pugna continuabatur usque ad equum ligneum in Troiam urbem receptum, alia. Ceterum Bentl., Haupt., Meinek., Linker. scripserunt *cyclius*, quos non sum secutus; nam chori erant *cyclii*, scriptores *cyclici*. cf. Welcker. de cycl. ep. 117. — *Fortunam Priami*] Incertum est cuius carminis initium significetur. — *parturiunt*] Ex graeco proverbio: »*Ὤδινεν ὄρος· εἶτα μῦν ἀπέτεκεν.*« In plurima parte codd. *parturient*, quos olim secutus eram, nunc reliqui. Bene enim monuit Bentleius, omnia verba, quae in *urio* desinant, etiam in primo tempore futuri vim habere. — *tempora Troiae*] Bentl. ex duobus codd. recepit *moenia Troiae*, quem secuti sunt Haupt., Meinek., Linker., Ritter., non Doederlinius. Cautius certe Peerlkamp.: »*Troiae post moenia capta.*« — *qui mores*] Epist. I, 2, 19. — *ex fulgore*] »Fulgor est lumen subitum et oculos praestringens, mox tamen in fumum ingratum desinens, contra lux oculis grata.« Orellius. — *Antiphaten*] Hom. Od. X, 100

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin;
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo;
Semper ad eventum festinat et in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse relinquit,
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu quid ego et populus mecum desideret audi,
Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor „Vos plaudite“ dicat.

sqq.; de Scylla et Charybdi Od. XII, 85 sqq., de Cyclope Od. IX, 187 sqq. — *Meleagri*] Dicunt scholiastae Antimachum notari, Platonis aequalem, Thebaidis poetam; et suspicantur viri docti, Antimachum finem totius actionis, i. e. reditum Diomedis in Aetoliam post Epigonorum victoriam cepisse ab interitu Meleagri. Fuit autem Meleager Oenei Calydoniae regis filius ex Althaea coniuge. Filio recens nato Althaea Parcas igni assidentes videre sibi visa est manuque stipitem tenentes aequalemque puero cum stipite vitam assignantes: quo facto mater exstinctum stipitem diligenter asservavit, postea autem, cum Meleager avunculos suos occidisset, in furorem versa fatalem stipitem in ignem coniecit. Tum Meleager exustis intus intestinis consumptus est. — *gemino ovo*] »Duo ova peperisse dicitur Leda, alterum ex Iove sub specie cygni, ex quo nati sunt Pollux et Helena, alterum ex Tyndaro, ex quo Castor et Clytaemnestra.« Comm. Cruq. — *in medias res*] Schol. Ven. ad Iliad. I, 8: »*Λέγουσι δὲ καὶ ἀρετὴν ποιητικὴν εἶναι τὸ τῶν τελευταίων ἐπιλαμβάνεσθαι καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ἀνέχεσθαι διηγεῖσθαι.*« — *mentitur*] Aristot. Poet. 24: »*Διδάσκει δὲ μᾶλλον Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ.*« — *ita mentitur, sic*] »Hic *ita* et *sic* idem significant referunturque ad antecedentia, non ad *ne* quod sequitur.« Hand. Tursell III. p. 468. Rectius tamen utramque particulam *ita* et *sic* cum *ne* coniungas, ut apud Terent. Heaut. IV, 5, 35: »*ita* tu istaec tua misceto, *ne* me admisceas.« — *ne medium*] vide ad Epist. I, 1, 47.

V. 152. *In scenica poesi primum agit de recte describendis ac tenendis moribus diversarum aetatum, ne veritas poetica laedatur. Diversus utique hic locus est a v.* 115 *sqq.; ibi de sermonis natura, hic de actionibus agitur deque diligenter describendo toto homine.* vv. 153—178. — *tu*] omnes alloquitur, quicunque poemata facere cupiunt. — *si plausoris*] Bentleius: »nunquam quisquam a me impetrabit, ut hanc inhonestam scabiem Horatio imputem: *Plausoris*, qui sedeat usque ad *plaudite*;« reponendum igitur censuit *fautoris*.« Acutius Peerlkamp., cui neque plausor neque fautor sententiae loci convenire videbatur, locum sic mutavit: »*Spectatoris* eges, aulaea manentis et usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat? Tu quid ego et populus mecum desideret, audi.« Postea etiam Meinekius suspicatus est scribendum esse *spectatoris*, sed nec transposito versu 153 nec interrogandi signo posito; omissam potius putavit particulam *si* sollemni Horatio orationis forma. Melius Ritter. et Doederlinius, non exploso plausore, ita distinxerunt, ut vv. 154. 155 protasin haberent praecedentis versus *tu quid ego* etc. — *eges*] cf. Sat. I, 1, 59. Epist. I, 10, 11. — *aulaea*] vide ad Epist. II, 1, 189.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
Imberbus iuvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.

— *cantor*] histrio, nam ad cantum tibiarum pronunciabat. Sueton. Calig. 54: »Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quominus et tragoedo pronuncianti concineret.« Quae postremo loquebatur persona, populo acclamare solebat *plaudite*. — *mobilibus naturis*] Recte Orellius: »Naturae humanae mutabiles sunt pro singulorum hominum aetate progrediente; hae igitur mutationes sensim factae et notandae et decore imitandae sunt poetae.« Cic. ad Fam. III, 8, 8: »etsi de tua prolixa beneficaque *natura* limavit aliquid posterior annus.« Supervacanea est Bentleii coniectura *maturis*, tribus quidem codicibus sustentata; etenim quam quaesivit ille *ἀντίθεσιν mobilium* i. e. iuniorum et *maturorum* i. e. seniorum annorum, ea ab hoc loco qui generalem praemittit sententiam alienissima est. Bentleium secuti sunt Peerlkamp., Haupt., Meinek., Linker., Doederlin., non Ritter. neque Krueger. — *in horas*] vide ad Sat. II, 7, 10. — *imberbus*] De hac forma vide ad Epist. II, 1, 85. Cavendum est, ne cum Orellio iudicium de hac re solis auribus tribuatur; is enim propter sonum h. l. scripsit *imberbus*, altero loco *imberbes*. — *campi*] Martii, ubi corpora exercebant iuvenes. — *sublimis*] *μεγαλόψυχος, hochfahrend*. — *pernix*] Arist. Rhet. II, 12 de adolescentibus: »*Σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχέως δὲ παύονται.*« — *commisisse*] ἀόριστος. cf. Epist. I, 17, 5; supra v. 98. — *gelide*] Aristot. l. l.: »*Κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν (οἱ πρεσβύτεροι), οἱ δὲ νέοι θερμοὶ ὥστε προωδοποίηκε τὸ γῆρας τῇ ἀειλίᾳ· καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τις ἐστίν.*« — *spe longus*] tardus et difficilis ad sperandum. Aristot. l. l.: »*οἱ πρεσβύτεροι δυσέλπιδες διὰ τὴν ἐμπειρίαν.*« — *avidus futuri*] Sophocl. fr. 64. Dind.: »*τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.*« Bentleii coniectura *pavidus*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur iuveni partes pueroque viriles;
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus
Digna geri promes in scenam multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult et spectata reponi;
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus

facile caremus, quamquam Peerlkampius eam accipiendam putat. — *anni venientes*] »Anni *venire* dicuntur ad quadragesimum sextum usque annum, inde *abire* iam accedente senectute.« Comm. Cruq. cf. Epist. II, 2, 55. — *seniles*] De homoeoteleuto *seniles, viriles* compara Eustath. ad Hom. Il. XXII, 383: »ἔχει δὲ κάλλος καὶ τὰ ἐν τέλει στίχων δύο πάντα, τὸ τοῦδε πεσόντος καὶ Ἕκτορος οὐκέτ' ἐόντος.« — *morabimur*] Boni codices et Comm. Cruq. male *morabitur*. »Ordo est: semper in adiunctis et aptis aevo morabitur, ita ut puero adiuncta sit levitas, adolescenti fervor, seni maturitas.« Comm. Cruq. De part. *que* vide ad Sat. II, 3, 130.

V. 179. *Verum*, inquit, *non sufficit mores et aetates recte describisse; accedat oportet recta scientia earum rerum, quas fabulae in scena actio postulat, ne quid coram populo agatur quod rectius amovetur ab oculis hominum* (v. 188), *ne iusto maior minorve sit fabula* (v. 190), *ne res ipsae male inter se implicentur et explicentur neve personae addantur vel supervacaneae vel etiam spectatorum animos dividentes* (v. 192), *ne chorus prave adhibeatur* (v. 201), *denique ne quid male de re musica sentiatur*. vv. 179—219. — *segnius*] cf. Herod. I, 8: »ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν.« Senec. Epist. 6, 4: »homines amplius oculis quam auribus credunt.« — *intus digna geri*] Intelliguntur omnia foeda et atrocia, quae horrore afficiunt spectatores, et omnia incredibilia, quae cum oculis conspiciuntur risum movent, veluti transformationes hominum in bestias aliasque naturas. Utriusque rei exempla adduntur. — *facundia praesens*) i. e. facundia hominis, qui testis fuerat eorum, quae intus acta sunt. — *quinto actu*] »In quinos actus post grammaticos Alexandrinos Romani dividebant fabulas; contra veteres Graeci in πρόλογον, ἐπεισόδια (τρία) et ἔξοδον, ita ut reapse divisio ad idem rediret.« Orellius. — *reponi*] ut supra 120. — *nec deus*] Plat. Cratyl. p. 425. E.: »Ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς ἀποφεύγουσι θεὸν

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amice,
Et regat iratos et amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubaeque
Aemula sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et adesse choris erat utilis atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;

αἴροντες.« Cic. Nat. D. I, 20: »ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.« Inde proverbium illud: *deus ex machina.* — *quarta persona*] »Quarta persona cum inducitur, debet aut omnino non loqui vel admodum pauca: inducitur enim aut ut annuat aut ut aliquid ei imperetur.« Comm. Cruq. Pollux 2, 110: »*Εἰ δὲ τέταρτος ὑποκριτής τι παρεφθέγξατο, τοῦτο παραχορήγημα ἐκαλεῖτο.*« — *chorus*] Lambinus: »chorus tutetur et agat partes actoris, i. e. chorus habeatur unius actoris loco, unius munere fungatur et officium virile obeat i. e. unius personae locum obtineat.« Aristot. Poet. 18: »*Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου.*« Ceterum in omnibus codd. Cruquii legebatur *actoris*, non *auctoris*, quod non pauci alii codd. praebent. — *defendat*] ut Sat. I, 10, 12. — *consilietur*] consilium det; aliter Carm. III, 3, 17. — *peccare timentes*] Sic omnes prope codices, Acro, Comm. Cruq., qui interpretantur *innocentes*; et recte, nam qui *timent peccare*, nolunt peccare amore virtutis, ii boni sunt et innocentes. Quare non est cur cum Bentleio, Hauptio, Meinekio, Linkero ex vestigiis trium codicum scribamus *pacare tumentes*, quod idem prope est quod *iratos regere*. Ne Peerlkampio quidem persuasit Bentleius, et Doederlin. ex cod. Buslid. recepit *amet pacare timentes*. — *apertis portis*] Carm. III, 5, 23. — *tibia*] »Tibia enim ante non erat ita ornata neque tam multis foraminibus tubae aemula. Modo vero et ornata est et tam multa habet foramina, ut sonet quemadmodum tuba. Ostendit luxuriam recenter et ambitionem natam esse, antiquitatem vero severam fuisse; nam prius tibia non erat ambitiosa nec multis distincta foraminibus. Varro ait ad Marcellum de lingua latina, quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, et se ipsum in templo Marsyae vidisse tibias quattuor foraminum. Quare quaterna foramina antiquae tibiae habuerunt. Alii dicunt non plus quam tria.« Acro. Plutarch. de music. 30: »*ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουστέρας εἰς ποικιλωτέραν μεταβέβηκε μουσικήν.*« — *vincta*] Sic optimi codd., in iisque Blandinius antiquissimus aliique Cruquii; quattuor tamen Cruquii habent *iuncta*, quos secuti sunt Bentleius et Meinekius. — *spissa sedilia*] cf. Epist. I, 19, 41. infra 381. — *numerabilis*] »Apud

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quo sane populus numerabilis utpote parvus
Et frugi castusque verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor et urbes
Latior amplecti murus vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen traxitque vagus per pulpita vestem;
Sic etiam fidibus voces crevere severis
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

neminem ante Horatium hoc vocabulum nunc reperitur. Post Horatium Ovidius Met. V, 588.« Orellius. — *urbes*] Sic prope omnes, ut videtur, MSS.; unus Pottierii habet *urbem*, quod olim receperam. »Horatius in tota hac disputatione magis cogitat Graecos quam Romanos.« Peerlkamp. — *vino diurno*] conviviis tempestivis. — *placari*] vide ad Carm. I, 36, 2. — *indoctus quid enim*] »Hos versus neque eiiciendos (cum Paldamo) neque transponendos (post v. 224 cum Engelio) esse facile perspicitur, dummodo ad ea quorum causam indicant referantur. Sunt igitur cum decem qui praecedunt versibus coniungendi: ostendunt enim cur musica scenica non prius a prisca illa simplicitate desciverit quam quo tempore populus, quippe magnis victoriis potens, mollis et luxuriosus factus, dies noctesque conviviis et compotationibus benigne se tractare coepisset.« Hilgers de Q. H. F. epist. ad Pis. p. 39. — *liber laborum*] cf. Carm. III, 17, 16. Sat. II, 2, 119. Epist. II, 1, 140. De genitivo compara Lucan. VI, 300: »libera legum Roma.« Sil. Ital. V, 212: »erepto metuendi libera (iuventus) coelo.« — *turpis honesto*] infimae sortis homines cum nobilioribus. cfr. Carm. II, 4, 17. 20. Sat. I, 6, 69. Epist. II, 1, 149. — *vestem*] Epist. II, 1, 205; syrma tragicum. — *fidibus*] »*Sic*, eadem necessitate, *fidibus* prius *severis* et habentibus gravem sonum *crevere voces* propter gravitatem, quia semitonium est inventum, ut acutae voces gravibus consonarent.« Schol. cod. Monac. De voc. *severis* cf. Carm. II, 1, 9. — *eloquium*] »Pari modo fidicen quoque prisca severitate relicta severos lyrae sonos auxit atque poeta, ut liberiores musicae numeros sequeretur, chori orationem, quae antea simplex et modesta fuit, tantopere immutavit, ut iam praecipiti, inflato et obscuro dicendi genere usus sapientes et fatidicas proferret sententias, quae ab obscuris Apollinis Delphici oraculis non multum differebant.« Hilgers l. l. — *divina*] cf. Carm. III, 27, 10.

V. 220. *Cum Romani poetae nihil intentatum relinquerent* (cf. v. 285), *probabile est non defuisse tunc qui satyricum quoque drama Romam transferre conarentur, quamquam Orellii opinio paulo audacior videtur »hoc ipsum genus fuisse, in quo elaborare sibi proposuerit maior Pisonum, eum se fore sperans, qui patrias litteras ditaret novaque gloria afficeret.« Notandum est quod apud Porphyrionem (non Acronem) legitur: »Satyrica voc-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax

perunt scribere ut Pomponius Atalantem vel Sisyphon vel Ariadnen.« In satyrico autem dramate id maxime curandum esse docet, ut rectum illud ordinem et locum obtineat inter tragoediam et comoediam, h. e. cavendum, ne oratio verumque descriptio ad altiorem tragoediam adscendat aut ad demissiorem comoediam deprimatur. Praeterea artificis esse in hoc quoque genere notissimas res singulari eximiaque ratione tractare. vv. 220 – 250. — *ob hircum*] graece τράγος, unde τραγῳδία. — *nudavit*] nudos induxit in scenam, i. e. invenit. — *incolumi gravitate*] deorum et heroum, qui una cum Satyris inducebantur. — *spectator*] »qui spectator veniebat post sacrificia, iam pransus, iam potatus.« Acro. — *dicaces*] Quintil. VI, 3, 21: »Dicacitas sine dubio a dicendo, quod est omni generi commune, ducta est: proprie tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem.« — *seria ludo*] tragoediae immiscere satyricum genus i. e. μύθους tragicis affines. — *nuper*] »pro notione h. v. interpretandum est: iidem dii atque heroes, qui in tragoediis saepe conspecti, notissimi nobis sunt.« Orellius. — *leves versus*] quales comoediam decent. De constructione cf. Epist. I, 3, 35. — *matrona*] »Sunt enim quaedam sacra, in quibus saltant matronae, sicut in sacris matris deorum.« Acro. — *moveri*] cf. Epist. II, 2, 125. — *dominantia*] »nomina quae propriis vocabulis nuncupantur, ut *libri*, *capsa*, *pagina*.« Porph. Sunt κύρια, eigentliche Benennungen. Cic. de Orat. III, 37, 149: »propria sunt et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis.« — *Pythias*] »persona comica in comoedia Lucilii (Orellius coniecit: *Caecilii*), quae inducitur per astutias accipere argentum a Simone domino suo in dotem suae filiae.« Comm. Cruq. — *et audax*] sic legebatur in antiquissimo cod. Blandinio et altero Cruquii, non *an audax*, quae permultorum codicum lectio est. — *emuncto*] Horatius

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.
Silvis deducti caveant me iudice Fauni,
Ne velut innati triviis ac paene forenses
Aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
Offenduntur enim quibus est equus et pater et res,
Nec si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.
Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,

consulto h. v. utitur, quod sumptum est ex dialogo comico; pro *privare, decipere*. Terent. Phorm. IV, 4, 1: »Emunxi argento senes;« *ἀπομύσσειν* de quo vide Passow. lex. s. v. — *custos*] Diod. Sic. IV, 4: »φασὶ δὲ καὶ παιδαγωγὸν καὶ τροφέα συνέπεσθαι κατὰ τὰς στρατείας Διονύσῳ Σειληνόν.« — *ex noto*] Sententia est: tam noto ac solito dicendi genere utar, ut quivis idem se posse speret, verumtamen, si periculum faciat, multum laborem frustra impendat; tantum valet series et iunctura (cf. v. 48) verborum, qua vulgaris etiam sermonis potestas et honor magnopere augeri potest. Et bene Wielandius: »Diese Stelle ist sehr merkwürdig. Sie enthält eins von den grossen Mysterien der Kunst, welche Horatius ganz zuversichtlich ausschwatzen durfte, ohne Furcht, dass er den *ἀμυήτοις* etwas verrathen habe.« — *ausus idem*] Consulto haec verba in initio versus posita sunt, ut quasi certent cum primis verbis praecedentis versus. — *de medio sumptis*] notissimis, quae pronuntur contra exquisita. — *deducti*] in scenam. Fauni h. l. iidem sunt qui Satyri. — *innati triviis*] Fauni, inquit, silvestres sunt, quare non licet iis urbanum sermonem imitari et sibi arrogare, ne aut cum elegantibus iuvenibus nimiam affectent teneritatem ac mollitiem quandam dicendi aut cum corruptis hominibus immunda crepent. *Innati triviis* sunt urbani homines, sed cum aliquo contemptu dictum est; neque vero omnes qui sunt in urbe nati forenses sunt, nam *forenses* sunt qui in foro versari et causas agere consueverunt ideoque urbanam rationem dicendi diligenter observarunt. — *iuvenentur*] *ἅπαξ λεγόμενον* formatum ad Graecum *νεανιεύεσθαι*. De elegantia dictionis positum est. — *equus*] Indicantur *equites, ingenui, locupletes*, omnes omnino qui aliquid sentiunt in hac re. — *pater*] servi enim et liberti nullo patre nati habebantur. — *ciceris*] *δῆμος ἀμορῷξ* apud Aristoph. Equit. 41. cf. Sat. II, 3, 182. Ceterum omnes codd. Cruq. habebant *fricti*, non *fracti*, quod, etiamsi in optimis Orellii codd. est, ferri nequit.

V. 251. *In fabulis scribendis magna cura navanda est etiam rei metricae; quare agit poeta de trimetro, dum leges eius ostendit negligentiamque veterum poetarum latinorum notat. Tum commendat graeca exemplaria, Graeciaeque omnem laudem inventi dramatici generis vindicat, simul tamen confitetur latinos poetas laudanda aemulatione*

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni
In scenam missos cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager scribamque licenter? an omnes

nihil intentatum reliquisse ac praecipue eam rem bene instituisse, quod res ex patria historia petitas poetica sua facultate exornarent. vv. 251—288. — *accrescere iussit*] »Iambus citus voluit versum sex pedibus trimetrum vocari; non enim unus pes iambus metrum fecit ut alii pedes, sed duo propter volubilitatem.« Comm. Cruq. — *iambeis*] graeca forma pro latina *iambicis* versui minus commoda. Nunc vocabulum est ἅπαξ λεγόμενον, cf. Carm. II, 6, 5 *Argeo*. — *cum redderet*] i. q. quamvis redderet; subiectum grammaticum quod vocamus ubique *iambus* est, quamquam sententia non pedem iambicum, sed trimetrum versum requirit. — *non ita pridem*] de infinito aliquo tempore ut *nuper*. cf. Sat. II, 2, 46. Cic. Brut. 10 med.: »Themistocles fuit regnante iam Graecia, nostra autem civitate *non ita pridem* dominatu regio liberata.« — *socialiter*] ἅπαξ λεγόμενον. Est idem quod *commode*, ut socii faciunt, qui alter alteri interdum aliquid de suo iure remittunt. — *Hic*] non est adverbium, quo Roma contra Graeciam poneretur, sed est subiectum verbi *apparet*: hic iambus raro reperitur in versibus Attii et Ennii ne in secunda quidem et quarta sede; illi enim satis fecisse sibi videbantur, si sexta sedes iambum haberet. — *missos*] »Nota huius versus quinque spondeos, quibus egregie imitatur Ennii senarios propter huius ipsius pedis frequentiam nimis graves ac tardos.« Orellius. — *premit crimine*] Pergit poeta in προσωποποιΐᾳ, nam *iambus* e suis sedibus eiectus quasi accusator surgit turpique crimine nimiae festinationis aut inscitiae versus premit i. e. accusat. cf. Liv. III, 13, 1: »*Premebat* reum praeter vulgatam invidiam *crimen unum*.« — *videt*] vide ad Sat. II, 1, 15. Versus, ut videtur, de industria male factus est; docuit enim Lehrsius (Jahn. Annal. philol. 1860. 8. p. 513) haec: »ein jeder Hexameter hat ein Wortende entweder nach der dritten Lange oder nach der darauf folgendeo Kürze oder nach der vierten Länge. Horatius brauchte nur dies zu unterlassen, um immodulata poemata zu bezeichnen.« — *idcircone*] Num inscitia populi et licentia poetis apud nos concessa fretus nullaque lege obstrictus malos versus faciam? an meliore iudicio usus, omnes cum putem mea vitia visuros, id efficere studeam, ut tutus sim a crimine et ea tantum admittam quae veniam habitura videantur? Hoc alterum rectius quidem est, sed altius enitendum est poe-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Visuros peccata putem mea tutus et intra
Spem veniae cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his comoedia non sine multa

tis, scilicet ut imitentur exemplaria graeca, quae his quoque rebus summam curam navarunt. Nam qui crimen vitat, is culpam solum vitavit; contra qui perfectissima quaerit et invenit, is laudem meruit. — *vitavi denique*] ut breviter dicam; cf. Sat. I, 4, 80. A. P. 23. — *At vestri*] Sic omnes codd. paucis exceptis, in quibus est *nostri*, quod ex imprudenti correctura ortum est. Alloquitur autem Horatius non Pisones solum sed omnes etiam Romanos, quos sperabat haec lecturos esse. — *Plautinos*] cf. Epist. II, 1, 170. Aliud de Plauto iudicium tulit Cicero de Off. I, 29. Et cf. Quintil. X, 1, 99: »In comoedia maxime claudicamus; licet Varro Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent.« — *digitis*] Terentian. 2253: »moram, Quam pollicis sonore vel plausu pedis Discriminare, qui docent artem, solent.« Quintilian. IX, 4, 51: »tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant.« — *Thespis*] vide ad Epist. II, 1, 163. Sed de hoc loco: »in his omnibus, inquit Orellius, videtur sequi grammatici vel historici alicuius Graeci opinionem, nisi ipse tragoediae et comoediae primordia confudit;« et de plaustris: »error hic ortus videtur ex confusione cum iis quae τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν vocabant. Suidas: τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν· ἐπὶ τῶν ἀπαραλύπτως σκωπτόντων· Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἐσκωπτόν τε καὶ ἐλοιδόρουν· τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ληναίοις ὕστερον ἐποίουν. Certe antiquissimum scenae genus erat non plaustrum, sed ἐλεός, τράπεζα ἀρχαία, ἐφ' ἧν πρὸ Θέσπιδος εἰς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο. Pollux IV, 123.« — *faecibus*] »ne cognoscerentur; nondum enim usus erat personarum.« Schol. Fortasse fiebat etiam ioci causa, nam plaustra et ora faecibus uncta non tragoediae sunt, sed comoediae. — *personae*] Alii personam a Thespide inventam tradiderunt. — *honestae*] Coniungendum hoc adiectivum est cum *pallae*, non cum *personae*; haec enim inhonesta non fuerat. *Palla* (σύρμα) vestis est matronalis, usque ad talos demissa, qua induebantur actores, cum fe-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Laude, sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi: lex est accepta chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtae,
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non

minarum partes acturi essent. — *vetus comoedia*] vide ad Sat. I, 4, 1. — *in vitium*] libertas, *παῤῥησία*, decidit in licentiam et petulantiam. — *lex*] Suidas v. *Ἀντίμαχος*: *Ἔδοξεν οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος.* Eiusmodi *ψηφίσματα* lata dicuntur intra annos 417—404; et iam inter Olymp. 85, 1—4 Cratini fabula *Ὀδυσσεῖς* sine choro et *παραβάσεσιν* edita fertur. — *turpiter obticuit*] turpe videtur tacere sublato iure nocendi, quasi ante loquendo nihil voluerit aliud efficere nisi nocere i. e. maledicere. — *domestica facta*] argumenta celebrarunt ex rebus gestis Romanorum petita. — *docuere*] pro *scripsere*, ad similitudinem graeci verbi *διδάσκειν*. — *praetextas*] tragoedias Romanas et Romani argumenti, dictas a praetexta toga, qua induti nobiles viri in iis agebant; opponuntur *crepidatis*, graeci argumenti. Solito tamen nomine illae solebant nominari *praetextatae*. — *togatas*] comoedias Romani argumenti; opponuntur palliatis, graeci argumenti.

V. 289. *Sed deerat Latinis emendatio et expolitio (lima) et elaborationis constantia; quare in arte poetica Latium superatum est a Graecia. Verum expolitione utique opus est, cum ingenii virtus arte relicta summa praestare non possit. De qua re cum quae vulgo creduntur falsissima sint, Horatius contempta dehinc poetica laude cotem se futurum pollicetur, quae ferrum acuat ad secandum, ipsa non secet, h. e. docturum se esse quibus rebus maxime opus sit poetis latinis*, vv. 289—308. — *unum-quemque*] vide ad Sat. I, 2, 62. — *Pompilius sanguis*] cf. Sat. II, 2, 107. Pers. 1, 61: »Vos o patricius sanguis.« Hermann. ad Eurip. Androm. p. XV: »Mihi utique nominativus, quem pro vocativo positum volunt, non vocantis, sed declarantis esse videtur.« Plutarch. Num. 21 *Pomponios* dicit, *Pinarios*, *Calpurnios*, *Mamercos* ortos esse a quattuor filiis Numae, quorum nomina fuerint Pompo, Pinus, Calpus, Mamercus. — *castigavit*] Metaphora sumpta est ab arboribus, quarum rami supervacanei amputantur. Similiter Graeci *χολάζειν*. — *perfectum*] ita ut perfectum sit. Bentl. ex duobus codd. Cruq., inter quos est Bland. antiquiss., aliis recepit *praesectum* eumque secuti sunt Haupt. Meinek. Linker. Ritter.; sed refutavit Peerlkamp., qui ipse coniecit scribendum esse *resectum*, ut sit: decies resecabit et ad unguem castigabit. Servavi vulgatam cum Orellio, Kruegero, Doederlinio. — *ad unguem*] vide ad Sat. I, 5, 32. — *Democritus*] vide ad Epist. I, 12, 12. Cicero de divin. I, 37: »Negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse; quod idem dicit Plato.« Id. de Orat. II, 46, 194: »Saepe audivi poetam bonum neminem — id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt — sine inflammatione

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Multa dies et multa litura coërcuit atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi:
Munus et officium nil scribens ipse docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam,
Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons:

animorum exsistere posse et sine quodam afflatu quasi furoris.« Scripsit Democritus *περὶ ποιήσεως* et *περὶ Ὁμήρου*. — *bona pars*] Carm. IV, 2, 46. Sat. I, 1, 61. Castigantur festive ii, qui ingenio freti artem laboremque ut sua magnitudine indignum spernunt ideoque ingeniosam quandam negligentiam affectantes sanis hominibus largam ridendi copiam praebent; scilicet ut quanto ipsi ingenio sint ornati ostendant, vulgarium hominum et mores contemnunt et societatem vitant. — *Anticyris*] vide ad Sat. II, 3, 83. Meinek.: »cum duae fuerint Anticyrae ellebori proventu nobiles, hoc dicere videtur poeta: si vel tres essent Anticyrae, ne harum quidem omnium elleborum sanaret istum.« — *Licino*] »Nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium; de quo hoc scriptum est epitaphium: *Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo, Pompeius parvo: quis putet esse deos?*« Comm. Cruq. Sed recte iudicarunt, qui Licinum hunc Horatianum diversum putant ab eo qui Augusti gratia fruebatur. Huic enim ita illudere non poterat Horatius. — *laevus*] Virg. Aen. II, 54. — *purgor bilem*] In bile quaerebant causam *μελαγχολίας*, insaniae. Veratrum autem ad sanandam insaniam Celso auctore optime vere, non hieme neque aestate, datur. — *nil tanti*] Recte, ut nunc video, Doederlinius: nil tanti est *quanti sanum fieri*, purganda bile. Corrigit igitur poeta celeriter id, quod ante ipse de se *εἰρωνικῶς* vituperaverat: *o ego laevus*. cf. Cic. Att. XIII, 42: »dum dubitabam, quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem (avunculo). Nunc mihi nihil tanti est; faciam quod volunt;« i. e. nihil tanti est quanti facere, quod volunt.

V. 309. *Tantum abest ut insania et furor efficiat bonum poetam, ut ad recte inveniendas res maxime necessaria sit sapientia. Exploranda poetae est tota vita humana, cognoscendi sunt mores, ne versus componat verbis canoros, sententiis ina-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem

nes. Inde nata Grascis est poesis, inde negata est Romanis, quorum pueritia non ad sapientiam sed ad avaritiam et lucri cupiditatem instituitur, vv. 309—332. — *Socraticae chartae*] libri Socraticorum, Platonis, Xenophontis, Aeschinis. »Strenue autem Horatius ipse hoc suum exsequebatur praeceptum. Cfr. Sat. II, 3, 11.« Orellius. — *sequentur*] Cic. de Orat. III, 50: »tantum Antipatri Sidonii valuit exercitatio, ut, cum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur.« — *conscripti*] »senatoris; ex formula *patres conscripti* uno fortasse hoc loco reperitur.« Orellius. — *exemplar vitae*] Exemplar id est quod ad imitandum nobis proponimus; cf. Epist. I, 2, 18. Plin. Epist. II, 1: »nobis quaerendus (Virginius Rufus) ac desiderandus est ut *exemplar* aevi prioris.« Illud autem exemplar, ad quod vita moresque dirigenda sunt, ex philosophia petendum est. — *hinc*] ab exemplari, ad quod instituendae sunt *vivae voces* i. e. voces personarum, hominum, qui describuntur. — *vivas voces*] Ante Cruquium scribebatur *veras*; illud tamen (*vivas*) in omnibus libris Cruquii repertum est. — *speciosa locis*] sententiis gravibus moribusque recte descriptis eximia. — *nullius veneris*] ceterum destituta lepore ac venustate. — *sine pondere*] cf. Epist. II, 2, 112. — *nugaeque canorae*] cf. Cic. de Orat I, 12: »Quid est autem tam furiosum quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia?« ibid. II, 17: »sententiarum gravitate, *ponderibus* verborum est utendum,« cf. Epist. II, 2, 76. — *Graiis*] cf. Epist. II, 1, 93 sqq. — *ore rotundo*] »turgido, tumido, ornato, polito, erudito, perfecto.« Comm. Cruq. vide Passow. lex. gr. s. v. στρογγύλος. Cic. Brut. 78, 272: »erat verborum et delectus elegans et apta et quasi *rotunda* constructio.« — *praeter laudem*] Xenoph. Mem. III, 3, 13: »Ἀλλὰ μὲν οὔτε εὐφωνίᾳ τοσοῦτον διαφέρουσιν Ἀθηναῖοι τῶν ἄλλων οὔτε σωμάτων μεγέθει καὶ ῥώμῃ ὅσον φιλοτιμίᾳ, ἥπερ μάλιστα παροξύνει πρὸς τὰ καλὰ καὶ ἔντιμα.« — *nullius avaris*] nullius pro nullius rei, ut Ovid. Met. I, 17. XV,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini: Si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? Poteras dixisse. Triens. Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis. At haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poëtae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi,
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes:

242. — *Albini*] nomen feneratoris cuiusdam avari, cuius sane filius maxime aptus est qui a magistro (nam in ludum litterarium h. l. ducimur) de re nummaria interrogetur. — *poteras dixisse*] Magistri sunt puerum non reprehendentis sed leniter excitantis et ipsa laude ad cogitandum stimulantis. Sic melius quam quod aliis placuit ex MSS. *poterat*. Horkelius ex coniectura *poteris*, Schneidewinus *properas*. — *redit*] Si ad quincuncem additur uncia, fit semis, i. e. dimidia pars assis sive sex unciae. — *peculi*] de pecunia, quam sua sibi quis cura et parsimonia paravit. cf. Virg. Buc. 1, 32, ubi proprie positum est vocabulum de servo. — *cedro*] oleo cedrino, de quo Porphyrio: »libri qui aut cedro illinuntur aut arca cupressi inclusi sunt, a tineis non vexantur.«

V. 333—346. *Alterum ex iis praeceptis quae propositurum se versu 307 sq. indicavit, hoc est: poetam qui omnibus velit probari docere simul debere et delectare legentes, miscendam esse utilitatem carminum cum dulcedine.* — *esto brevis*] Summa haec virtus eorum carminum, quibus prodesse volunt poetae. — *cito*] coniunge cum *percipiant*. — *supervacuum*] quodcunque nimis amplum ac latum est, animo non recipitur, sed elabitur. Ceterum hic versus Bentleio et Peerlkampio non immerito suspectus est: »solebant olim sententiosa huiusmodi in margine allinere, quae postea in contextum irrepserunt.« Comparant Sammonic. c. 65 de haemorrhagia: »Si modicus pleno manet de corpore sanguis, Subvenit: at nimius cum vita funditur ipsa.« — *ficta*] Haec alteri poetarum parti dicuntur, qui delectare volunt. — *nec quodcunque*] Sic Cruquius ex suis codicibus, ut videtur. Alii cum Bentleio praetulerunt *ne*. — *pransae Lamiae*] »Lamia est monstrum superne habens speciem mulieris, inferne vero desinit in pedes asininos.« Comm. Cruq. Dicebantur hae pueros devorare vel eorum sanguinem exsugere. — *agitant*] propellunt, spernunt. cf. v. 456. — *Ramnes*] »Sen-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum:
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.

sus est; senes gravitate carminis et dictionis pondere delectantur, iuvenes austera et gravia non amant.« Acro. *Celsi Ramnes* iuniores sunt equites, superbi, nobilitate generis elati, fastidiosi. cfr. Liv. VII, 6: »*celsi* et spe haud dubia feroces in proelium vadunt.« Cic. de Orat. I, 40, 184: »iura suae civitatis ignorantem erectum et *celsum* alacri et prompto ore atque vultu huc atque illuc intuentem vagari . . toto foro . . nonne imprimis flagitiosum putandum est.« Compara Liv. I, 13. — *austera*] quae solam utilitatem spectant, non simul delectant. — *punctum*] vide ad Epist. II, 2, 99. — *Sosiis*] cf. Epist. I, 20, 2. — *mare transit*] vide ad Epist. I, 20, 13.

V. 347. *In tali igitur carmine parvis vitiis venia danda est, dummodo poeta caveat a nimia eorum frequentia. Mediocria enim carmina non feruntur, quia necessaria non sunt hominesque eas res, quibus sine detrimento carere possunt, non amant nisi quam perfectissimas;* vv. 347—384. — *ignovisse*] De perfecto vide supra v. 98. — *nam neque*] Duo adduntur exempla vitiorum, quae cum non committantur pravitate consilii, veniam debeant impetrare. — *fudit*] accommodatum verbum ad maculas, ut continuetur metaphora. cf. Sat. I, 6, 66 sqq. — *scriptor librarius*] servus qui libros describit. — *peccat idem*] Cic. N. D. I, 12: »Xenophon eadem fere peccat.« vulgo: in eodem peccat. — *cessat*] cf. Epist. II, 2, 14. — *Choerilus*] vide ad Epist. II, 1, 232. — *bis terve*] vide ad Epod. 5, 33. — *quandoque*] vide ad Carm. IV, 1, 17. — *dormitat Homerus*] Quaesiverunt interpretes, quodnam Homeri vitium Horatius reprehendere videatur. Tu autem noli quaerere, sed vide mecum Homerum propositum tanquam exemplar perfecti poetae, qui merito veniam accipiat, si interdum somno aliquo abripiatur. Quintil. X, 1, 24: »Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati; nec semper intendunt

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura, poësis: erit quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes:
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messallae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia coena sine istis;
Sic animis natum inventumque poëma iuvandis,

animum et nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni *dormitare* interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur.« — *pictura*] cf. Cic. Tusc. V, 39, 114. Plutarch. de glor. Athen. p. 346. F.: »Ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευεν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν«; quamquam recte notatum est, in eo similibusque locis internam quasi naturam carminum et tabularum spectari. Horatium vero de externa utriusque artis similitudine loqui et docere, diversa utriusque artis opera diverso etiam modo diiudicari oportere. — *abstes*] ἅπαξ λεγόμενον: inde corruptelae *adstes, absis, aptes*. — *tolle*] mente recipe. cf. Virg. Aen. VI, 377 et compara Sat. II, 6, 42. — *certis*] quibusdam. — *consultus iuris*] Mediocres toleramus eas tantum artes quibus aegre caremus; sic in minoris momenti litibus etiam mediocris patronus voluntati nostrae satisfacit; longe aliter sese habet ars poetica. — *Messallae*] M. Valerius Messalla Corvinus, homo disertissimus. *Cascellius Aulus*, vir iuris civilis scientia et facetiis clarus, infestissimus triumviris a. u. c. 712. — *columnae*] vide ad Sat. I, 4, 71. — *symphonia*] Lachm. ad Lucret. p. 406: »apud veteres (poetas latinos) magna fuit *a* litterae a Graecis productae observatio, quamquam etiam elidere interdum ausi sunt . . . Pauca iam tum mutabant; primum ea in quibus diphthongos est, ut *Troia, Astraea*; deinde appellativa quaedam usu Latino olim trita, ut *purpura*, ut *comoedia luget* in versu hexametro Plauti, item *hora, lyra, hydra, symphonia* Horatii. Deinde gentilia, ut *Syra*, et propria quasi ex adiectivis gentilibus, ut *Ilia* Ennii, *Lesbia* Catulli; item adiectiva omnia, ut *Rhamnusia*, ut *fides Cyllenia*.« — *Sardo melle*] »Corsicum et Sardum mel pessimi saporis est.« Porph. Plinius tradit candidi papaveris semina tosta in secunda mensa cum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Si paulum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae;
Qui nescit versus tamen audet fingere. Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi iudicium est, ea mens; si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat iudicis aures
Et patris et nostras, nonumque prematur in annum
Membranis intus positis: delere licebit
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque deorum

melle apud antiquos inferri solita esse. — *duci*] Epod. 17, 63. Epist. II, 2, 202. — *Ludere qui*] Quod cum sit verissimum neque reliquas artes quisquam profiteri audeat nisi qui earum sit peritus, tamen omnes sibi iure videntur versus facere. — *qui nescit*] Alii distinguunt *qui nescit, versus*, alii contra *qui nescit versus, tamen*. Rectius omni interductu abstinebis, quoniam sententia est: qui nescit versus fingere, tamen audet versus fingere.

V. 385. *Illorum tu exemplum noli imitari, sed primum excute te ipsum, num tibi natura dederit ingenium poeticum; deinde quaecunque scripseris ea subiice iudicio et amicorum, quos in ea arte multum valere scis, et tuo ipsius, ne studio tuo indulgens emittas poemata quae rectius contineantur in scriniis. Nam non omnia digna sunt quae in publicum edantur; scilicet poeticae arti summum propositum est munus* (vv. 391—407); *quo qui recte vult fungi, in eo oportet coniunctum esse ingenium poeticum cum arte et constantia* (v. 411); *neque quidquam est quod magis noceat poetae quam aut animus facile sibi indulgens suaque facultate contentus aut mala laudatio hominum, quorum iudicium vel amicitia vel lucri cupiditate corruptum est. Quare quaerendi sunt iudices integri ac sinceri.* vv. 385—452. — *invita Minerva*] cf. Cic. de Off. I, 31. — *id tibi*] quod tuum iudicium, quae tua mens est, ut probe scio. — *olim*] vide ad Carm. II, 10, 17. — *Maeci*] vide ad Sat. I, 10, 38. — *nonum in annum*] cf. Catulli carmen de Helvii Cinnae Zmyrna (95, 1): »Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem Quam coepta est nonamque edita post hiemem.« More veterum numerus annorum indefinite ponitur ad indicandum longum temporis spatium. Ceterum hoc praeceptum non omnes omnino tenere videtur scriptores et poetas sed praecipue adolescentes qui procliviores esse solent ad praecipitandam poematum suorum editionem. Quintil. X, 4, 2: »Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponuntur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandiantur.« — *silvestres*] Describitur a v. 391 usque ad v. 407, quid poetica ars ad excolendam vitam humanam mitigandosque mores, ad corroborandos animos firmandumque patriae amorem, denique ad reficiendas vires ex longis ante curis operibusque valuerit semperque valeat. Illud autem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte
Quaesitum est; ego nec studium sine divite vena,

eo poeta consilio fecit, ut dignitatem poesis, unde tanta in genus humanum beneficia redundassent, clara luce collustraret neque eam unquam cuiquam vel dedecori vel pudori fore ostenderet, nisi qui vel ingenio destitutus vel limae laborisque impatiens nec paratus satis nec dignus accedere auderet. Cic. de Invent. I, 2: »Fuit quondam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur et sibi victu ferino vitam propagabant.« Sat. I, 3, 99. — *sacer*] Virg. Aen. VI, 645. Aristoph. Ran. 1032: *»Ὀρφεὺς μὲν γάρ τελετὰς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.« — interpres deorum*] Plat. Io p. 534. E.: *»οἱ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσι τῶν θεῶν.« — victu foedo*] »instar ferarum.« Comm. Cruq. — *Amphion*] Carm. III, 11, 2. Epist. I, 8, 41. — *urbis*] Sic ex auctoritate antiquissimorum codicum, inter quos sunt omnes Cruquii. Altera lectio *arcis*, quam praetulerunt Bentleius, Hauptius, Linkerus, ex interpretatione eorum orta videtur, qui Horatianum vocabulum accuratius vellent definire. — *blanda*] Carm. I, 24, 13. — *sapientia*] Nam ut apud Plat. Lysid. p. 214. A. est *»(οἱ ποιηταὶ) ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες.« — ligno*] »Aereis enim tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis has incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae *ἄξονες* vocantur.« Porphyr. — *Tyrtaeus*] Atheniensis, qui Spartanis in secundo bello Messenio dux missus »carmina exercitui pro concione recitavit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat.« Iustin. III, 5. — *sortes*] oracula Delphica. Cic. de divin. II, 56: »Nam cum *sors* illa edita est opulentissimo regi Asiae: Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim cet.« — *vitae via*] in carminibus didascalicis Solonis, Theognidis, aliorum. — *gratia regum*] Hieronis, Theronis, aliorum principum quaesita lyricis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse: Ego mira poëmata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est
Et quod non didici sane nescire fateri.
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta
Dives agris, dives positis in fenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere et eripere atris
Litibus implicitum; mirabor si sciet inter-
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris seu quid donare voles cui,

carminibus Pindari, Simonidis, Bacchylidis. — *ludus*] per scenicam poesim. — *nec studium*] cf. Cic. Arch. 7, 15. — *coniurat*] poetice de rebus inanimatis. *Coniurare* autem idem est quod *conspirare* et indicat intimam coniunctionem et consensionem. Ad sententiam cf. Cicer. Arch. c. 7. Horat. Carm. IV, 4, 33. — *metam*] Carm. I, 1, 4. Exemplo utitur palaestrae et artis musicae ad ostendendam necessitatem laboris et exercitationis. — *nunc satis est*] »Satis est nostris poetis ut dicant.« Comm. Cruq., quem vides legisse in suo exemplo *nunc*, non *nec*, quod non recte praetulerunt Orelli. Doederlin. Haupt. Meinek. Linker.; neque aliter Acro: »in *hac* copia imperitorum sufficit alicui sese iactare.« Comprobat codicum auctoritas et totius loci acerbitas. Mecum consentiunt Ritter. et Krueger. — *scabies*] »Est imprecatio tracta a ludo puerili; qui enim praeest currentibus ad metam pueris dicere solet: qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in ulnas meas accipiam; qui vero erit ultimus, occupet eum scabies, eum respuam ut scabiosum.« Comm. Cruq. — *sane*] concessivam hoc quoque loco habet sententiam, ut Epist. I, 7, 61. Coniunge autem *non didici sane*, ut graece *οὐ πάνυ*, nos nicht recht. Ad sententiam cf. Cicer. ad Att. XIV, 20: »Nemo unquam neque poeta neque orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit.« id Tuscul. V, 22: »In hoc enim genere nescio quo pacto magis quam in aliis suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur.«

V. 420. *assentatores*] cf. Epist. I, 19, 37 sqq. — *dives agris*] versus repetitus ex Sat. I, 2, 13. — *unctum*] lautum convivium. cf. Epist. I, 15, 44. — *levi*] vili et humili, cui sine sponsore fides deest. — *atris*] Bentleius ex coniectura *artis* i. e. strictis, nodosis litibus; idem postea repertum in duobus codd. non optimae notae. Receperunt Haupt. Meinek. Linker., non Krueger. aut Doederlin., quamquam hic favere ei vi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae: clamabit enim Pulchre! Bene! Recte!
Pallescet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere cululis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, Corrige sodes
Hoc, aiebat, et hoc. Melius te posse negares
Bis terque expertum frustra, delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere versus:
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum

detur. — *internoscere*] vide ad Sat. I, 2, 62. — *Pulchre, Bene, Recte*] Peerlkamp.: »si unquam, in tali oratione eaque adulatoris requiritur climax. Quare non dubito quin Horatius inverso ordine dederit *recte! bene! pulchre!*« Idem reperit Fea in cod. Romano Vaticano. Cave sequaris, nam in vulgata lectione vel habes gradationem, sed aliam atque eam quam Peerlk. voluit, vel nihil nisi variationem blandarum exclamationum, quas assentatores non omnes simul effundunt, sed in aliam post aliam erumpunt. — *pallescet*] »pallidus fiet cum admiratione.« Comm. Cruq. Tragoediae recitatae locis terrore se impletum simulabit. — *rorem*] Ovid. Met. XIV, 708. — *conducti*] vide ad Carm. II, 20, 22 sq. — *derisor*] falsus laudator. Epist. I, 18, 11. — *reges*] vide ad Carm. I, 4, 14. — *torquere*] cf. Epist. I, 18, 38. — *cululis*] vide ad Carm. I, 31, 11. — *vulpe*] Sic Pers. 5, 117: »Astutam servas rapido sub pectore vulpem.« — *Quintilio*] Hunc verum criticum assentatori opponit. Vide ad Carm. I, 24. Tota loci natura suadet, haec cum scriberentur, Quintilium iam fuisse mortuum. — *negares*] In protasi est omissa particula *si*. — *bis terque*] vide ad Epod. 5, 33. — *tornatos*] »Si minus recte opus suum perfecisset artifex in metalli ornamentis torno elaborandis, consentaneum erat ut in incude marculi ictibus omnia tollerentur, ut cum rotundatum esset metallum denuo torno includeretur.« Orellius. De metaphora Propert. II, 34, 43: »Incipe iam angusto versus includere torno.« — *quin amares*] Pendet part. *quin* ex notione prohibendi quam sentis inesse in verbis *operam insumere*. — *inertes*] sine gravitate

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus, nec dicet: Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam
Qui sapiunt, agitant pueri incautique sequuntur.
Hic dum sublimis versus ructatur et errat,
Si veluti merulis intentus decidit anceps
In puteum foveamve, licet Succurrite longum
Clamet Io cives! non sit qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre et demittere funem,
Qui scis an prudens huc se proiecerit atque
Servari nolit? dicam Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit ius liceatque perire poëtis;

factos, inanes. — *atrum signum*] Pers. 4, 13: »Et potis es nigrum vitio praefigere theta.« Mart. VII, 37, 1: »Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum? Est operae pretium discere theta novum.« Obelo apposito versum delendum esse indicatur; *atrum* autem signum dicitur festiva dilogia. — *ambitiosa*] supervacanea ideoque nocentia. Significationem intelliges ex Plinii loco H. N. V, 15, 15: »Iordanes amnis amoenus, et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus.« cf. Epist. II, 2, 122. — *Aristarchus*] Samothracius, circa a. 154 a. Chr. n. Alexandriae vixit. Qui cum severe de Homeri versibus, quos alienos haberet, iudicasset, exemplum factus est severi iudicis. Cic. Pis. 30: »Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarin grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare.« id. Att. 1, 14: »Orationes meae, quarum tu Aristarchus es.«

V. 453. *Tam severum de carminibus iudicium necessarium est, ne poetae caeco sui amore capti et in insania sua vim divinam cernentes iratis diis poemata faciant hominibusque molestias creent.* vv. 452—476. Respondet exitus initio, imago insani poetae imagini monstruosae figurae. — *seria mala*] quippe quae famam perdant. — *morbus regius*] morbus arquatus, Gelbsucht. — *Diana*] Significantur lunatici, *σεληνιαζοί*. — *sublimis*] elato capite, ut non videat quid pedibus suis obstet. Graece *μετέωρος*. — *pueri*] compara Sat. I, 3, 133. — *ructatur*] Usitatior activa forma huius verbi est. — *puteum*] cf. Epist. II, 2, 135. — *non sit*] imperative. ut Sat. II, 5, 91. — *scis an*] vide ad Carm. IV, 7, 17. — *Siculi-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit, nec si retractus erit, iam
Fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet cur versus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres an triste bidental
Moverit incestus: certe furit ac velut ursus,
Obiectos caveae valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus;
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

que poetae] »Ad coërcendam superbiam stultorum poetarum de Empedocle, Siciliensi poeta, dat exemplum, qui carmine conscripsit physica; et credens se immortalem fore dignitate carminis, volensque suam immortalitatem probare deiecit se in flammam Aetnae montis: sed eius crepidae, quas flamma eructavit (erant enim aereae) prodiderunt eum. Erat autem Empedocles Agrigentinus, Pythagoricus.« Comm. Cruq. Vixit circ. a. 442 a. Chr. n. — *idem occidenti*] vide Zumpt. gr. lat. §. 704. Ad sententiam compara Senec. Phoen. 100: »Occidere est vetare cupientem mori.« Praeter h. v. in satiris et epistolis Horatii spondaicus non reperitur. — *Nec satis*] Ac fortasse nefas est eum a versibus faciendis prohibere; etenim ea potest esse poena criminis alicuius ab isto homine olim commissi. — *bidental*] »Id quod Iovis fulmine percussum est bidental appellatur; hoc expiari non potest. Sunt autem qui putant ab agna (*bidens*) dictum bidental.« Porphyr. Fest. p. 27: »Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur.« — *minxerit*] cfr. Pers. 1, 113: »pueri, sacer est locus, extra Meiite.« — *moverit*] violaverit. Epod. 17, 3. — *clathros*] »Clathri sunt robusti postes et rotundi, repagula, quibus obfirmatur cavea.« Comm. Cruq. Graece *κλῆθρα*. De imagine compara Auct. ad Herenn. IV, 39: »Quodsi istum, iudices, vestris sententiis liberaveritis, statim, sicut e cavea leo missus aut aliqua teterrima belua soluta e catenis, volitabit et vagabitur in foro, acuens dentes multos in cuiusque fortunas, in omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans.« — *arripuit*] »Cum dixerat *arripuit* et *tenet*, iam cogitat hirudinem. Nam haec propria sunt naturae animalculi vocabula.« Peerlkamp.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

INDEX NOMINUM PROPRIORUM
MAXIME MEMORABILIUM.

Academus, Epist. II, 2, 45.
Achaemenes, Carm. II, 12, 21. III, 1, 44. Epod. 13, 8.
Achaicus, Carm. I, 15, 35. IV, 3, 5.
Acheron, Carm. I, 3, 36. III, 3, 16.
Acherontia, Carm. III, 4, 14.
Achilles, Carm. I, 15, 34. II, 4, 4. II, 16, 29. IV, 6, 4. Epod. 17, 14. Sat. I, 7, 12. II, 3, 193. Epist. II, 2, 42. A. P. 120.
Achivus, Carm. III, 3, 27. IV, 6, 18. Sat. II, 3, 194. Ep. I, 2, 14. II, 1, 33.
Acrisius, Carm. III, 16, 5.
Actius (pugna), Epist. I, 18, 61.
Aeacus, Carm. II, 13, 22. III, 19, 3. IV, 8, 25.
Aegaeus (mare), Carm. II, 16, 2. III, 29, 63. Epist. I, 11, 16.
Aelius Lamia, Carm. I, 26, 8. I, 36, 7. III, 17. Epist. I, 14, 6.
Aemilius ludus, A. P. 32.
Aeneas, Carm. IV, 6, 23. IV, 7, 15. C. S. 42. Sat. II, 5, 63.
Aeolius, Carm. II, 13, 24. III, 30, 13. IV, 3, 12. IV, 9, 12. Ep. I, 18, 46.
Aeschylus, Epist. II, 1, 163. A. P. 279.
Aesopus, tragoediarum actor, Sat. II, 3, 239. Epist. II, 1, 82.
Aesula, Carm. III, 29, 6.
Aethiops, Carm. III, 6, 14.
Aetna, Carm. III, 4, 76. Epod. 17, 33. A. P. 465.
Aetolus (plagae), Epist. I, 18, 46.
Afranius, Epist. II, 1, 57.
Africus, Carm. I, 1, 15. I, 3, 12. I, 14, 5. III, 23, 5. III, 29, 57. Epod. 16, 22.
Agamemno, Carm. IV, 9, 25.
Agave, Sat. II, 3, 303.
Agrippa, Carm. I, 6. Sat. II, 3, 185. Epist. I, 12, 1. 26. I, 6, 26.
Agyieus, Carm. IV, 6, 28.
Aiax (Telamonius), Carm. II, 4, 5. Sat. II, 3. 187. 193. 201. 211. (Oileus) Carm. I, 15, 19. Epod. 10, 14.
Albanus lacus, Carm. IV, 1, 19.
Albinovanus, Epist. I, 8.
Albinus, A. P. 327.
Albius Tibullus, Carm. I, 33. Ep. I, 4.
Albunea, Carm. I, 7, 12.
Alcaeus, Carm. II, 13, 27. IV, 9, 7. Epist. I, 19, 29. II, 2, 99.
Alcides, Carm. I, 12, 25.
Alcinous, Epist. I, 2, 28.
Alexander Epist. II, 1, 232. 241.
Alexandrea, Carm. IV, 14, 35.
Algidus, Carm. I, 21, 6. III, 23, 9. IV, 4, 58. C. S. 69.
Allifanus, Sat. II, 8, 39.
Allobrox, Epod. 16, 6.
Alpes, Carm. IV, 4, 17. Sat. II, 5, 41.
Alyattes, Carm. III, 16, 41.
Amphiaraus, Carm. III, 16, 11.
Amphion, Carm. III, 11, 2, Epist. I, 18, 41. 44. A. P. 394.
Anacreon, Carm. IV, 9, 9. Epod. 14, 10.
Anchises, Carm. IV, 15, 31. C. S. 50.
Ancus, Carm. IV, 7, 15. Ep. I, 6, 27.
Andromeda, Carm. III, 29, 17.
Anio, Carm. I, 7, 13.
Anticyra, Sat. II, 3, 83. 166. A. P. 300.
Antilochus, Carm II, 9, 14.
Antiochus, rex Syriae, Carm. III, 6, 36.
Antiphates, A. P. 145.
Antium, Carm. I, 35, 1.
Antonius, triumvir, Sat. I, 5, 33. Eius filius, Carm. IV, 2.
Antonius Musa, Epist. I, 15, 3.
Anxur, Sat. I, 5, 26.
Apella, Sat. I, 5, 100.
Apelles, Epist. II, 1, 239.
Apollo, Carm. I, 2, 32. I, 7, 3. 28. I, 10, 12. I, 21. I, 31. II, 10, 20. III, 4, 64. IV, 6. C. S. 1. 34. Epod. 15, 9. Sat. I, 9, 78. II, 5, 60. Epist. I, 3, 17. I, 16, 59. II, 1, 216. A. P. 407.
Appia, Epod. 4, 14. Sat. I, 5, 6.
Appius Claudius Caecus, Sat. I, 6, 21. Epist. I, 6, 26. I, 18, 20.
Apulia, Carm. III, 4, 10. (III, 24, 4).
Aquarius, Sat. I, 1, 36.
Aquilo, Carm. I, 3, 13. II, 9, 6. III. 10, 4. III, 30, 3. Epod. 10, 7. 13, 3. Sat. II, 6, 25. A. P. 64.
Arabes, Carm. I, 29, 1. I, 35, 40. II, 12, 24. Epist. I, 6, 6. I, 7, 36.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Archilochus, Sat. II, 3, 12. Epist. I, 19, 25. 28. A. P. 79.
Archytas, Carm. I, 28, 2.
Arcturus, Carm. III, 1, 27.
Argos, Carm. I, 7, 9. *Argi*, Sat. II, 3, 132. Epist. II, 2, 128. A. P. 118.
Aricia, Sat. I, 5, 1. Epist. II, 2, 167.
Aristarchus, A. P. 450.
Aristippus, Sat. II, 3, 100. Epist. I, 1, 18. I, 17, 14. 23.
Aristius, Carm. I, 22. Sat. I, 9, 61. I, 10, 83. Epist. I, 10.
Aristophanes, Sat. I, 4, 1.
Atabulus, Sat. I, 5, 78.
Athenae, Sat. I, 1, 64. II, 7, 13. Epist. II, 1, 213. II, 2, 43. 81.
Atlas, Carm. I, 10, 1.
Atreus, A. P. 186.
Atrides, Carm. I, 10, 13. Sat. II, 3, 203. — Carm. II, 4, 7. Sat. II, 3, 187. Epist. I, 2, 12. — Epist. I, 7, 45.
Atta, Epist. II, 1, 79.
Attalus, Carm. II, 18, 5. I, 1, 12. Epist. I, 11, 5.
Attius, Sat. I, 10, 53. Epist. II, 1, 56. A. P. 258.
Aufidus, Carm. III, 30, 10. IV, 9, 2. IV, 14, 25. Sat. I, 1, 58.
Augustus, Carm. I, 2. I, 12. II, 9, 19. III, 3, 11. III, 5, 3. IV, 2, 43. IV, 4, 27. IV, 5. IV, 14. IV, 15. Epist. I, 3, 7. I, 16, 29. II, 1.
Aulon, Carm. II, 6, 18.
Auster, Carm. II, 14, 16. III, 3, 4. III, 27, 22. IV, 14, 21. Epod. 10, 4. Sat. I, 1, 6. II, 2, 41. II, 6, 18. II, 8, 6. Epist. I, 11, 15.
Aventinus, C. S. 69. Epist. II, 2, 69.

Babylonius, Carm. I, 11, 2.
Bacchae, Carm. III, 25, 15.
Bacchus, Carm. I, 7, 3. I. 18, 6. I. 27, 3. II, 6, 19. II, 19, 1. 6. III, 3, 13. III, 16, 34. III, 25. Sat. I, 3, 7. Epist. II, 2, 78.
Bactra, Carm. III, 29, 28.
Baiae, Carm. II, 18, 20. III, 4, 24. Epist. I, 1, 83. I, 15, 2. 12. cf. Sat. II, 4, 32.
Bandusia, Carm. III, 13, 1.
Bantinus saltus, Carm. III, 4, 15.
Barium, Sat. I, 5, 97.
Bassareus, Carm. I, 18, 11.
Bellerophon, Carm. III, 7, 15. III, 12, 8. IV, 11, 28.
Bellona, Sat. II, 3, 223.
Berecyntius, Carm. I, 18, 13. III, 19, 18. IV, 1, 22.
Bionei sermones, Epist. II, 2, 60.
Bistonides, Carm. II, 19, 20.
Bithynus, Carm. I, 35, 7. Ep. I, 6, 33.
Boeoti, Epist. II, 1, 244.
Boreas, Carm. III, 24, 38.
Bosporus, Carm. II, 13, 14. II, 20, 14. III, 4, 30.
Breuni, Carm. IV, 14, 11.
Briseis, Carm. II, 4, 3.
Britannus, Carm. I, 21, 15. I, 35, 30. III, 4, 33. III, 5, 3. IV, 14, 48.
Brundusium, Sat. I, 5, 104. Epist. I, 17, 52.
Brutus, Carm. II, 7, 2. Sat. I, 7, 18. 24. 33.
Bupalus, Epod. 6, 14.

Cadmus, A. P. 187.
Caecilius, Epist. II, 1, 59. A. P. 54.
Caecubus, Carm. I, 20, 9. I, 37, 5. II, 14, 25. III, 28, 3. Epod. 9, 1. 36. Sat. II, 8, 15.
Caesar, Carm. I, 6, 11. I, 12, 51. I, 21, 14. I, 35, 29. I, 37, 17. II, 9, 20. II, 12, 10. III, 4, 37. III, 14, 3. 16. III, 25, 4. IV, 2, 34. 48. IV, 5, 16. 27. IV, 15, 4. 17. Epod. 1, 3. 9, 2. 37. Sat. I, 3, 4. II, 1, 11. 19. Epist. I, 5, 9. I, 12, 28. I, 13, 18. II, 1, 4. 84. II, 2, 48. — Carm. I, 2, 44. Sat. I, 9, 18.
Calabria, Carm. I, 31, 5. cf. Carm. I, 33, 16. III, 16, 33. IV, 8, 20. Epod. 1, 27. Epist. I, 7, 14.
Calenus, Carm. I, 20, 9. I, 31, 9.
Cales, Carm. IV, 12, 14.
Callimachus, Epist. II, 2, 100. cf. Sat. I, 2, 105.
Caleus, Sat. I, 10, 19.
Camillus, Carm. I, 12, 42. Ep. I, 1, 64.
Campanus, Sat. I, 5, 45. 62. I, 6, 118. II, 3, 144. II, 8, 56.
Canicula, Carm. I, 17, 17. III, 13, 9.
Canidia, Epod. 3, 8. Epod. 5 et 17. Sat. I, 8, 24. 48. Sat. II, 1, 48. II, 8, 95.
Cantabri, Carm. II, 6, 2. II, 11, 1. III, 8, 22. IV, 14, 41. Epist. I, 12, 26. cf. Epist. I, 18, 55.
Canusium, Sat. I, 5, 91. I, 10, 30.
Capito Fonteius, Sat. I, 5, 32.
Capua, Epod. 16, 5. Sat. I, 5, 47.
Carinae, Epist. I, 7, 48.
Carpathium mare, Carm. I, 35, 8. IV, 5, 10.
Cassius Etruscus, Sat. I, 10, 62.
Cassius Parmensis, Epist. I, 4, 3.
Castor, Carm. IV, 5, 35. Epod. 17, 42. 43. Sat. II, 1, 26. Epist. II, 1, 5. (Epist. I, 18, 19.)
Catilus, Carm. I, 18, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cato Censorius, Carm. II, 15, 11. III, 21, 11. Sat. I, 2, 32. Epist. II, 2, 117. A. P. 56.
Cato Uticensis, Carm. I, 12, 35. II, 1, 24. Epist. I, 19, 13.
Catullus, Sat. I, 10, 19.
Caucasus, Carm. I, 22, 7. Epod. 1, 12.
Celsus Albinovanus, Epist. I, 3, 15.
Censorinus, Carm. IV, 8.
Cerberus, Carm. II, 19, 29. III, 11, 17.
Ceres, Carm. III, 2, 26. III, 24, 13. IV, 5, 18. Epod. 16, 43. C. S. 30. Sat. II, 2, 124. II, 8, 14.
Cethegus, Epist. II, 2, 117. A. P. 50.
Charybdis, Carm. I, 27, 19. A. P. 145.
Chius, Carm. III, 19, 5. Epod. 9, 34. Sat. I, 10, 24. II, 3, 115. II, 8, 15. 48.
Chimaera, Carm. I, 27, 24. II, 17, 13. IV, 2, 16.
Choerilus, Epist. II, 1, 233. A. P. 357.
Chrysippus, Sat. I, 3, 127. II, 3, 44. 287. Epist. I, 2, 4.
Circe, Carm. I, 17, 20. Epod. 17, 17. Epist. I, 2, 23, cf. Epod. 1, 30.
Claudius, (Tiberius Claudius Nero), Carm. IV, 14, 29. Epist. I, 3, 2. I, 9, 1. I, 12, 26. cf. Carm. IV, 4, 73.
Cleopatra, Carm. I, 37, 7.
Clusini fontes, Epist. I, 19, 5.
Cocytos, Carm. II, 14, 17.
Concanus, Carm. III, 4, 34.
Corinthus, Carm. I, 7, 2. Epist. I, 17, 36. II, 1, 193.
Corybantes, Carm. I, 16, 8.
Cragus, Carm. I, 21, 8.
Crantor, Epist. I, 2, 4.
Craterus, Sat. II, 3, 161.
Cratinus, Sat. I, 4, 1. Epist. I, 19, 1.
Creta, Carm. III, 27, 34. Epod. 9, 29. cf. Carm. I, 26, 2. cf. ad I, 36, 10.
Crispinus, Sat. I, 1, 120. I, 3, 139. I, 4, 14. II, 7, 45.
Curius, Carm. I, 12, 41. Ep. I, 1, 64.
Cyclades, Carm. I, 14, 20. III, 28, 14.
Cyclops, Carm. I, 4, 7. Sat. I, 5, 63. Epist. II, 2, 125. A. P. 145.
Cydonius arcus, Carm. IV, 9, 17.
Cyprius trabs, Carm. I, 1, 13, merces, Carm. III, 29, 60.
Cyprus, Carm. I, 3, 1. I, 19, 10. I, 30, 2. III, 26, 9.
Cythereus, Carm. I, 4, 5. III, 12, 4.

Dacus, Carm. I, 35, 9. II, 20, 18. III, 6, 14. Sat. II, 6, 53.
Daedalus, Carm. I, 3, 34. II, 20, 13. Carm. IV, 2, 2.
Dama, Sat. I, 6, 38. II, 5, 18. 101. II, 7, 54.
Damasippus, Sat. II, 3, 16. 64. 65.
Danae, Carm. III, 16, 1.
Danaides, Carm. II, 14, 18. III, 11, 23.
Dardanus, adiect. Carm. IV, 6, 7.
Daunus, Carm. III, 30, 11. IV, 14, 26. cf. Carm. I, 22, 14. II, 1, 34. IV, 6, 27.
Davus, Sat. I, 10, 40. II, 5, 91. II, 7, 2. 100. A. P. 237.
December, Carm. III, 18, 10. Epod. 11, 5. Sat. II, 7, 4.
Deiphobus, Carm. IV, 9, 22.
Dellius, Carm. II, 3.
Delos, Carm. I, 21, 10. cf. Carm. III, 4, 64. IV, 3, 6. IV, 6, 33.
Delphi, Carm. I, 7, 3. A. P. 219. cf. Carm. III, 30, 15.
Demetrius, Sat. I, 10, 79. 90.
Democritus, Epist. I, 12, 12. II, 1, 194. A. P. 297.
Diana, Carm. I, 21. II, 12, 20. III, 4, 71. III, 22. IV, 7, 25. Epod. 5, 51. 17, 3. C. S. 1. 70. 75. A. P. 454.
Diespiter, Carm. I, 34, 5. III, 2, 29.
Digentia, Epist. I, 18, 104.
Dindymene, Carm. I, 16, 5.
Diomedes, Sat. I, 5, 92. I, 7, 16. A. P. 146.
Dorium carmen, Epod. 9, 6.
Dossennus, Epist. II, 1, 173.
Drusus, Carm. IV, 4, 18. IV, 14, 10.

Edoni, Carm. II, 7, 27.
Egeria, Sat. I, 2, 126.
Electra, Sat. II, 3, 140.
Empedocles, Ep. I, 12, 20. A. P. 465.
Enceladus, Carm. III, 4, 56.
Ennius, vide ad Carm. IV, 8, 20. Sat. I, 10, 54. Epist. I, 19, 7. A. P. 56. 259.
Ephesus, Carm. I, 7, 2.
Epicharmus, Epist. II, 1, 58.
Epicurus, Epist. I, 4, 16.
Erycina, Carm. I, 2, 33.
Erymanthus, Carm. I, 21, 7.
Esquiliae, Sat. I, 8, 14. II, 6, 33. cf. Epod. 5, 100. 17, 58.
Eupolis, Sat. I, 4, 1. II, 3, 12.
Europe, Carm. III, 27, 25. 57.
Eurus, Carm. I, 18, 25. II, 16, 24. III, 17, 11. IV, 4, 43. IV, 6, 10.
Eutrapelus, Epist. I, 18, 31.
Evias, Carm. III, 25, 9.
Evius, Carm. I, 18, 9. II, 11, 17.

Fabius, Sat. I, 1, 14. I, 2, 134.
Fabricius pons, Sat. II, 3, 36.
Falernum vinum, Carm. I, 20, 10. I, 27, 10. II, 3, 8. II, 6, 19. II, 11, 19. III, 1, 43. Epod. 4, 13.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Sat. I, 10, 24. II, 2, 15. II, 3, 115. II, 4, 19. 55. II, 8, 16. Epist. I, 14, 34. I, 18, 91.
Fannius Quadratus, Sat. I, 4, 21. I, 10, 80.
Faunus, Carm. I, 4, 11. I, 17, 2. II, 17, 28. III, 18. Epist. I, 19, 4. A. P. 244.
Favonius, Carm. I, 4, 1. III, 7, 2.
Ferentinum, Epist. I, 17, 8.
Feronia, Sat. I, 5, 24.
Fescenninus, Epist. II, 1, 145.
Fidenae, Epist. I, 11, 8.
Flavius, Sat. I, 6, 72.
Florus, Epist. I, 3. II, 2.
Forentum, Carm. III, 4, 16.
Formiae, Carm. III, 17, 6. cf. I, 20, 11.
Fundanius, Sat. I, 10, 42. II, 8, 19.
Fundi, Sat. I, 5, 34.
Furnius, Sat. I, 10, 86.

Gabii, Epist. I, 11, 7. I, 15, 9. II, 1, 25. II, 2, 3.
Gades, Carm. II, 2, 11. II, 6, 1.
Gaetulus, Carm. I, 23, 10. II, 20, 15. III, 20, 2. Epist. II, 2, 181.
Galaesus, Carm. II, 6, 10.
Galli, Sat. I, 2, 121. II, 1, 14.
Ganymedes, Carm. IV, 4, 4. cf. III, 20, 16.
Garganus, Carm. II, 9, 7.
Geloni, Carm. II, 9, 23. II, 20, 19. III, 4, 35.
Genauni, Carm. IV, 14, 10.
Germania, Carm. IV, 5, 26. Epod. 16, 7.
Geryon, Carm. II, 14, 8.
Getae, Carm. III, 24, 11. IV, 15, 22.
Gigantes, Carm. II, 12, 7. III, 1, 7.
Gracchus, Epist. II, 2, 89.
Gratiae, Carm. I, 4, 6. I, 30, 6. III, 19, 16. III, 21, 22. IV, 7, 5.
Grosphus, Carm. II, 16. Ep. I, 12, 22.
Gyas, Carm. II, 17, 14. III, 4, 69.

Hadria, Carm. I, 3, 15. I, 33, 15. II, 11, 2. III, 3, 5. III, 9, 23. III, 27, 19. Epist. I, 18, 63. cf. Carm. I, 16, 4.
Haemonia, Carm. I, 37, 20.
Haemus, Carm. I, 12, 6.
Hannibal, Carm. II, 12, 2. III, 6, 36. IV, 4, 49 IV, 8, 16. Epod. 16, 8.
Hasdrubal, Carm. IV, 4, 38. 72.
Hebrus, Carm. I, 25, 20. III, 25, 10. Epist. I, 3, 3. I, 16, 13.
Hecate, Sat. I, 8, 33.
Hector, Carm. II, 4, 10. IV, 9, 22. Epod. 17, 12. Sat. I, 7, 12. cf. Carm. III, 3, 26.
Helena, Carm. I, 3, 2. I, 15, 2. IV, 9, 16. Epod. 17, 42. Sat. I, 3, 107.
Helicon, Carm. I, 12, 5. Epist. II, 1, 218. A. P. 296.
Hercules, Carm. III, 3, 9. III, 14, 1. IV, 4, 62. IV, 5, 36. IV, 8, 30. Epod. 3, 17. 17, 31. Sat. II, 6, 13. Epist. I, 1, 5. cf. Carm. I, 3, 36. II, 12, 6.
Hermogenes, Sat. I, 3, 129. I, 4, 72. I, 9, 25. I, 10, 18. 80.
Herodes, Epist. II, 2, 184.
Hesperia, vide ad Carm. II, 1, 32.
Hiber, Carm. II, 20, 20.
Hiberia, Carm. IV, 5, 28. IV, 14, 50. Epod. 5, 21. cf. Epod. 4, 3.
Hippolytus, Carm. IV, 7, 26.
Hirpinus, Carm. II, 11. Epist. I, 16.
Hispanus, Carm. III, 6, 31. III, 8, 21. III, 14, 3.
Homerus, Carm. IV, 9, 6. Sat. I, 10, 52. Epist. I, 19, 6. II, 1, 50. A. P. 74. 359. 401.
Hyades, Carm. I, 3, 14.
Hydaspes, Carm. I, 22, 8.
Hymettus, Carm. II, 6, 14. II, 18, 3. Sat. II, 2, 15.

Ianus, Carm. IV, 15, 9. Sat. II, 3, 18. II, 6, 20. Epist. I, 1, 54. I, 16, 59. I, 20, 1. II, 1, 255.
Iapetus, Carm. I, 3, 27.
Iapyx, Carm. I, 3, 4. III, 27, 20.
Icarus, Carm. II, 20, 13. III, 7, 21.
Iccius, Carm. I, 29. Epist. I, 12.
Ida, Carm. III, 20, 16. cf. I, 15, 2.
Idomeneus, Carm. IV, 9, 20.
Ilerda, Epist. I, 20, 13.
Ilia, Carm. I, 2, 17. III, 9, 8. IV, 8, 22. Sat. I, 2, 126.
Ilios, Ilium, vide ad Carm. I, 10, 14.
Ilythyia, C. S. 14.
Inachus, Carm. II, 3, 21. III, 19, 1.
Indus, Carm. I, 12, 56. IV, 14, 42. Epist. I, 1, 45. I, 6, 6.
Ino, A. P. 123.
Io, A. P. 124.
Italia, Carm. I, 37, 16. III, 5, 40. IV, 14, 44. Sat. I, 6, 35. Epist. I, 12, 29.
Italus, Carm. II, 7, 4. II, 13, 18. III, 30, 13. IV, 4, 42. IV, 15, 13. Sat. II, 6, 56. Epist. II, 1, 2.
Ithace, Sat. II, 5, 4. Epist. I, 7, 41. cf. Epist. I, 6, 63.
Itys, Carm. IV, 12, 5.
Iudaei, Sat. I, 4, 143. I, 9, 70.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iugurtha, Carm. II, 1, 28. Epod. 9, 23.
Iuno, Carm. I, 7, 8. II, 1, 25. III, 3, 18. III, 4, 59. Sat. I, 3, 11.
Iuppiter, Carm. I, 1, 25. I, 2, 19. 30. I, 3, 40. I, 10. 5. I, 11, 4. I, 16, 12. I, 21, 4. I, 22, 20. I, 28, 9. 29. I, 32, 14. II, 6, 18. II, 7, 17. II, 10, 16. II, 17, 22. III, 1, 6. III, 3, 6. 64. III, 4, 49. III, 5, 1. 12. III, 10, 8. III, 16, 6. III, 25, 6. III, 27, 73. IV, 4, 4. 74. IV, 8, 29. IV, 15, 6. Epod. 2, 29. 5, 8. 9, 3. 10, 18. 13, 2. 16, 63. 17, 69. C. S. 32. 73. Sat. I, 1, 20. I, 2, 18. II, 3, 288. Epist. I, 1, 106. I, 12, 3. I, 17, 34. I, 18, 111. II, 1, 68.
Ixion, Carm. III, 11, 21. A. P. 124.

Karthago, Carm. III, 5, 39. IV, 4, 69. IV, 8, 17. Epod. 9, 25. Sat. II, 1, 66.

Laberius, Sat. I, 10, 6.
Lacedaemon, Carm. I, 7, 10.
Laelius, Sat. II, 1, 65. 72.
Laestrygones, Carm. III, 16, 34.
Lamia, vide *Aelius*.
Laomedon, Carm. III, 3, 22.
Lapithae, Carm. I, 18, 8. II, 12, 5.
Larissa, Carm. I, 7, 11.
Latona, Carm. I, 21, 3. III, 28, 12. IV, 6, 37.
Laverna, Epist. I, 16, 60.
Lebedus, Epist. I, 11, 6.
Lesbos, Epist. I, 11, 1. cf. Carm. I, 26, 11.
Liber, Carm. I, 12, 22. I, 16, 7. I, 18, 7. I, 32, 9. II, 19, 7. III, 8, 7. III, 21, 21. IV, 8, 34. IV, 12, 14. IV, 15, 26. Epist. II, 1, 5.
Libitina, Carm. III, 30, 7. Sat. II, 6, 19. Epist. II, 1, 49.
Licinius, Carm. II, 10.
Licymnia, Carm. II, 12, 13. 23.
Liris, Carm. I, 31, 7. III, 17, 8.
Livius Andronicus, Epist. II, 1, 62. 69.
Lollius, Carm. IV, 9. Epist. I, 20, 28. I, 2. I, 18.
Lucanus, Sat. II. 1, 34 sq. II, 8, 6.
Lucilius, vide p. 335.
Lucina, C. S. 15. Epod. 5, 6.
Lucretilis, Carm. I, 17, 1.
Lucullus, Epist. I, 6, 40. II, 2, 26.
Lycambes, Epod. 6, 13. Epist. I, 19, 25.
Lycurgus, Thrax, Carm. II, 19, 16.
Lynceus, Sat. I, 2, 90. Epist. I, 1, 28.
Lysippus, Epist. II, 1, 240.

Maecenas, vide p. 7 sq. 33.
Maecius Tarpa, Sat. I, 10, 38. A. P. 387.
Maenius, Sat. I, 1, 101. I, 3, 21. 23. Epist. I, 15, 26.
Maevius, Epod. 10.
Mandela, Epist. I, 18, 105.
Marcellus, Carm. I, 12, 46.
Marica, Carm. III, 17, 7.
Mars, Carm. I, 6, 13. I, 17, 23. I, 28, 17. II, 14, 13. III, 3, 16. III, 5, 24. IV, 14, 9. cf. IV, 8, 23.
Marsus, Carm. I, 1, 28. I, 2, 39. II, 20, 18. III, 5, 9. III, 14, 18. Epod. 5, 76. 17, 29.
Marsyas, Sat. I, 6, 120.
Massicum (vinum), Carm. I, 1, 19. II, 7, 21. III, 21, 5. Sat. II, 4, 51.
Matinus, Carm. I, 28, 3. IV, 2, 27. Epod. 16, 28.
Maurus, Carm. I, 22, 2. II, 6, 3. III, 10, 18.
Medea, Epod. 3, 10. 5, 62. A. P. 123.
Medi, Carm. I, 2, 51. I, 27, 5. I, 29, 4. II, 9, 21. II, 16, 6. III, 3, 44. III, 5, 9. III, 8, 19. IV, 14, 42.
Meleager, A. P. 146.
Menander, Sat. II, 3, 11. Epist. II, 1, 57. vide p. 329.
Menelaus, Sat. II, 3, 198.
Mercurius, Carm. I, 10. I, 24, 18. I, 30, 8. II, 7, 13. III, 11. Sat. II, 3, 68.
Meriones, Carm. I, 6, 15. I, 15, 26.
Messalla, Sat. I, 6, 42. I, 10, 85. A. P. 371.
Mimas, Carm. III, 4, 53.
Mimnermus, Epist. I, 6, 65. II, 2, 101.
Minerva, Carm. III, 3. 23. III, 12, 4. IV, 6, 13. Sat. II, 2, 3. A. P. 385.
Minos, Carm. I, 28, 9. IV, 7, 21.
Minturnae, Epist. I, 5, 5.
Minucius (via) Epist. I, 18, 20.
Molossus, Epod. 6, 5. Sat. II, 6, 114.
Monaeses, Carm. III, 6, 9.
Munatius Plancus, Carm. I, 7. III, 14, 28. cf. Epist. I, 3, 31.
Murena, Carm. III, 19, 11. Sat. I, 5, 38.
Mygdon, Carm. II, 12, 22. III, 16, 41.
Myrtoum mare, Carm. I, 1, 14.
Mytilene, Carm. I, 7, 1. Epist. I, 11, 17.

Naevius, Epist. II, 1, 53.
Neptunus, Carm. I, 28, 29. III, 28, 10. 2. Epod. 7, 3. 17, 55. Epist. I, 11, 10. A. P. 64.
Nero, Claudius Tiberius, Carm. IV, 4, 28. 37. IV, 14, 14. Epist. I, 8, 2. I, 9, 4. I, 12, 26. II, 2, 1.
Nessus, Epod. 17, 32.
Nestor, Carm. I, 15, 22. Epist. I, 2, 11.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Nilus, Carm. III, 3, 48. III, 14, 46.
Niphates, Carm. II, 9, 20.
Nireus, Carm. III, 20, 15. Epod. 15, 22.
Nomentanus, Sat. I, 8, 11. II, 1, 22. II, 3, 175. 224. II, 8, 23. 25. 60.
Noricus, ensis, Carm. I, 16, 9. Epod. 17, 71.
Notus, Carm. I, 3, 14. IV, 5, 9.
Numa, Carm. I, 12, 34. Epist. I, 6, 27. II, 1, 86.

Olympia, Epist. I, 1, 50. cf. Carm. I, 1, 3.
Olympus, Carm. I, 12, 58. III, 4, 52.
Orbilius, Epist. II, 1, 71.
Orestes, Sat. II, 3, 133. Ep. II, 3, 124.
Oricus v. *Oricum*, Carm. III, 7, 5.
Orion, Carm. I, 28, 21. II, 13, 39. III, 4, 71. III, 27, 18. Epod. 10, 10. 15, 7.
Orpheus, Carm. I, 12, 8. I, 24, 13. A. P. 392.
Osiris, Epist. I, 17, 60.
Otho, L. Roscius, Epod. 4, 16.

Pacorus, Carm. III, 6, 9.
Pactolus, Epod. 15, 20.
Pacuvius, Epist. II, 1, 56.
Palinurus, Carm. III, 4, 28.
Pallas, Carm. I, 6, 15. I, 7, 5. I, 12, 20. I, 15, 11. III, 4, 57. Epod. 10, 13.
Panaetius, Carm. I, 29, 14.
Panthoides, Carm. I, 28, 10.
Pantolabus, Sat. I, 8, 11. II, 1, 22.
Parcae, Carm. II, 6, 9. II, 16, 39. II, 17, 16. C. S. 25.
Paris, Carm. III, 3, 40. Ep. I, 2, 6.
Parius, Carm. I, 19, 6. Ep. I, 19, 23.
Parrhasius, Carm. IV, 8, 6.
Parthi, Carm. I, 12, 53. I, 19, 12. II, 13, 18. III, 2, 3. IV, 5, 25. IV, 15, 7. Epod. 7, 9. Sat. II, 1, 15. II, 5, 62. Epist. I, 18, 56. II, 1, 112. 256.
Paulus Maximus, Carm. IV, 1, 10. Sat. I, 6, 41. — Aemilius, Carm. I, 12, 38.
Pausias, vide ad Sat. II, 7, 95.
Pegasus, Carm. I, 27, 24. IV, 11, 27.
Peleus, Carm. III, 7, 17. A. P. 96. 104.
Pelops, Carm. I, 6, 8. I, 28, 7. II, 13, 37. Epod. 17, 65.
Penelope, Carm. III, 10, 11. Sat. II, 5, 76. 81. Epist. I, 2, 28.
Pentheus, Carm. II, 19, 14. Epist. I, 16, 73.
Persae, Carm. I, 2, 22. I, 21, 15. III, 5, 4. III, 9, 4. IV, 15, 23.
Petrinum, Epist. I, 5, 5.
Phaëthon, Carm. IV, 11, 25.
Phalanthus, Carm. II, 6, 12.
Philippi, urbs, Carm. II, 7, 9. III, 4, 26. Epist. II, 2, 49.
Philodemus, Sat. I, 2, 121.
Phoebus, Carm. I, 12, 24. I, 32, 13. III, 3, 66. III, 4, 4. III, 21, 24. IV, 6, 26. 29. IV, 15, 1. C. S. 1. 62. 75.
Phraates, Carm. II, 2, 17. Epist. I, 12, 27.
Phrygius, lapis, Carm. III, 1, 41.
Picena, poma, Sat. II, 3, 272. II, 4, 70.
Pieris, Carm. IV, 3, 18. IV, 8, 20.
Pierius, Carm. III, 4, 40. III, 10, 15. A. P. 405.
Pimpleis, Carm. I, 26, 9.
Pindarus, Carm. IV, 2, 1. 8. 25. cf. Carm. IV, 9, 6. Epist. I, 3, 10.
Pindus, Carm. I, 12, 6.
Pirithous, Carm. III, 4, 80. IV, 7, 28.
Piso, v. p. 588.
Plato, Sat. II, 3, 11. II, 4, 3.
Plautus, Ep. II, 1, 58. A. P. 54. 270.
Pleiades, Carm. IV, 14, 21.
Plotius, Sat. I, 5, 40. I, 10, 81.
Pluto, Carm. II, 14, 7. cf. I, 4, 17.
Poenus, Carm. I, 12, 38. II, 2, 11. II, 13, 15. III, 5, 34. IV, 4, 47. cf. Carm. II, 12, 3.
Polemon, Sat. II, 3, 254.
Pollio, C. Asinius, Carm. II, 1, 14. Sat. I, 10, 42. 85.
Pollux, Carm. III, 3, 9. III, 29, 64. Epist. II, 1, 5.
Pompeius Varus, Carm. II. 7, 5.
Porphyrion, Carm. III, 4, 54.
Porsena, Epod. 16, 4.
Praeneste, Carm. III, 4, 23. Epist. I, 2, 2.
Priamus, Carm. I, 10, 14. I, 15, 8. III, 3, 26. 40. IV, 6, 15. Sat. II, 3, 195. A. P. 137.
Priapus, Epod. 2, 21. Sat. I, 8, 2.
Procne, A. P. 187.
Proculeius, Carm. II, 2, 5.
Procyon, Carm. III, 29, 18.
Proetus. Carm. III, 7, 13.
Prometheus, Carm. I, 16, 13. II, 13, 37. II, 18, 35. Epod. 17, 67.
Proteus, Carm. I, 2, 7. Sat. II, 3, 71. Epist. I, 1, 90.
Punicus, Carm. III, 5, 18. III, 6, 34. Epod. 9, 27. Epist. II, 1, 162.
Pupius, Epist. I, 1, 67.
Pyrrha, Carm. I, 2, 6.
Pyrrhus, Carm. III, 6, 35.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Pythagoras, Sat. II, 4, 3. II, 6, 63. Epod. 15, 21. Epist. II, 1, 52.

Quintilius, Carm. I, 24. A. P. 438.
Quintius, vide Hirpinus.
Quirinus, Carm. I, 2, 46. III, 3, 15. IV, 15, 9. Epod. 16, 13. Sat. I, 10, 32. Epist. II, 2, 68.
Quiris, Carm. I, 1, 7. II, 7, 3. III, 3, 57. IV, 14, 1.

Raeti, Carm. IV, 4, 17. IV, 14, 15.
Ramnes, A. P. 342.
Regulus, Carm. I, 12, 37. III, 5, 13.
Remus, Epod. 7, 19.
Rhenus, Sat. I, 10, 37. A. P. 18.
Rhodanus, Carm. II, 20, 20.
Rhodope, Carm. III, 25, 12.
Rhodos, Carm. I, 7, 1. Epist. I, 11, 17. 21.
Rhoetus, Carm. II, 19, 23. III, 4, 55.
Romulus, Carm. I, 12, 33. II, 15, 10. IV, 8, 24. Epist. II, 1, 5. cf. Carm. IV, 5, 1. C. S. 47.
Roscius, Sat. II, 6, 36. Epist. II, 1, 82. cf. Epist. I, 1, 62.
Rubi, Sat. I, 5, 94.

Sabaea, Carm. I, 29, 3.
Sabellus, Carm. III, 6, 38. Epod. 17, 28. Sat. I, 9, 29. II, 1, 36. Epist. I, 16, 49.
Sabinus, Carm. I, 9, 7. I, 20, 1. I, 22, 9. II, 18, 14. III, 1, 47. III, 4, 22. Epod. 2, 41. Sat. II, 7, 118. Epist. I, 7, 77.
Salamis, Carm. I, 7, 21. 29.
Salernum, Epist. I, 15, 1.
Salius, Carm. I, 36, 12. IV, 1, 28. cf. Carm. I, 37, 2. Epist. II, 1, 86.
Salustius, Carm. II, 2. Sat. I, 2, 48.
Samnites, Epist. II, 2, 98.
Samos, Epist. I, 11, 2. 21.
Sappho, Carm. II, 13, 25. Epist. I, 19, 28.
Sardinia, Carm. I, 31, 4.
Sardis, Epist. I, 11, 2.
Saturcianus, Sat. I, 6, 59.
Saturnalia, Sat. II, 3, 5. vide p. 421.
Saturnius numerus, Epist. II, 1, 158.
Saturnus, Carm. I, 12, 50. II, 12, 9. II, 17, 23.
Satyri, Carm. I, 1, 31. II, 19, 4. Epist. I, 19, 4. II, 2, 125. A. P. 226. 233. 235.
Scamander, Epod. 13, 14.
Scaurus, Carm. I, 12, 37.
Scipiades, Sat. II, 1, 17. 72.
Scopas, Carm. IV, 8, 6.
Scylla, A. P. 145.
Scythae, Carm. I, 35, 9. II, 11, 1. III, 8, 23. III, 24, 9. IV, 14, 42. C. S. 55.
Scythicus amnis, Carm. III, 4, 36.
Semele, Carm. I, 19, 2. cf. I, 17, 22.
Septimius, Carm. II, 6. Epist. I, 9, 1.
Seres, Carm. I, 12, 56. III, 29, 27. IV, 15, 23. cf. Carm. I, 29, 9.
Sicanus, Epod. 17, 32.
Siculus, Carm. II, 12, 2. II, 16, 33. III, 1, 18. III, 4, 28. IV, 4, 44. Epist. I, 2, 58. I, 12, 1. II, 1, 58. A. P. 463.
Sidonius, Epod. 16, 61. Epist. I, 10, 26.
Silenus, A. P. 239.
Silvanus, Carm. III, 29, 23. Epod. 2, 22. Epist. II, 1, 143.
Simois, Epod. 13, 14.
Simonides, vide ad Carm. II, 1, 38. IV, 9, 7.
Sinuessa, Sat. I, 5, 40. cf. Epist. I, 5, 5.
Siren, Sat. II, 3, 14. Epist. I, 2, 23.
Sisyphus, Carm. II, 14, 20. Epod. 17, 68. Sat. II, 3, 21.
Sithonii, Carm. I, 18, 9. cf. III, 26, 10.
Socraticus, Carm. I, 29, 14. III, 21, 9. A. P. 310.
Sophocles, Epist. II, 1, 163.
Soracte, Carm. I, 9, 2.
Sosii, Epist. I, 20, 2. A. P. 345.
Spartacus, Carm. III, 14, 19. Epod. 16, 5.
Staberius, Sat. II, 3, 84. 89.
Stertinius, Sat. II, 3, 33. 296. Epist. I, 12, 20.
Stesichorus, Carm. IV, 9, 8.
Sthenelus, Carm. I, 15, 24. IV, 9, 20.
Subura, vide ad Epod. 5, 58.
Sugambri, Carm. IV, 2, 36. IV, 14, 51.
Sulla, Sat. I, 2, 64.
Surrentum, Epist. I, 17, 52. cf. Sat. II, 4, 55.
Syrtes, Carm. I, 22, 5. II, 6, 3. II, 20, 15. Epod. 9, 31.

Taenarus, Carm. I, 34, 10.
Tanais, Carm. III, 10, 1. III, 29, 28. IV, 15, 24.
Tantalus, Carm. II, 18, 37. Epod. 17, 66. Sat. I, 1, 68.
Tarentum, Carm. I, 28, 29. III, 5, 56. Sat. I, 6, 105. Epist. I, 7, 45. I, 16, 11.
Tarquinius, Carm. I, 12, 35. Sat. I, 6, 13.
Tecmessa, Carm. II, 4, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Telamon, Carm. II, 4, 5.
Telegonus, Carm. III, 29, 8.
Telemachus, Epist. I, 7, 40.
Telephus, Epod. 17, 8. A. P. 96. 104.
Tempe, Carm. I, 7, 4. I, 21, 9. III, 1, 24.
Terentius, Sat. I, 2, 20. Epist. II, 1, 59.
Teridates, Carm. I, 26, 5.
Terminus, C. S. 27. cf. Epod. 2, 59.
Teucer, Carm. I, 7, 21. 27. I, 15, 24. IV, 9, 17. Sat. II, 3, 204.
Thebae, Carm. I, 7, 3. IV, 4, 64. Sat. II, 5, 84. Epist. I, 16, 74. II, 1, 213. A. P. 118.
Theon, vide ad Epist. I, 18, 82.
Theseus, Carm. IV, 7, 27.
Thespis, Epist. II, 1, 163. A. P. 276.
Thetis, Carm. I, 8, 14. IV, 6, 6. Epod. 13, 12.
Thrax et *Threx*, vide ad Carm. II, 16, 5. cf. Sat. II, 6, 44.
Threicius, Carm. I, 24, 13. Epod. 13, 3.
Thyestes, Carm. I, 16, 17. A. P. 91. Vide ad Carm. I, 6, 1. cf. Epod. 5, 86.
Thyias, Carm. II, 19, 9. III, 15, 10.
Thyni et *Bithyni*, Carm. III, 7, 3.
Thyoneus, Carm. I, 17, 23.
Tiberis, Carm. I, 2, 13. I, 29, 12. II, 3, 18. Sat. I, 9, 18. II, 1, 8. II, 3, 292. Epist. I, 11, 19.
Tiberius, vide *Nero*.
Tibullus, vide *Albius*.
Tibur, Carm. I, 7, 21. I, 18, 2. II, 6, 5. III, 4, 23. III, 29, 6. IV, 2, 31. IV, 3, 10. Epist. I, 7, 45.
Tiburnus, Carm. I, 7, 13.
Tigellius, Sat. I, 2, 3. I, 3, 4. I, 10, 90.
Tigris, Carm. IV, 14, 46.
Tiresias, Sat. II, 5, 1.
Titanes, Carm. III, 4, 43.
Tithonus, Carm. I, 28, 8. II, 16, 30.
Tityos, Carm. II, 14, 8. III, 4, 77. IV, 6, 2.
Torquatus, Carm. IV, 7. Epod. 13, 6. Epist. I, 5.
Trebatius, Sat. II, 1.
Troes, Carm. IV, 6, 15.
Troia, Carm. I, 8, 14. I, 10, 15. III, 3, 60. IV, 6, 3. IV, 15, 31. C. S. 41. Sat. II, 3, 191. II, 5, 19. Epist. I, 2, 19. A. P. 141.
Troianus, Carm. I, 28, 11. Epist. I, 2, 1. A. P. 147.
Troicus, Carm. III, 3, 32.
Tullius, Sat. I, 6, 9.
Tullus, Carm. IV, 7, 15.
Tydides, Carm. I, 6, 16. I, 15, 28.
Tyndaridae, Carm. IV, 8, 31. Sat. I, 1, 100.
Typhoeus, Carm. III, 4, 53.
Tyrtaeus, A. P. 402.

Ulixes, Carm. I, 6, 7. Epod. 16, 60. 17, 16. Sat. II, 3, 197. 204. II, 5, 100. Epist. I, 2, 18. I, 6, 63. I, 7, 40.
Ulubrae, Epist. I, 11, 30.
Ustica, Carm. I, 17, 11.
Utica, Epist. I, 20, 13.

Vacuna, Epist. I, 10, 49.
Valgius, Carm. II, 9. Sat. I, 10, 82.
Varia, Epist. I, 14, 3.
Varius, Carm. I, 6, 1. Sat. I, 5, 40. I, 6, 55. I, 9, 23. I, 10, 44. 81. II, 8, 21. 63. Epist. II, 1, 247. A. P. 55.
Varro, Atacinus, Sat. I, 10, 46.
Varus, Carm. I, 18.
Vaticanus, Carm. I, 20, 7.
Velabrum, Sat. II, 3, 229.
Velia, Epist. I, 15, 1.
Venafrum, vide ad Carm. III, 5, 55. Sat. II, 4, 69. II, 8, 45.
Venus, Carm. I, 4, 5. I, 13, 15. I, 15, 13. I, 18, 6. I, 19, 9. I, 30, 1. I, 32, 9. I, 33, 10. II, 8, 13. III, 10, 9. III, 11, 50. III, 16, 6. III, 18, 6. III, 21, 21. III, 26, 5. III, 27, 67. IV, 1, 1. IV, 6, 21. IV, 10, 1. IV, 11, 15. IV, 15, 32. C. S. 50.
Vertumnus, Sat. II, 7, 14. Ep. I, 20, 1.
Vesta, Carm. I, 2, 16. 28. III, 5, 11. Sat. I, 9, 35. Epist. II, 2, 114.
Vindelici, Carm. IV, 4, 18. IV, 14, 8.
Vinius, Epist. I, 13.
Virgilius, Carm. I, 3, 6. IV, 12. Sat. I, 10, 81. I, 5, 40. 48. Epist. II, 1, 247. A. P. 55.
Viscus, Sat. I, 9, 22. I, 10, 83. Sat. II, 8, 20.
Vulcanus, Carm. I, 4, 8. III, 4, 59. Sat. I, 5, 74.
Vultur, Carm. III, 4, 9.

Xanthus, Carm. IV, 6, 26.

Zephyri, Carm. III, 1, 24. IV, 7, 9. Epist. I, 7, 13.
Zethus, Epist. I, 18, 42.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

INDEX RERUM ET VERBORUM.

ablativi post comparativum latior usus, Carm. I, 8, 9. IV, 14, 13; sine particula *a* apud verba passiva, Carm. I, 6, 2. Sat. II, 1, 84. Epist. I, 1, 94. ablat. in *i* et *e* Epist. I, 17, 30. Carm. II, 16, 1. Epod. 5, 11.

abolla, Sat. I, 3, 133. Epist. I, 17, 25.

abominatus, passive, Epod. 16, 8.

abradere et *adradere*, Epist. I, 7, 50.

absorbere et *obsorbere*, Sat. II, 8, 24.

abstare, A. P. 362.

ac et *atque* post comparativos, Epod. 15, 5.

ac et *at* confunduntur, Carm. I, 18, 7. Sat. II, 2, 118.

ac non, Epist. II, 2, 143.

acer, Carm. I, 4, 1.

addicere, Epist. I, 1, 14.

addocere, Epist. I, 5, 18.

adiectiva participiorum instar usurpata, Carm. I, 6, 19. I, 32, 6. I, 37, 26. III, 16, 25; adi. cum infinitivo, Carm. I, 1, 18; cum duobus substantivis coniungenda, Carm. I, 2, 1; adiectiva cum adverbiis, Carm. I, 2, 45.

adorea, Carm. IV, 4, 41.

adscribere verb. militare, Ep. 1, 19, 4.

ἀδύνατον, figura, Carm. I, 33, 7.

adverbia cum substantivis coniuncta, Carm. III, 17, 9. IV, 6, 3. Epist. II, 2, 167.

adverbia qualitatis cum adiectivis coniuncta, Epist. I, 3, 22.

ae et *e* confusae, Epist. I, 7, 41.

aedes, sing., Carm. I, 30, 4.

aedificare, Sat. II, 3, 308.

aemulari et *imitari*, Carm. IV, 2, 1.

aeneus τρισυλλάβως, Sat. II, 3, 183.

aeque ut, Carm. I, 16, 7.

aequus, Carm. II, 3, 1.

aes Corinthium, Sat. II, 3, 21.

aetas, Carm. I, 35, 35.

aeternare, Carm. IV, 14, 5.

aevum, Carm. II, 2, 5.

afflare cum dativo, Sat. II, 8, 95.

agere (hoc age), Sat. II, 3, 152.

agmen, Carm. III, 2, 9.

ait, Epist. I, 19, 43.

aliter, Carm. I, 18, 4.

alius cum ablat. Sat. II, 3, 208. Epist. I, 16, 20.

almus, Carm. IV, 4, 41.

altercari, Sat. II, 7, 54.

amare, i. q. solere, Carm. II, 3, 10.

ambitiosus, A. P. 447.

ambubaiae, Sat. I, 2, 1.

amburi, Sat. I, 10, 64.

amice, adverb., Carm. III, 2, 1.

amnis, Carm. IV, 2, 5.

amphorae, Carm. I, 20, 3.

amplificatio, Carm. I, 7, 16. I, 29, 12. II, 2, 11. III, 15, 6.

ampullari, Epist. I, 3, 14. A. P. 97.

amystis, Carm. I, 36, 14.

an, Carm. IV, 7, 17. A. P. 436. 462.

anacoluthia, Carm. III, 17, 5. IV, 4, 22. Sat. I, 1, 23.

ἀναδίπλωσις, Carm. I, 35, 15. II, 14, 1. II, 17, 10. II, 19, 6. III, 3, 18. Epod. 17, 7.

anaphora, Carm. I, 22, 21. 23. II, 16, 33.

anastrophe, Carm. I, 2, 34. I, 15, 9. III, 3, 11. Epod. 16, 40.

angiportus, Carm. I, 25, 10.

anguis abl., Epist. I, 17, 30. genus: Carm. II, 13, 40.

anima, Carm. III, 9, 12.

animus, Carm. IV, 7, 20.

antestari, Sat. I, 9, 76.

antithesis, Carm. III, 20, 3.

anulorum usus, Sat. II, 7, 9.

apotheca, Carm. III, 8, 11.

apotheosis, Carm. III, 3, 12.

apparatus, Carm. I, 38, 1.

appositionis liberius genus, Carm. III, 20, 7. Sat. I, 4, 110.

ardere, Carm. III, 9, 6. IV, 9, 13.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

argutus, Carm. III, 14, 21.
arrogare, Carm. IV, 14, 30.
ars, Carm. III, 3, 9. IV, 8, 5. Epist. I, 6, 17.
ars memoriae, Sat. II, 4, 7.
arx, Carm. II, 6, 22.
assidere, Epist. I, 5, 14.
asyndeton, Carm. II, 7, 22.
at, Epod. 5, 1.
at syllaba finalis longa, Carm. III, 5, 17. Carm. III, 16, 26. Sat. II, 2, 47.
atque in fine versuum, Carm. II, 10, 21. III, 11, 18. Epod. 17, 4; pro *quam* post comparat. Epod. 15, 5.
atrium, Carm. III, 1, 46.
attractio, Carm. I, 31, 17. Epod. 2, 37. Sat. I, 4, 39. I, 6, 15. I, 10, 16.
auctoramentum, Sat. II, 7, 58. Epist. I, 1, 6.
auctumnus, Carm. II, 5, 11.
audere, Epist. I, 2, 40.
aulaea, Carm. III, 29, 15. Epist. II, 1, 189.
auspicium, Carm. I, 7, 27. II, 15, 12.
aut, Carm. III, 24, 24.
avis, i. q. omen, Carm. I, 15, 5.
avus, Sat. I, 6, 3.
axamenta, Epist. II, 1, 86.
bacchari, Carm. I, 25, 11.
balatro, Sat. I, 2, 2.
balnea publica, Sat. I, 3, 137.
barba philosophorum, Sat. I, 3, 133.
barbitos, Carm. I, 32, 4.
barrus, Epod. 12, 1.
beare, Carm. II, 3, 7. III, 16, 32.
beatus, Carm. II, 4, 13. Sat. II, 8, 1. Epist. I, 2, 44.
bene = plane, Carm. II, 12, 15; *bene est*, Carm. III, 16, 43.
benigne, Epist. I, 7, 16.
bibere fluvium, Carm. II, 20, 20.
bidens, Carm. III, 23, 14.
bidental, A. P. 471.
bis terque et *bis terve*, Epod. 5, 33. A. P. 358. 440.
blaterare, Sat. II, 7, 35.
bonus, Carm. IV, 1, 3. Sat. I, 1, 61. II, 2, 1. Epist. II, 2, 37. A. P. 297.
caementa, Carm. III, 1, 35. III, 24, 3.
calcei senatorum, Sat. I, 6, 27.
calix, Epist. I, 5, 19.
campestre, Epist. I, 11, 18.
campus Martius, Carm. III, 1, 11.
candere, Sat. II, 6, 103.
candidus, Epist. I, 4, 1.
canere, Carm. I, 15, 4.
canus, Carm. I, 4, 4.
capillus, Carm. I, 32, 5.
capitis deminutio, Carm. III, 5, 42.
cardiacus, Sat. II, 3, 161.
carere, Carm. II, 14, 13.
catus, Carm. I, 10, 3.
caudam trahere, Sat. II, 3, 53.
cavum et *cavus*, Epist. I, 7, 33.
censere cum coni. Epist. I, 14, 44.
censere cum inf. Epist. I, 2, 9.
certare aliquid, Sat. II, 5, 27.
cetaria, Sat. II, 5, 44.
ceu, Carm. IV, 4, 43.
charta, Carm. IV, 8, 21, Sat. I, 10, 4.
cheragra et *chiragra*, Sat. II, 7, 15.
chiasmus, Carm. I, 2, 9. I, 3, 11. A. P. 1.
chorus, Carm. IV, 6, 31. C. S. 6; fabularum A. P. 193.
ciborium, Carm. II, 7, 22.
cicuta, Epist. II, 2, 53.
cinctutus, A. P. 50.
ciniflones, Sat. I, 2, 98.
cippus, Sat. I, 8, 12.
circa, Carm. IV, 1, 6.
circumlocutio nominum propriorum, Sat. I, 5, 87.
circus, Sat. I, 6, 113.
citreus, Carm. IV, 1, 20.
clarare, Carm. IV, 3, 4.
clathri, A. P. 473.
clavus trabalis, Carm. I, 35, 18.
clivus sacer, Carm. IV, 2, 35.
coena dubia, Sat. II, 2, 77.
coenacula, Epist. I, 1, 91.
coepi, cum infinit., A. P. 21.
cognitor, Sat. II, 5, 38.
cohibere, Carm. I, 28, 2.
cohors, Epist. I, 3, 6.
colonus, Carm. I, 35, 6.
commotus, Sat. II, 3, 209.
commune, Carm. II, 15, 14.
comoedia graeca, Sat. I, 4, 1.
comparatur facultas rei cum altera ipsa re, Carm. II, 6, 14.
compensare, Sat. I, 3, 70.
compes, Epod. 4, 4.
componere, Carm. III, 29, 33. Sat. I, 9, 28. togam Sat. II, 3, 77.
condere diem, similia, Carm. IV, 5, 29.
conficere, Sat. I, 9, 29.
coniunctivus potentialis, Sat. I, 4, 70. II, 6, 30.
conopium, Epod. 9, 16.
conscriptus, i. q. senator, A. P. 314.
consors, Carm. III, 24, 60.
constructio ἀπὸ κοινοῦ, Carm. I, 3, 6. I, 14, 16. I, 16, 6. I, 31, 9. II, 11, 11. III, 8, 19. Epod. 16, 19. Sat. I, 1, 88. I, 3, 2. I, 4, 106. Epist. II, 1, 13.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

contemplari, Carm. III, 29, 7.
contremiscere, Carm. II, 12, 8.
cor, Sat. II, 3, 213.
cornu copiae, Carm. I, 17, 16.
crater, *cratera*, Carm. III, 18, 7.
crearí cum ablat. Carm. IV, 4, 29.
credere, *debere*, *reddere*, Carm. I, 3, 5. I, 14, 16.
crepare, Carm. I, 18, 5.
crux, Sat. II, 7, 47.
cubare, Sat. I, 9, 18.
culpa, Sat. II, 2, 123.
culullus, Carm. I, 31, 11.
cum semel i. q. simulac, Epod. 5, 39.
cum pro *et*, Carm. I, 1. 31.
cumera, Sat. I, 1, 53.
cumulatio, Sat. I, 8, 43.
cunque, Carm. I, 32, 15.
cupido, Carm. II, 16, 15.
cupressus, Carm. II, 14, 23.
cur, Carm. I, 33, 3. Epist. I, 8, 10.
cyathus, Sat. I, 1, 55.
cyclici poetae, A. P. 136.
damnare c. genit., Carm. II, 14, 19.
daps, Carm. IV, 4, 12.
dare, Sat. I, 10, 5.
dativus nominum quintae declinationis Carm. III, 7, 4. Sat. I, 3, 95; *dat.* pro abl. et praepos. Carm. I, 3, 13. cf. II, 2, 18.
de praepos. in verbis compos. Carm. II, 1, 35. II, 7, 24. III, 7, 28. Epist. I, 3, 14.
decipere c. genit. Carm. II, 13, 38.
dedicare deum, Carm. I, 31, 1.
deducere versus, Sat. II, 1, 4.
deducere et *subducere* naves, Carm. I, 4, 2.
defingere, Sat. I, 10, 37.
dehinc nunquam monosyllabum, Epod. 16, 65; *dein* nunquam bisyllabum, ibid.
demovere et *dimovere*, Carm. I, 1, 13.
denique, Sat. I, 1, 92.
dens invidiae, Carm. IV, 3, 16.
densere et *densare*, Carm. I, 28, 19.
dentium cura, Carm. II, 8, 3.
designare, Epist. I, 5, 16.
designator, Epist. I, 7, 6.
desinere, c. genit. Carm. II, 9, 18.
detergere, Carm. I, 7, 15.
detestatus, passive, Carm. I, 1, 25.
detinere et *distinere*, Epist. I, 2, 5.
dicax, A. P. 225.
dictare feneratorum, Sat. II, 3, 76.
dictare i. q. componere, Ep. II, 1, 110.
didactrum, Sat. I, 6, 75.
diffingere, Carm. I, 35, 26.
dignus cum praep. *pro*, Epist. I, 7, 24.
dilabi et *delabi*, Carm. IV, 13, 28
diludia, Epist. I, 19, 47.
dirus, Carm. I, 2, 1.
disconvenire, Epist. I, 1, 99.
dissidere c. dat., Carm. II, 2, 18.
dissidet vestis, Epist. I, 1, 96.
dissipare, Epod. 17, 48.
distare, constructio, Epist. I, 7, 48.
diversae formae eiusdem vocabuli coniunctae, Epist. I, 19, 6.
dives cum genit. Carm. IV, 8, 5. Epist. II, 2, 31.
doctus, Carm. I, 1, 29.
dolus et *fraus*, Carm. I, 3, 28.
domo pro *domui*, Epist. I, 10, 13.
ducere murum, similia, Carm. IV, 6, 23.
duellum, Carm. III, 5, 38.
dulcis, Carm. I, 16, 23.
dum, Epist. I, 2, 2.
durus et *dirus*, Carm. II, 12, 2.
eburnus et *eburneus*, Carm. III, 27, 41.
eiulatio et *eiulatus*, Epod. 10, 17.
elatrare, Epist. I, 18, 18.
elisio longarum syllabarum, Carm. IV, 3, 21. IV, 10, 6. Sat. I, 9, 30.
emancipare, Epod. 9, 12.
emittere de scriptis, Epist. I, 20, 6.
enallage adiectivi, Carm. I, 3, 40. I, 37, 7. III, 15, 16.
enavigare, Carm. II, 14, 11.
Ἐν διὰ δυοῖν, Carm. III, 24, 13. 22, 46.
enim, *γάρ*, Sat. II, 5, 79.
Epitheta ad rei naturam accommodata, Carm. I, 3, 34. III, 17, 10.
equestris dignitas Horatii, Sat. II, 7, 53.
equus ferus, Sat. I, 5, 56.
ergo, Carm. I, 24, 5.
erro, Sat. II, 7, 113.
esse cum dativo, Carm. I, 21, 1; cum adverbio, Sat. II, 2, 106; omissum, Carm. I, 20, 3. Sat. II, 8, 2.
est ut, Carm. III, 1, 9.
et syllaba finalis longa, Carm. III, 5, 17.
et cum vi consecutiva, Carm. II, 2, 11. IV, 13, 10; *et-que* in rebus tripartitis, Carm. II, 10, 10; in fine versus, Carm. I, 7, 6; encliticarum more postpositum; Carm. I, 2, 9; generali notioni specialem addit, Carm. I, 3, 19.
etenim postpositum, Carm. IV, 5, 17.
evenire, Carm. IV, 4, 65.
ex praep. in vocabulis compositis, Carm. III, 25, 9. IV, 5, 22.
excipere, Carm. III, 12, 12.
exempla terna ponuntur, Carm. III, 23, 3. IV, 4, 30. IV, 6, 1. Epod. 16, 3.
exemplar, A. P. 317.
exterrere, voc. med. Epist. I, 6, 11.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fabula, de hominibus, Epod. 11, 8; fabularum actus, A. P. 189; fabula praetexta, togata, palliata, crepidata, A. P. 288. Epist. II, 1, 57.
facere, generale verbum alterius loco positum, Sat. I, 1, 64.
facetus, Sat. I, 10, 44.
fallere, Carm. III, 16, 32.
far pium, Carm. III, 23, 10.
favere lingua, Carm. III, 1, 2.
fenestrae, Carm. I, 25, 1.
fere, σχεδόν, Sat. I, 3, 96.
feriae puerorum, Sat. I, 6, 74; latinae, Epist. I, 7, 76.
ferre i. q. accipere, Carm. IV, 8, 5.
festinare, Epist. I, 2, 61.
ficulnum lignum, Sat. I, 8, 1.
finis, Carm. II, 18, 30. Epod. 17, 36.
flores in conviviis, Carm. II, 3, 14.
fluvii tauriformes, Carm. IV, 14, 25.
foenum in cornibus boum, Sat. I, 4, 34.
fomenta, Epist. I, 2, 52. I, 3, 26.
formidolosus, Epod. 5, 55.
fors, Sat. I, 1, 2.
forsit, Sat. I, 6, 49.
fortuitus, Carm. II, 15, 17.
frigus post amicitiam, Sat. II, 1, 62.
frons, Carm. I, 33, 5. Epist. I, 7, 26. I, 9, 11.
fructus et *fruges*, Epist. I, 12, 1.
fulgur et *fulmen*, Carm. II, 10, 12.
funerare, Carm. III, 8, 7.
furcifer, Sat. II, 7, 22.
futurum exactum, Epod. 15, 24.
gausape, Sat. II, 8, 11.
generalis sententia post exempla, Carm. I, 28, 16.
genitivus qualitatis, Carm. I, 36, 13. III, 9, 7; causae Carm. II, 2, 6; gen. nominum quintae declinationis, Carm. III, 7, 4; graeco more positus Carm. II, 2, 5. IV, 13, 21; genit. pluralis forma, Carm. III, 21, 14; genit. nominum in *ius* et *ium* exeuntium, Carm. I, 2, 26; genit. graecorum substant. in *i*, Carm. I, 29, 14; genit. primae declinat. in *es* Carm. I, 19, 2; in *um* pro *orum* Carm. II, 2, 18.
genius, Carm. III, 17, 14. Epist. II, 1, 144.
gentilicia adiectiva pro possessivis, Carm. I, 1, 28.
genua hominum robur habent, Epod. 13, 4.
genus i. q. filius, Carm. I, 3, 27.
glomus, Epist. I, 13, 14.
graeca adiectivorum forma, Carm. I, 22, 14. I, 31, 18. II, 6, 5. II, 20, 13. A. P. 253.
Graius, Carm. II, 4, 12.
grassari, Sat. II, 5, 93.
grus, Sat. II, 8, 87.
haerere, Carm. I, 32, 10. III, 24, 55.
harmoniae varia genera, Epod. 9, 5.
haud, Sat. I, 4, 77. I, 6, 99. II, 6, 115.
helleborus, Sat. II, 3, 82.
here et *heri*, Sat. II, 8, 2.
hiatus, Carm. II, 20, 13. III, 14, 11. Epod. 13, 3. Sat. I, 1, 108. I, 9, 38. II, 2, 28.
hic, Carm. III, 10, 19. Sat. I, 9, 47. Epist. I, 6, 3.
hinc et hinc, similia, Epod. 2, 31.
hoc i. q. *ideo*, Sat. I, 6, 87.
homeoteleuton. Carm. I, 22, 10.
honores mortuorum, Carm. II, 20, 24.
horae Romanae, Sat. I, 5, 23. I, 9, 35.
hostis, Epist. I, 15, 29.
huc et huc, Epod. 4, 9.
hyperbaton, Epod. 6, 16. Sat. I, 5, 72. I, 8, 34.
iam, Carm. I, 4, 16. II, 20, 9.
ianitor, Carm. III, 14, 23.
idus, Carm. IV, 11, 15.
ieiunia, Sat. II, 3, 291.
ignis, plur., Carm. III, 7, 11. *per ignes*, Carm. IV, 14, 24.
illusus pedes, Sat. II, 7, 108.
imagines, p. 159.
imberbus et *imberbis*, Ep. II, 1, 85.
immolare, Carm. I, 4, 12.
immunis, Carm. III, 23, 17.
imperare passive, Epist. I, 5, 21.
implacidus, Carm. IV, 14, 10.
impotens, Carm. I, 37, 10. III, 30, 3.
improbus, Carm. III, 9, 22.
in diem, Carm. III, 29, 42; *in* loco, Carm. IV, 12, 28. cf. Epist. I, 7, 57.
inanimatae res vitam quasi et animum accipiunt. Carm. II, 6, 20. II, 9, 7. II, 10, 15. III, 4, 30. A. P. 411.
incogitare, Epist. II, 1, 122.
increbruit, non *increbuit*, Sat. II, 5, 95.
increpare lyra, Carm. IV, 15, 2.
indicativus in sentent. condicion., Carm. II, 17, 28. III, 16, 3.
indusium, Epist. I, 1, 95. annot.
ineptus, Sat. I, 3, 49.
infinitivi passivi forma in *ier*, Carm. IV, 11, 8; *infinit.* in interrogatione, Epod. 8, 1; *infin.* apud alia verba, Carm. I, 1, 8; apud adiectiva, Carm. I, 1, 18.
inhiare, Sat. I, 1, 71.
inimicare, Carm. IV, 15, 20.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

inquit, Sat. I, 4, 79.
institа, Sat. I, 2, 29.
institor, Carm. III, 6, 30.
insuescere, Sat. I, 4, 105.
inter — et inter, Sat. I, 7, 11. Epist. I, 2, 12.
interrogationes duae coniunctae, Carm. III, 27, 37.
intestabilis, Sat. II, 3, 181.
invidere, Sat. II, 6, 84.
ire de tempore, Carm. II, 14, 5. Epist. II, 2, 55. cf. A. P. 175; *i nunc*, Epist. I, 6, 17.
is cum emphasi. Carm. III, 11, 18.
— *is* syllaba finalis longa, Carm. III, 23, 3. Sat. II, 3, 1.
— *it* syllaba finalis longa, Carm. I, 3, 36. III, 24, 5. Sat. I, 4, 82. II, 3, 260.
— *iit* syllaba finalis perfecti temp. longa Sat. I, 9, 21.
ita in votis, Sat. II, 2, 124; in colloquiis, Sat. II, 7, 2.
itaque, Epist. I, 1, 10.
iubere, Carm. III, 3, 2.
iuvenari, A. P. 246.
iuventa, Carm. III, 14, 27.
laborare, Carm. I, 27, 19. Sat. I, 4, 26.
lacerna, Sat. II, 7, 55.
lacessere, Carm. II, 18, 12.
laevus, Carm. III, 26, 5. III, 27, 15.
lamia, monstrum, A. P. 340.
lana, Carm. III, 16, 35.
laqueata tecta (lacunar), Carm. II, 16, 11.
Larium simulacra, Carm. III, 23, 15.
lasanum, Sat. I, 6, 109.
latro, Sat. I, 3, 138.
latus tegere, Sat. II, 5, 18.
laurus, Carm. II, 7, 19.
lavere, Carm. II, 3, 18.
lecti triclinares, Sat. II, 4, 84. II, 8, 20.
lemures, Epist. II, 2, 209.
lepus, Sat. II, 4, 44.
lex Roscia, Epod. 4, 16; de maritandis ordinibus, C. S. 18; Laetoria, Sat. I, 2, 16; de vendendis servis, Sat. II, 3, 285.
libri pontificum, Epist. II, 1, 26; vaticini, *ibid.*
libum, Epist. I, 10, 10.
liburnae, Carm. I, 37, 30. Epod. 1, 1.
licet, Epod. 15, 19.
lippitudo, Sat. I, 7, 3.
litotes, Carm. I, 1, 19. III, 26, 2. IV, 9, 51.
lituus et *tuba*, Carm. I, 1, 23.
loco, in loco, Carm. IV, 12, 28.
loculi, Sat. I, 6, 74.
loligo, Sat. I, 4, 100.
lubricus fluvius, Epod. 13, 14.
lucerna, Carm. III, 21, 23.
luscinia, Sat. II, 3, 245.
lutum, Epod. 10, 16.
lympha, Carm. III, 13, 16.
lymphatus, Carm. I, 37, 14.
male, Carm. I, 17, 25. IV, 12, 7. Sat. I, 9, 65.
male ominatus, Carm. III, 14, 11.
malva, Carm. I, 31, 14.
manare, Epist. I, 19, 44.
mancipare, Epist. II, 2, 159.
mannus, Carm. III, 27, 7.
mantelia, Sat. II, 8, 11.
manu mittere, Sat. II, 7, 76 annot.
mappa, Sat. II, 8, 63.
maritare vites, Epod. 2, 10.
maritus c. abl., Carm. III, 5, 6.
marmora, Carm. II, 18, 3.
mazonomus, Sat. II, 8, 86.
mediastinus, Epist. I, 14, 41.
meditari, Carm. III, 25, 5.
medius, Carm. II, 19, 28.
metatus passive, Carm. II, 15, 15.
metonymia, Carm. II, 15, 6. Epist. II, 1, 13.
metuere, Carm. II, 2, 7. III, 24, 22.
militare, Epod. 1, 23.
mille cum genit. Sat. II, 3, 197.
minari, Epist. I, 8, 3.
minus, i. e. non, nihil, Epod. 5, 61.
mirum, ut, Sat. II, 1, 54.
modi, Carm. II, 1, 40. II, 9, 9. III, 30, 14.
modulatus passive, Carm. I, 32, 5.
momenta, Epist. I, 6, 4.
monosyllaba vocabula in lyricis non eliduntur, Carm. I, 16, 7 annot.
morbus Campanus, Sat. I, 5, 62; regius, A. P. 453.
mordere, Carm. I, 31, 8. IV, 3, 16.
movere historias, Carm. III, 7, 20.
mulsum, Sat. II, 4, 26.
multus, Carm. I, 25, 5. I, 7, 8. I, 15, 6. Sat. I, 3, 57.
munire ab aliqua re, Carm. III, 16, 3.
murteta, Epist. I, 15, 5.
mutare, Carm. I, 17, 2. I, 35, 23.
nam postpositum, Carm. I, 18, 3; *παρενθετικῶς*, Carm. III, 11, 1. cf. Epod. 11, 7.
nardus, Carm. IV, 12, 17. Epod. 13, 9; genus, Carm. II, 11, 16.
natare de animo, Sat. II, 7, 7.
navus et *gnavus*, Epist. I, 6, 20.
ne, Carm. I, 2, 5. II, 7, 25. III, 2, 9. Sat. II, 3, 262. Epist. I, 1, 47.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nec et *neque*, Carm. I, 3, 38. I, 4, 3. I, 8, 6. I, 11, 2. I, 13, 6. III, 29, 6.
νεκρομαντεία, Sat. I, 8, 29.
nempe, Sat. I, 10, 1.
nemus in tectis positum, Carm. III, 10, 6.
nenia, Carm. II, 1, 38.
neque in fine versuum, Carm. I, 3, 38.
νευρόσπαστα, Sat. II, 7, 82.
neutra adiectivorum pro adverbiis, Carm. II, 12, 14.
neutra adiectiv. cum genit., Carm. II, 1, 23. IV, 4, 76.
nigri oculi, capilli, Carm. I, 32, 11.
nihilo et *nilo*, Sat. I, 5, 67.
nihilum, Sat. II, 3, 54.
nomen, de re pecuniaria, Sat. I, 2, 16.
nomenclator, Epist. I, 6, 50.
nomina, Sat. I, 2, 16. Ep. II, 1, 105.
nomina propria inverso ordine collocata, Carm. II, 11, 2. Sat. I, 7, 1.
nominativus cum infinitivo, Carm. I, 37, 31. III, 27, 73. C. S. 15.
non pro *nonne*, Epist. II, 1, 53.
noster i. q. *ego*, Sat. II, 6, 48.
nota in cadis vini, Carm. II, 3, 8.
num-num, Sat. I, 10, 57.
numen et *nomen* confusa, Epist. II, 1, 16.
numerus, Epist. I, 2, 27.
o finale in verbis, Sat. I, 3, 140.
obligare, Carm. II, 7, 17.
occupare, Carm. II, 12, 28.
olim, Carm. II, 10, 17. Sat. II. 6, 79.
operari, Carm. III, 14, 6.
opes, plur. pro singul., Carm. III, 3, 28. Epist. I, 10, 36.
opinor, Sat. I, 3, 53.
oportet apud poetas, Sat. I, 6, 17.
opulentare, Epist. I, 16, 2.
ordo verborum, Carm. I, 9, 21. III, 11, 26. IV, 5, 36. C. S. 31. Sat. II, 6, 80. Epist. I, 19, 6.
os, Epist. II, 1, 126.
oscines et *praepetes*, Carm. III, 27, 11.
otium, Carm. II, 16, 1.
ovum, in coenis, Sat. I, 3, 6. II, 4, 12.
oxymoron, Carm. I, 2, 9. I, 6, 18. I, 27, 11. I, 33, 2. I, 34, 2. III, 4, 5. III, 20, 3. III, 21, 13. III, 27, 57. Epod. 16, 34. Epist. I, 11, 28. I, 12, 19.
pacantur silvae, Epist. I, 2, 45.
paenula, Epist. I, 11, 18.
palus, correpta ultima syllaba, A. P. 65.
parochus, Sat. I, 5, 46.
pars, in partem, Epod. 2, 39.
patruus, Sat. II, 2, 97.
pavere, Carm. IV, 5, 25.
pavimentum, Epist. I, 10, 19.
peccare aliquid, A. P. 354.
peculium, A. P. 330.
pecunia in fenus dabatur, quando, Epod. 2, 69.
pedestres historiae, Carm. II, 12, 9.
peius i. q. magis, Carm. IV, 9, 50.
pelli et *tolli* confusa, Sat. I, 2, 110.
percussus et *perculsus* confusa, Epod. 11, 2.
perire et *perdi*, Sat. II, 6, 59.
perfectum ἀοριστως, Carm. I, 1, 3. A. P. 98.
persona prima singul in sententiis generalibus, Epist. I, 5, 12.
petasus, Sat. II, 7, 55.
philyra, Carm. I, 38, 2.
phimus, Sat. II, 7, 17.
pituita, Epist. I, 1, 108.
placare deos, Carm. I, 36, 2. III, 23, 3.
planus, Epist. I, 17, 59.
plectrum, Carm. II, 1, 40.
pluralis numerus, Carm. I, 14, 7. II, 1, 5. III, 27, 76. IV, 2, 4. IV, 7, 1. IV, 9, 34. IV, 12, 8. Epod. 13, 14. Epist. I, 4, 12. I, 10, 1.
plus nimio, similia, Carm. I, 33, 1.
plusquamperfectum tempus, Sat. I, 9, 48.
poeta et *vates*, Carm. II, 6, 24.
pollicem premere, vertere, Epist. I, 1, 6. I, 18, 66.
polypus, Sat. I, 3, 40.
ponere pecuniam, Epod. 2, 70. signa Sat. II, 4, 2.
pontificum libri, Epist. II, 1, 26.
populare, Carm. III, 5, 24.
praefluere, Carm. IV, 3, 10.
praepositio, Carm. III, 3, 37. III, 25, 2. Epist. II, 1, 25. a nomine seiuncta Sat. I, 3, 70.
praesens, Carm. I, 35, 2.
praesens pro *perfect.*, Sat. I, 2, 56.
praeverti, Sat. I, 3, 38.
prandere, Sat. II, 3, 245. Epist. I, 17, 13.
premere vitem, Carm. I, 31, 9.
primus sodalium, Carm. II, 7, 5.
privus, Sat. II, 5, 11.
pronomina, Carm. I, 9, 16. III, 27, 51.
prope, Carm. IV, 14, 20. Epist. I, 6, 1.
proprius, Carm. II, 2, 22.
ptisanarium, Sat. II, 3, 155.
pueri, Carm. III, 14, 10. C. S. 71.
pueri atque puellae, Sat. I, 1, 85. II, 3, 130.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

pumex, Epist. I, 20, 2.
punicus, puniceus de colore et de gente, Epod. 9, 27.
purpura, Carm. II, 16, 36. IV, 13. 13. Epist. I, 10, 27.
purpureus, Carm. IV, 1, 10.
quamvis, Carm. I, 28, 13.
quando, Carm. III, 17, 2. Sat. II, 6, 93.
quandoque, Carm. IV, 1, 17.
quantus, Carm. I, 27, 6. Sat. II, 4, 81.
quatenus, Sat. I, 1, 64.
que, Carm. II, 7, 25. II, 12, 9. III, 2, 5. Sat. I, 3, 141. II, 3, 130.
quid enim, Sat. I, 1, 7.
quid, quod, Carm. II, 18, 23.
quid si, Carm. I, 24, 13. Epist. I, 16, 8.
quindecimviri, C. S. 70.
quinquatrus, Epist. II, 2, 197.
quinqueviri, Sat. II, 5, 56.
quod, Epist. I, 7, 94.
quod et quia confunduntur, Carm. I, 12, 31.
quo ne, Sat. II, 1, 37.
quondam, Carm. II, 10, 18. Sat. II, 2, 82. Epist. I, 18, 78.
rarus, opp. densus, Epod. 2, 33.
ravus, color, Carm. III, 27, 3. Epod. 16, 33.
recitationes, Sat. I, 4, 75. cf. p. 366.
recens, Carm. III, 25, 7.
recoquere, Sat. II, 5, 55.
referre, Sat. I, 6, 75.
refert cum dativo, Sat. I, 1, 49.
refigere, Carm. I, 28, 11. Epist. I, 18, 56.
regius et *regalis*, Carm. II, 15, 1. vide *morbus*.
regnare, Carm. II, 6, 11. III, 30, 12.
regnum vini, Carm. I, 4, 18.
relativum pronomen pro *at* cum demonstr., Sat. I, 1, 36. 43.
relativum cum altera persona verbi. Carm. III, 27, 51.
relegere viam, Carm. I, 34, 5.
religare, Carm. I, 32, 7.
reminiscere, Carm. IV, 15, 30.
reparare, Carm. I, 31, 12. I, 37, 24.
reponere fabulam, A. P. 120.
reri, Sat. I, 9, 49.
rescribere i. q. solvere, Sat. II, 3, 76.
resignare, Carm. III, 29, 54.
revincere, Carm. IV, 4, 24.
rex, Carm. I, 4, 14. Epist. I, 7, 37.
ridere, Carm. II, 6, 14. Sat. II, 3, 72.
ringi, Epist. II, 2, 128.
rite, Carm. III, 24, 10.
robur, Carm. II, 13, 19.
ruere, Sat. II, 5, 22.
s littera sibilans, Carm. IV, 15, 15.
sabbata, Sat. I, 9, 69.
sagax, Carm. IV, 4, 75.
sal, de mente hominis, Sat. I, 10, 3.
saltare cum accus., Sat. I, 5, 63.
salutandi mos, Sat. I, 6, 101. Epist. I, 7, 75.
scalpere et *sculpere*, Carm. III, 11, 52.
scarus, Epod. 2, 50.
scito supplendum, Sat. II, 1, 81.
scribere ab aliquo, Sat. II, 3, 69.
scutica, Sat. I, 3, 119.
se omissum, Carm. I, 35, 32.
secare viam, mare, Carm. I, 1, 14.
sed, postpositum, Carm. IV, 4, 33. Epist. II, 1, 89.
sedere i. q. cessare, Epist. I, 17, 37.
sedet vestis, Epist. I, 1, 96.
seges, Carm. I, 31, 4.
semel, Carm. I, 24, 16. IV, 3, 1.
semel et *simul* confusa, Ep. I, 7, 96.
senecta, Carm. I, 31, 19.
sepulcreta, Sat. I, 8, 8.
servorum cibus, Sat. I, 5, 68; cellae Sat. I, 8, 8; pretium, Sat. II, 7, 43. Epist. II, 2, 5; manumissio, Sat. II, 7, 76.
sextarius, Sat. I, 1, 74.
si, Carm. I, 32, 1. C. S. 37. Sat. II, 6, 6; omissum, Carm. I, 3, 16. Epod. 16, 15. Sat. II, 6, 48. Epist. I, 1, 28.
sic, Carm. I, 3, 1. II, 11, 14.
sigilla, Epist. II, 2, 180.
silva, trisyllab., Carm. I, 23, 4.
simplex, Sat. I, 3, 52.
simplex verbum pro composito, Carm. III, 9, 3.
simul i. q. simulac, Carm. I, 4, 17.
sin, Epist. I, 5, 6.
singularis verbi, Carm. I, 24, 8; nominis, Carm. I, 5, 1. I, 24, 14. III, 3, 15. III, 6, 2.
sive, Carm. I, 2, 33. III, 24, 57.
socialiter, A. P. 258.
soleae, Sat. II, 8, 77. Epist. I, 13, 15.
solus et *unus*, Epist. I, 6, 1.
solvere cum genit., Carm. III, 17, 16.
somnia, Carm. III, 27, 41. Sat. I, 10, 33.
sordidus, Carm. II, 18, 27.
sorites, Epist. II, 1, 47.
spatia, Epist. I, 14, 9.
species pro genere, Carm. I, 1, 10.
spectatus, Epist. I, 1, 2.
spes, voc. med. Epist. I, 6, 14.
stare, Carm. I, 9, 1. I, 16, 19. I, 35, 14. III, 28, 6. Sat. I, 10, 17.
stilum vertere, Sat. I, 10, 72.
stilus, Sat. II, 1, 39.
stipendium de poena, Epod. 17, 36.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

stirps, Carm. III, 29, 37.
strabo, Sat. I, 3, 44.
strigilis, Sat. II, 7, 110.
studere c. accus. Epist. II, 1, 120.
studiosus, Epist. I, 3, 6.
sub, Epod. 5, 83.
substringere, Sat. II, 5, 95.
subucula, Epist. I, 1, 95.
suffragia punctis data, Ep. II, 2, 99.
summus, opp. primus, Carm. III, 28, 13. Epist. I, 1, 1.
sunt qui, Carm. I, 1, 3.
super, Carm. I, 18, 8. Sat. II, 6, 3.
supernus, Epod. 1, 29.
supervacuus, Carm. II, 20, 24.
suscitare, Sat. I, 1, 83.
sustinere, Epist. II, 1, 1.
syllaba ultima producta, Carm. II, 6, 14. II, 13, 16. III, 5, 17; correpta Sat. I, 2, 30 cet.
symphonia, ultima syllaba brevis; A. P. 374.
synaeresis, Sat. II, 8, 1.
synaloephe, Carm. II, 7, 5. Sat. II, 3, 91. II, 6, 67. Epist. I, 2, 70.
syncope, Carm. II, 2, 2. IV, 13, 20. Sat. I, 5, 79. I, 9, 48.
synecdoche, Carm. I, 28, 6. II, 1, 34. III, 27, 26.
synecphonesis, Carm. III, 4, 41. Sat. II, 8, 1.
synesis, Sat. I, 1, 100.
tabula votiva, Carm. I, 5, 13.
tantum quantum pro *tam quam*, Sat. I, 8, 17. cf. Sat. II, 3, 317. II, 5, 80.
temere, Epist. II, 2, 13.
tempus, Carm. II, 7, 1.
terminalia, Epod. 2, 59.
ternarius numerus, Carm. I, 28, 36. III, 3, 65. III, 22, 3. C. S. 23. Sat. II, 1, 7.
tibiae, Carm. IV, 15, 30. A. P. 202.
timidus cum genit., Epist. I, 15, 33.
tmesis, Carm. I, 6, 3. Sat. I, 1, 86. II, 6, 95.
toga, Carm. I, 36, 9. Epod. 4, 8.
tollere liberos, Sat. II, 5, 46; manus Sat. II, 5, 97.
toralia, Sat. II, 4, 84.
trepidare, Carm. II, 3, 12. cum. genit. II, 11, 4.
tribulis, Epist. I, 13, 15.
trigon, Sat. I, 6, 126. p. 386.
triumphare, Carm. IV, 2, 49.
triumviri capitales, Epod. 4, 11.
trochus, Carm. III, 24, 57.
tu, omissum, Sat. II, 7, 66.
tunica, Sat. I, 2, 25. II, 7, 10. Ep. I, 7, 65.
turgidus et *turbidus*, Carm. I, 3, 19.
turpiter, A. P. 3.
umbilicus, Epod. 14, 8.
umbrae, Sat. II, 8, 22.
unde, Carm. II, 12, 7. Sat. I, 6, 12. II, 6, 21.
unguis, proverbia inde sumpta, Carm. III, 6, 24. Sat. I, 5, 32.
unguium scabritia, Carm. II, 8, 4.
unicus, Carm. III, 14, 5.
unio, Sat. II, 3, 239.
unus, Epod. 12, 4. Epist. I, 6, 1.
urbanus, Epist. I, 9, 11.
urgere, Carm. II, 9, 9.
urna, Sat. I, 1, 54.
ut, Carm. I, 9, 1. I, 14, 3. III, 4, 17. cf. Epod. 16, 53. Carm. III, 4, 42. III, 25, 12. IV, 4, 42. Sat. I, 3, 120. II, 3, 246. Epist. I, 19, 3.
utcunque i. q. simulac, Carm. IV, 4, 35.
uterque et *utrique*, Sat. I, 8, 25.
utne, Sat. II, 5, 18.
vacuus, Sat. II, 3, 10.
vadari, Sat. I, 9, 36.
vades, Sat. I, 1, 11.
valere cum infinit., Carm. I, 34, 12.
vaporare, Epist. I, 16, 7.
vates et *poeta*, Carm. II, 6, 24.
ve, Carm. II, 7, 25. Sat. I, 2, 63.
vectigal, Carm. III, 16, 40.
vel, Epod 2, 17.
venus, iactus, Carm. II, 7, 25.
vepres, genus, Epist. I, 16, 8.
verbena, Carm. I, 19, 14.
verber, Carm. III, 27, 24.
verborum collocatio in versibus, Carm. I, 7, 15. I, 22, 17. I, 29, 13. II, 8, 1. II, 10, 6. II, 20, 11 sq. III, 11, 26. — *verbum* semel positum, bis intelligendum, Epod. 5, 87. — *verba* cum vi repetita, Carm. I, 7, 27. I, 13, 1; inter duos versus divisa, Sat. I, 2, 62.
versus, hypermeter, Sat. I, 4, 96; versuum apud Horatium repetitio Epist. I, 1, 56; versus negligenter facti, Carm. I, 26, 11. II, 13, 27. Epist. I, 9, 4.
vestes Coae, Carm. IV, 13, 13. Sat. I, 2, 101.
vetulus, Epist. I, 10, 5.
via sacra, Epod. 7, 8.
vicarius, Sat. II, 7, 79.
vicus, Epist. II, 2, 177.
videor, i. q. videor mihi, Carm. III, 4, 6.
vincire, Sat. II, 7, 31.
vindicta, Sat. II, 7, 76.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vin tu et *vis tu*, Sat. II, 6, 92.
vini conservandi ratio, Carm. II, 3, 8; vina graeca, Carm. I, 17, 21. III, 19, 5. Sat. II, 8, 15; leniuntur, Sat. II, 4, 55; liquantur, Carm. I, 11, 6; vinorum genera, Sat. II, 8, 15.
vitta, Carm. III, 14, 8.
vocabula media, Carm. I, 18, 16. Epist. I, 6, 13; nova, Carm. I, 5, 8.
vocativus, Carm. II, 20, 8. Sat. II, 6, 20.
volens, Carm. III, 30, 16.
votum, Sat. II, 6, 1.
vox et *verbum*, Epist. I, 1, 34.
zeugma, Carm. III, 10, 5 sqq. Sat. I, 1, 3.
zona, Epist. II, 2, 40.

Bonnae, typis Caroli Georgii

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας



Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας